Systema cautelarum medicarum. Circa praecognita, partesque singulas artis saluberrimae, discentium commodo methodo eclectica concinnatum / [Elias Camerarius].

Contributors

Camerarius, Elias, 1673-1734.

Publication/Creation

Francofurti ad Moenum : In Officina Libraria Mulziana, 1721.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/mqcxbgzq

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30507583

ELIÆ CAMERARII,
Med. Doct. & Profess. P. Ord. Tubing. Cons.
Et Arch. Wirt. Acad. N. C. Hector III.

SYSTEMA
CAUTELARUM MEDICARUM
CIRCA PRÆCOGNITA, PARTESQUE SINGULAS ARTIS SALUBERRIMÆ,
DISCENTIUM COMMODO
METHODO ECLECTICA CONCINNATUM.

Francofurti ad Mœnum,
Prostat in Officina Libraria Mulziana,
Anno 1721.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Præfatio ad Lectorem.

REm prorsus arduam, ac difficultatis plenam aggreditur, quisquis docere Medicinam hisce quidem temporibus, ac præcepta Artis tam salutaris instillare discentibus annititur. Neque enim certa, quæ sequi tenentur principia, receptaque ab omnibus Medicinæ Antistitibus consensu unanimi capita sibi tradita videt pro norma, propositaque instar regulæ, juxta quam formare mentes tironum, iisque tam pretiosæ Artis irrefragabilia præcepta commendare, intimisque eorum infigere medullis sine hæsitatione queat, aut contradictione aliorum. Postquam scilicet in illa, quam mirantur plerique, atque extollunt laudibus, literarum luce fulgentissima, semel docentibus

pulchrum, proficuumque visum est dissentire circa rerum principia, ac productionum modos, atque ætiologias, non amplius distinguuntur certa, dudum agnita, ac firmata Artis principia ac præcepta, ab incertis, soloque ratiocinii cultioris robore nixis hypothesibus, sed cum in his dissentire placeat plerisque Viris doctioribus, eâdem disceptationum atque incertitudinis confusione involvunt ea etiam, quæ dudum agnita, perspectaque Medicis nova subinde veste induta sub inventorum, novarumque cogitationum titulo in literati orbis theatrum non sine apparatu eruditionis introducuntur cum applausu juvenum, quibus omnia novitatis specie superbientia gratissima esse solent, omnique acceptione digna. Recipiuntur igitur unà cum veritatibus experientia firmatis promiscuè hypotheses qualescunque, ab aliis verò facilitate eadem exploduntur. Postquam enim tyrannus ille, qui vestimentis, moribusq; dudum imperat, varietatis Amor, ac mos infrunitus inhiandi novis Medicinam quoque

infe-

infecit; ab eo ſanè tempore nihil ſtabile eſt, nihil mutationi non obnoxium, nihil tam abſonum, quod defenſorem non reperiat ſuum, cogatque priores locum ſibi facere hypotheſes. Quis de Sylvianis jam cogitat principiis? Quis acidum morborum unicum fontem adhuc veneratur? Quis ab æthere peregrino omnia morborum phænomena deducere audet hodiè? Quis Sali, Sulphuri, ac Mercurio ea, quâ olim, fiducia adſcribere omnes morborum varietates præſumat? Pauci iſtas nunc fovent hypotheſes, quæ omnium per aliquot annos erant idola, pro quorum conſervatione tanquam pro aris & focis dimicandum eſſe ſibi perſuaſerant haud pauci. Quæ primatum hodiè tenet Medicina Mechanica, quamdiu ſolium occupatura ſit ſuum, poſteri rectius judicabunt, id ſanè imperium ei diuturnum ac perpetuum haud videtur præſagire, quod ii etiam non ſine pompa ad Mechanicam provocent, qui vel prima Mechanicæ Elementa quam profundiſſimè ignorant. Abſit igitur, ut ii, qui fideliter aliis ar-

tem tradere ſaluberrimam allaborant, ſe mancipando Sectæ cujusdam principiis, ſervituti eidem ſuos quoque diſcipulos involvant. Præſtat viam tenere Eclecticam, eosque ita ad penetralia Artis introducere, ut per omnia iſthæc atria penetrantes ea retineant, quæ laudem calculumque merentur, ipſumque Hygieines Palatium tandem occupent omnibus iſtis ita exornatum, ut, neceſſitate uſuque exigente, ea valeant ſeligere atque depromere ex farragine ſelecta principia ac præſidia, quæ ſolida ſint, à partium ſtudiis aliena, atque in ipſa rerum natura firmiter fundata, non habita ratione vel autoritatis, vel opinionis, aut aliorum præjudiciorum. Inde vero palam eſt, non poſſe docentes rectius conſulere ſtudioſis, quam ſi eos ita inter tot ſectarum turbas manuducant, ut diſcant de omnibus æquum ferre judicium, ac ſibi cavere ab iis, quæ præjudiciorum vinculis irretitos poſſent in errores pertrahere; cumque legendi iis offerantur magno numero variarum ſectarum atque opinionum libri, nihil ſane utilius, nihil

hil convenientius ipſorum commodis præſtare Profeſſor queat, quam Ariadneum ipſis in iſto labyrintho ſubminiſtrare filum, cautelas ſcilicet, monitaque ſalutaria, quî probare debeant omnia; quod bonum eſt, veritatique congruum, tenere ac ſeligere. Cum verò Illuſtrem Jureconſultum ac Status Reg. Miniſtrum D. Thomaſium probare hanc Methodum, ac cautelas circa Jus Civile ſtudioſis jurium ſuppeditaſſe obſervarem, imitari Celeb. Virum, ac Medicinæ quoque Studioſis Cautelas nonnullas ad omnes Artis noſtræ partes juxta ea quæ in publicis tradidi Lectionibus, ſubminiſtrare anniſus ſum, quæ ipſis poſſint eſſe ſpeciminis loco, quo uti queant in legendis conciliandisque tam variis Medicorum ſcriptis atque hypotheſibus. Cumque Vir hic Ill. præmittat elegantem de Sapientia, veraque eruditione tractationem, non potui non in eo veſtigia ejus utcunque premere, ejusque uti partim egregiis præceptis, cum nullibi magis agnoſcenda ſit veræ ſapientiæ, ac ſolidæ eruditionis neceſſitas quam in Medicinæ, Artium difficillimæ, nobiliſſimæque arduo ſtudio atque exercitio ejuſdem incredibili difficultatum varietate circumſepto Meritò igitur, ab iis faciendum eſſe initium, mentemque præceptis ſapientiæ probè imbuendam eſſe, agnoſcent probi diſcentes, quorum iſta dare commodis libuit, ulteriori præfatione haud detinendis, poſtquam illis divinam in ſtudio tanti momenti opem precibus votisque ardentibus fuero apprecatus.

Series

Series Tractandorum.

Cautelæ circa conceptum veræ Eruditionis & Sapientiæ in genere.

Cautelæ circa media perveniendi ad Sapientiam.

Cautelæ circa conceptum Medicinæ in ſpecie, ac circa præcognita illi ex linguis ac Philoſophia ſubſtruenda.

De cæteris ad præcognita ſpectantibus cautelæ breves, ſcil. ad Botanicam, materiam Medicam, Chymiam, ac Anatomiam referendis. &c.

Cautelæ Phyſiologicæ.

Cautelæ Pathologicæ.

Cautelæ Semioticæ.

Cautelæ Diæteticæ.

Cautelæ Therapeuticæ.

De Cautelis circa obſervationes adhibendis.

Cautelæ circa partum naturalem ac violentum, ſeu artem obſtetriciam.

Cautelæ circa Chirurgiam.

Cautelæ circa Medicinam forenſem.

Cautelæ ſpectantes ad Anatomiam Practicam.

Cap.

Cap. I.

CAUTELÆ CIRCA CONCEPTUM VERÆ ERUDITIONIS ET SAPIENTIÆ IN GENERE.

1.

UNa eſt ſapientia, in veri, unicique Boni cognitione viva, ab ipſo unicè conceſſa conſiſtens, ita tamen ut viva illa cognitio non ſit, niſi ad hunc amantiſſimum ſcopum totum hominem, ejusque actiones ardenter diriget in Fide viva.

2. Eruditionis igitur Idea diſtinctè formanda, ſi ad veram ſapientiam referre eam, vel quaſi pro Synonyno habere eam velis.

3. Quæ enim hodiè vera Eruditio dicitur, ſplendido iſto nomine vix digna eſt, niſi laudatum modò candidè ſectetur ſcopum, atque, ad eum ſincerè referatur, ſuaque omnia ardenti bonæ mentis niſu eò fidenter dirigat.

4. Vitandus itaque error doctrinæ celebrioris, quæ veram Eruditionem & Sapientiam quærit in ſola veri proprio marte inventione, in quo ſibi mirè corrupta placet natura, etiamſi vel ſolas inveniat quiſquilias.

5. Uti enim vel ſenſus communis docet, ſcientiam veritatum inutilium & noxiarum potius ſtultos impiosque reddere quam ſapientes, ita haud dubiè ſapientes decet ſcientia rerum Deo gratarum, animæ proficuarum, proximoque utilium. Atqui hæc eſt ſcientia boni, quæ in vero ſapiente nunquam eſt ſine effectu, niſuque ardenti ad executionem boni Deo placentis;

6. Iſta enim fidei vitæ, ſapientiæque lux ſummè efficax, ac ſine torpore eſt.

7. Nec dicas, omnes veritates eſſe utiles, quia videlicet perficiant intellectum in cognitione veri, ejusque ſeparatione à falſo.

8. Neque enim perficiunt intellectum quæ ad primarium ſcopum inutilia, noxia, animum à Deo avocantia, ac diſtrahentia, ſpecie aliqua veri vanis, curioſisque, puetiliter hominibus non ſine pernicie illudunt. Inflat enim ſcientia, charitas verò humili fide nixa ædificat.

9. Plurima vulgò habentur pro erroribus, cum ſint veritates pretioſæ, ac pro veritatibus alia certiſſimis, quæ ad errorum claſſem coram oculis Dei pertinent; claudit verò oculos perſæpè perverſa anima, ne videat eam, quam ſequi nollet veritatem, mavultque in errore ſuo obdormiſcere.

10. Deus equidem multos intellectus errores, malasque voluntatis pravæ intentiones clementer ſuæ directione providentiæ ita dirigit, ut inde bonum eveniat; verùm eò ardentiori opera fugiendi ſunt animæ fideli ſcopuli illi pernicioſi, ne ingrata toties in Patrem benigniſſimum relinquatur tandem erroribus ſuis, ſuæque pravitati, quam Gratia Paterna aſſiſtente haud animosè ſatis aggredi ac debellare fideliter atque eradicare voluit.

11. Quicquid operis optima etiam intentione ſuſcipimus, id omne hypotheticè & cum exceptione voluntatis divinæ, ejusque beneplaciti ſuſcipiendum eſt, ut proin, etiamſi

ad

ad votum non ſuccedat, contenti maneamus, Deoque reſignati.

12. Si igitur videant homines bonas intentiones non gaudere effectu deſiderato, vel imprudentiæ ipſorum circa media id adſcribendum eſt, vel deprehendent plerumque intentionem illam ſuam ſub prætextu gloriæ Dei, aut utilitatis publicæ occultaſſe ſtultitias ſuorum affectuum.

13. Ex quo patet, quod Studioſus Sapientiæ cavere debeat, ne falsò ſibi perſuadeat, ac ſi ſtudia ejus dirigantur ad gloriam Dei, ſi tamen alius ſubſit ſcopus; novit enim omnes cordis ſui receſſus, ſubdolasque mentis ſe ipſam quærentis aſtutias Divinis patere oculis.

14. Atque ut hîc ſe probè examinet, notare debet, (1) quod plerique, qui talia ſibi primùm perſuadent, & deinde aliis perſuadere volunt, ſibi ipſis imponant, cum potius id faciant eum in finem, ut commodè vivere valeant, & otiosè, ut honores vel divitias acquirant.

15. (2.) Quod gloria Dei magis promoveatur per adimpletionem voluntatis Divinæ, quàm per cognitiones ſpeculativas veritatis, atque adeò ille debeat ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ.

16. (3.) Quod omnia, monente Apoſtolo, debeant fieri ad gloriam laudemque Dei, ut omnes videant ipſum hunc unicè ſemperque ſcopum intendere ac ſectari in rebus etiam vitæ hujus, ſtudiique ſui minimis, utque ita ſuas inſtituat actiones, ne cuiquam ſit offendiculo, neve Deus per ipſum operans ab aliis blaſphemetur, ſed omnes potius cogantur agnoſcere ipſum ſoli Deo velle placere.

17. (4.) Quod omnes omnium verè ſapientiam, Deumque quærentium actiones, etiam temporales, ad gloriam Dei, ex fide viva fieri conſtanter debeant.

18. Sic demùm in ſtudio veritatis rectè intendimus atque obtinemus verum proximi, noſtrumque commodum, malum verò noxamque avertimus ac evitamus.

19 Atque eæ demùm utiliter ſunt veritates, quæ recta via ad ſalutarem hunc primariumque licet remotius paulò tendunt ſcopum; nec aliæ perficiunt intellectum.

20. Quoniam utilitas veritatum non conſiſtit in aliis ſaltem veritatibus inveniendis, nec in inventione ac emendatione Machinarum, nec in delectatione otioque animi & cogitationum, niſi primatius hominis ſcopus primariò intendatur, obtineaturque his mediis, veraque proximi felicitas, utilitasque, non verò illa, quæ ex pravæ carnis affectibus, propriæque voluntatis corruptis fluit deſideriis.

21. Ille enim ſolus felix eſt, cui omnia ex voluntate Dei gratiſſima eveniunt, quæcunque cœleſtis Pater quovis ipſi momento quaſi porrigit manu amantiſſima, deſtinatque, quæ fidei vivæ ſolius praxis eſt perpetua; huic nihil eſt infelicitatis, quamdiu divina iſthac fruitur vi ac luce, boni omnis fonte.

22. Nihil in hunc juris habet Spiritus Melancholicus, licet in primitiis viæ ad Deum Spiritus S. ſalutarem in eo triſtitiam, veræ unicæque lætitiæ quæ ex Deo eſt, Matrem operetur, efficiatque ad ſalutem æternam viam ipſi parantem, ineffabilibus mox hac etiam in vita gaudiis compenſandam, quanquam nec iſtam aliter poſtulet hilaritatem, quam dare eam optimo Patri placuerit, ac quamdiu placuerit; cordis verò id in Spiritu S. gaudium eſt, quod inter acerbiſſimas carni cruces conſtanter perdurat, nec unquam infideli extinguitur.

23. Ingens ergò diverſitas eſt inter veram felicitatem, atque imaginariam ſeu falſam, quam quærit mundus & in ea lætatur perperàm, gaudens de miſeria ſua; aliud certè hujus gaudium ac hilaritas, aliud cordis gaudium in Sapiente, de quo Chriſtus: Cor veſtrum gaudebit; hoc non niſi in fideli ac verò obtinet ſapiente.

24. Vides jam, (1.) quî Deus omnes creaturas fecerit, non ut infelices ſint, & in perpetua triſtitia vivant, ſed ad vi-

tam

tam felicem & hilarem; talisque est vita, quam per fidem vivimus in Christo, & per Christi meritum in Patre ejusque providentia amantissima.

25. (2.) Inter felicitatem & beatitudinem nullam esse differentiam, adeoque nec inter earum Synonyma Germanica, **Glückseeligkeit und Seeligkeit**; si scil. beatam hanc Dei in anima vitam, cujus nunc fruitur primitiis consideres, non felicitatem aliam qualemcunque ad veram hanc atque unicam haud præcisè directam, qualem in mundo quærunt plerique.

26. (3.) Felicitatem & infelicitatem, sive etiam fortunam & infortunium apud Christianos nil aliud debere significare, quàm operationes providentiæ divinæ.

27. (4.) Veram felicitatem habere suos gradus, magis magisque perficiendos à divina gratia; at cum in æternitate demùm fiat perfecta modis omnibus, temporalem dicit, non quod temporalibus contenta sit, hæc enim minima contemtaque ejus pars sunt, unicè juxta bonam Dei voluntatem expectanda, nec aliter desideranda.

28. (5.) Felicitatem temporalem & æternam, hoc est, felicitatem hujus temporis inchoatam, & æternam perfectamque non esse diversæ essentiæ, sed saltem diversorum graduum, consistentem quippe in possessione summi boni hîc inchoata per fidem, ibi perfecta.

29. (6.) Adeoque felicitatem æternam esse quidem perfectiorem & continuare post hanc vitam, sed non demum post hanc vitam incipere.

30. Viva verò ad Sapientiam cognitio requiritur, atque ad opus illicò ardenter tendens, tam arctus Sapientiæ prudentiæque veræ nexus imò identitas est, nuda hic speculatio cognitioque nullum habet locum, torporem efficax vivaque nescit Fides.

31. Quantò verò ille prudentior est, qui sine subtili

cognitione in timore Dei proximi, ſuamque promovet utilitatem, quàm qui ſubtiliſſimè ratiocinando, etiam de ſummo bono, rebusque æternis, ſibi & aliis nocet, cujus quippe cor fide mundatum non eſt.

32. Et quotidiana Experientia docet, veritates, etiam utiliſſimas, & ſalutares, earumque cognitionem intellectualem per ideas à mente ſine experientia fidei viva formatas, non beatos ac felices, contentosve ac tranquillos reddere homines, ſed ſcientiam boni & mali, veritatumque divinarum pulcherrimarum, conjunctam facilè eſſe poſſe ac ſolere cum boni carentia, & ſtatu mentis ob fidei vivæ Chriſtique abſentiam miſerrimo, cujus proh dolor triſtiſſima magno numero exempla tempora hæc noſtra ubique exhibent.

33. Cavendus ergò communis error ſtudioſo Sapientiæ, quaſi infelicitas unicè profluat ex ignorantia boni, & quaſi ſola boni ſcientia, ſine praxi viva ac fideli, reddat felices, qui maximus animarum deterrimusque error eſt.

34. Et illud obſervatu dignum, quod ut omnia nimis ſubtilia mentis propriæ effecta, ita præprimis omnes cognitiones nimis ſubtiles rationis ſolo conatu acquirendæ, magis noxiæ ſint, quàm utiles, vel certè inutiles.

35. Multiplex à ſapientia aberratio, multiplex cœcorum mortalium ſtultitia eſt; Sapientia autem una, unius divini Spiritus ſoboles, non in cognitione nuda acquieſcens rerum qualiumcunque, ſed cognitarum vera iſta luce mediante, ac ſervientium ſummo, unicoque ſcopo.

36. Alienum ergò ab illa eſt ſcire res inutiles, ſubtiles tantùm, earumve ſcientiam deſiderare, eâque delectari.

37. Non admittit illa incuriam cognoſcendi ſtatum ſuum, nec ignorantiam proprie felicitatis aut infelicitatis; neque negligentiam in boni per fidem cogniti acquiſitione; multò minus ſecurè fert cogniti boni carentiam, putatve ſubtilem hujus boni cognitionem ſibi ſufficere, aut ſe reddere felicem,

hanc

hanc à ſe longè amovet ſtultitiam, luce divina voluntatem divinam ipſo clariſſimè ex verbo Dei oſtendente, perhibente huic in corde teſtimonium Spiritus S.

38. Uti igitur naturalis hominum ſtultitia mentem totam infeliciter occupat, ita & ſapientia intellectum æque ac voluntatem, quæ ipſiſſima mens ſunt, emendat, occupatque mente in domicilium Spiritus Sancti fide jam reſtituta, ſubditaque regimini manſueto inhabitantis eam Optimi Salvatoris, qui nunc incipit vivere in ea, eamque regere efficaciter, atque indeſinenter, quamdiu felix, quamdiu in fide, quamdiu in Dei gratia vivit.

39. Eſt proin ſapientia & viva boni cognitio, & viva ejus poſſeſſio, ſaltem quà primitias, ſubinde efficaciter per gratiæ divinæ operationes augendas.

40. Etenim ſtultitia non ſolùm ſe exerit in ſupina ignorantia rerum utilium & ſcitu neceſſariarum, ſed & in mortua, licet accuratiſſima & ſubtiliſſima cognitione boni, quæ ad ſeriam praxin non illicò tendit; Ergò neceſſe eſt, ut & de ſapientia prædicetur utrumque: viva rerum neceſſariarum cognitio, vivaque boni cogniti poſſeſſio, ac indeſinens circa illud aſſiduaque occupatio.

41. Mortua enim cognitio eſt, quæ vera felicitate, i. e. tranquillitate animi per Chriſtum, deſtituta, putat tamen ſibi nihil deeſſe adeoque nec ejus poſſeſſionem deſiderat, lethali obruta torpore ac cœcitate; multò minus alios ad veram felicitatem ducere intendit, aut ſi intendat, facit tamen id modis mediisque ineptis.

42. Viva autem cognitio ſupponit neceſſariò deſiderii in corde ſenſum adipiſcendi veram felicitatem, imò quasdam jam ejus primitias per fidem obtentas, quem præguſtum, guſtumve in corde ſentiens prompta eſt parataque, aliis viam ad eandem felicitatem monſtrandi, aut certè media apta oſtendendi, quibus evadant damna quæ ſtultitia operatur, quorumque

que ipſa non ſine tremore ac timore recordatur, ſibique ab occulto, latenteque intra ſe hoſte, malorumque tantorum radicibus ſolicitè cavet.

43. Cum verò nemo deſiderare rei alicujus poſſeſſionem poſſit, qui carentiam ejus & indigentiam non ſentit, inde etiam deſiderium veram felicitatem adipiſcendi præſupponit, ut quis ſentiat intus, convictusque ſit, ſe eſſe infelicem, ſc. extra Chriſtum.

44. At hic ſenſus rariſſimus eſt ob connatam cordi humano ſtultitiam, fœdamque ex lapſu fœdiſſimo ambitionem, ac philautiam, cui placet vaniſſima Scholarum, integri lapſique hominis ſtatum diverſiſſimum haud ſatis pervidentium, doctrina, de hominis, ac proin ſui, præſtantia, ac nobilitate, cum tamen in ſtatu naturali, extra Chriſtum, miſerrima ſit atque infeliciſſima Creatura; brevis ævi, tot rerum indigens, tot obnoxia morbis, horum omnisque propriæ miſeriæ author, & quod rei caput eſt rebellis in Creatorem, omnisque corruptionis turpiſſima ſentina.

45. Atque iſta ſe Creatura haud agnoſcit eſſe miſeram, ægrotamque, imò mortuam, vel, quod pejus turpiusq; eſt, ex iſta morte excitari, ex tantis malis eripi haud deſiderat, verè amens ac delira, donec cordi illuceſcat per verbum Fidei Chriſtus.

46. Animæ certè miſeria externam illam corporis infinities ſuperat; cum homo ratione quidem ſit præditus, ſed ſtulta ac cœca, ac nonniſi ab hoc cœleſti omnipotentique Medico ejusque vivo lumine ad ſapientiam vitamque, ac viſum reducenda reſtituendâque, quo ſine auxilio à teneris unguiculis non poteſt non manere miſerrima ad extremum usque halitum.

47. Id verò, quod reliquum ipſi eſt à lapſu, ante opem Medici cœleſtis, rationis lumen, vel lucula tenebroſa, in ſe, divina ſi ſpectet, cœca, morbidaque, ex voluntatis peſſimæ præjudiciis obſcurius fit atque deterius adhuc, præcipitantia cum-

cumprimis ac authoritate humana illud obfuſcante; imò magis adhuc graviusque nocet præſumptio de claritate propriarum idearum, de facilitate ingenii in illis cudendis, combinandisque, deque firmitate imaginaria judicii in iis conferendis, excutiendisque, de quibus ſibi rationis olim rectæ umbris mirè illa ſibi dum cœca eſt gratulatur, easque putat vividiſſimos ac plane eſſe veri luminis radios ac emanationes.

48. Et illud miſerandum, tam rarò tum in aliis, tum in ſe ipſo veritatem perſpicere hominem, qui divina adhuc luce deſtituitur; utut enim, ſi liber ſit ab affectibus, aliorum faciè videat nævos, externa tamen iſta ſunt, nec verum intimumque judicare valet animi ſtatum; magisque adhuc, quamprimùm veritatum cognitio ad ipſummet & propriam felicitatem pertinet, ob præjudicia affectuum, miſeramque philautiam ſibi blandiens, regulariter verum pro falſo, & falſum pro vero habet, imprimis in doctrina de bono & malo.

49. Sic ignoti nulla ſperanda eſt medela morbi, quem ſibi, Medicoque, unico occultare omni ſtudio nititur æger delirus, egregiè ſe valere credens, propriisque confiſus viribus, ac emendationi ſui luminis naturalis per artem cogitandi tam bellè excultam.

50. Quemadmodum verò ratio & cogitatio ob nativam ſuam cœcitatem homini intuitu intellectus & vivæ cognitionis veri parum prodeſt, imò graviſſimè obeſt veræ cognitioni, ita & intuitu voluntatis & acquirendi veri unicique boni plus ei nocet quàm prodeſt, ſuis ſe paſcens ideis, nec ad ſpiritualem fidei vivæ experientiam facilè admittens animam, ſed diſtrahens eam, avocansque à blandiſſimis gratiæ prævenientis pulſibus, quos ſuffocant idearum, affectuumque tumultuantium agmina, veræ tranquillitatis peſſimi hoſtes.

51. Etenim homo naturaliter cogitationibus ſuis ſtulta gaudia & dolores non neceſſarios ac fruſtraneos, tam intuitu rerum præſentium, quam præteritarum & futurarum excitat;

vera autem cordis gaudia ignorat penitus, perpetuas animæ cum Christo convivantis epulas, quas verbum Dei prædicat, ac fides experitur, videt, sua sibi perspicacia, fictaque tranquillitate placens, veram Christi crucem, blandissimum jugum, scitè fugit, curas anxias, operas mundi serviles, affectuum suorum grave jugum avidè arripit, suscipit, fovetque, manifesto delirii plusquam phrenetici argumento.

52. Quinimò, siquis accuratius consideret naturam & essentiam gaudiorum & dolorum humanorum, deprehendet, pleraque gaudia esse saltem imaginaria, id est, consistere in meris ideis atque imaginationibus, dolores autem esse reales, vividos, pungentesque cum vividissimo sui sensu.

53. Cum ex adverso sapientis, sive Christiani veri gaudia vera, solida, ac perpetua nitantur experientia fidei acquiescentis per Christum in summo bono, ejusque dolores pretiosa sint Dei dona, atque exoptata animæ fidelis pharmaca, quorum amaritudinem lætissima Christi perfidem præsentia lenire valet imò tollere, quô nîl est triste recepto.

54. Imò, quoniam vera hæc gaudia ignorant mortales, imaginariis se pascunt, æternùmque decipiunt; dolore verò rerum præteritarum tristi quæ illius recordatione multo magis afficitur infelix homo, quàm sensione rerum præsentium; adeò vera rerum pretia ignorat, adeò à verò quietis centro longissimè abest, atque à vero, quantum in se est recedit bono, fugiens crucem, quærens in turbis angustiique quietem, in curis mordentibus solatium.

55. Illa verò miseria & stultitia humana intuitu voluntatis omnium maxima est, quod homo à natura res sibi noxias seu malas amet, & utiles seu bonas abhorreat; quod uti in corporalibus ipsum bestiis inferiorem facit, ita in spiritualibus fons omnis mali est.

56. Quare nec mirandum, quod regulariter conceptus hominum de pulchro, amœno, præstante, perfecto &c. aberrent,

rent, cum res, quas homines ut pulchras, perfectas &c. concipiunt, plerumque vanæ, inutiles, imperfectæ ac noxiæ sint, & rationi rectæ adversentur; quanto magis adversabuntur Lumini fidei, quod istas corrigeret aberrationes, istam mentis ab affectibus ac philautiæ offuscatæ cœcitatem dissiparet, si obicem ipsi non poneret perpetuum bona de se, suaque naturali sapientia ac recta tatione opinio, medelam haud admittens sibi funestam, ac veram humilitatem requirentem.

57. Etsi verò homo in se sentiat desiderium veri boni, illud tamen nullam utilitatem homini præstat ad bonum consequendum, ob languorem hujus desiderii, carnis quæ jugum metuit, repugnantiam, animi crucem reformidantis mollitiem, ac nimiam desiderii illius languidi inconstantiam, mediorumque neglectum, ac zeli defectum, imò ob occultum mali sui, errorum, affectuumque, ac concupiscentiarum amorem, desiderio in anima nascenti efficaciter se opponentium, Christumque excludentium.

58. Quemadmodum enim ea quæ nimis anxiè concupiscimus, ea, si possideamus, non curamus amplius, aut pro bonis habemus, sæpe etiam nauseamus & abjicere intendimus; etiam in hoc bestiis inferiores; ita ex adverso, licet ex philautia verum desideremus bonum, ac difficultates molestiasque unà illius acquisitioni jungendas conspicimus, evanescit ex tenello isto carnis delicatæ amore scintilla prioris desiderii, mavultque homo, sub prætextu, acquisitionem istius boni nec possibilem esse, nec proin adhuc necessariam, tempori rem committere, ac in falsa sua quiete manere, acsi certus esset, se quandocunque libuerit verum summumque bonum arrepturum, nescit enim miser, imò vult nescire summum animæ discrimen, incertitudinem horæ mortis, ac defectum virium propriarum ad conversionem, cum & debile hoc desiderium à solo sit Deo misericorde.

59. Impatientia enim laborat homo ineptissima, cum-

que non ſtatim languido ſuo deſiderio, ac conatui torpido tepidoque tantum obtineri bonum, mentemque ad ejus adeptionem præparari debitè advertit, ſentitque gratiæ medicinalis ſinceras ſeverasque in vitiis eradicandis, evellendisque manus, metuens cuti ſuæ, ac vitæ vetus homo delicatulus, retrahit pedem, perdit patientiam, non repellit amplius malum occultè ſibi adhuc carum, rem judicat impoſſibilem, hoc ſaltem tempore, differt, bona ut ipſi videtur, ſpecie rem in occaſionem meliorem, annosque maturiores, firmiterque concludit, ſe ſalutem ſuam non neglecturum, æternitatem enim mereri attentionem, ſed non defuturum ad hoc tempus cum deferbuerit æſtus juvenilis, ſic impatientia feliciter, ut putat excuſſit ad tempus jugum, & forſan in æternum, triſtiſſimo ac frequenti adeò errore, ut nullæ ad deflendum eum ex merito lachrymæ ſufficiunt.

60. Ut taceam inepta media, quibus homines utuntur ad ſedandam & compeſcendam hanc impatientiam; ii enim qui ſibi adhuc aliisque videntur meliores novos per intervalla conatus curſusque in ſtadio veri boni ſuſcipiunt, cum præveniens gratia corda indeſinenter conſcientiæque torquentis latus pungat, quin & amoris quibusdam excitet ſcintillis, ſed nec iſti abnegationis ſtrictæ Chriſtoque unicè placentis ferre, quem putant rigorem, nec precibus indeſinentibus inſiſtere, nec dulce ac leve Salvatoris ſuaviſſimi onus geſtare diutius volentes ac valentes, vivam fidei flammam, quæ in ipſis jamjam poterat eluceſcere opprimentes, temperant ſibimet ipſis abnegationis rigorem, ut putant, ſtrictiorem, hærent in externis ignotisque cordi precibus, cultum externum ex opere operato omnem operosè obſervant, humilitatem externa ſpecie habituque effingunt, charitatem liberalitate quadam externa ſimulant, hæcque inepta media impatientiam ſuam animæ lethalem augentia præferunt mediis palato carnis delicatulæ minus arridentibus damno vix reparabili.

61. Quem-

61. Quemadmodum autem non potest viva boni cognitio esse sine desiderio boni, & hoc desiderium non existit sine cognitione miseriæ humanæ, ita qui sapiens esse cupit, omnes miseriæ gradus, speciesque proh! dolor plerisque occultissimas debet cognoscere.

62. Neque solas communes post lapsum infelicissimum humani generis miserias, sed & omninò ac præcipuè eas, quæ sibi propriæ sunt & peculiares, quod sine luce divina fidei, humiliter à Deo exoranda, fieri nequit, firmumque requirit atque immobile propositum, cum res ista, primùm levis visa, carni sit intolerabilis, quæ pulchrior sibi, nec adeò turpis, vult videri.

63. Etenim is nondum sapiens est, qui communem humani generis miseriam agnoscit, & suam stultitiam ignorat; Lyncei enim sunt homines in nævis aliorum detegendis, talpa verò cœciores in propriis, nisi fidei lux divina potenter istas detegat latebras, sordesque.

64. Porrò uti desiderium veri boni tanquam pars prima cognitionis vivæ sine agnitione propriæ miseriæ esse nequit; ita tamen idem ejusque possessio hac sola cognitione non absolvitur, utpote cum hæc saltem intellectum afficiat, insuper verò requiratur emendatio voluntatis solida, cordisque immutatio per gratiam, præcedere atque accedere adhuc debet displicentia seria ac nausea hujus miseriæ, ac pœnitentia vera.

65. Vera pœnitentia hominibus admodum ignota facta est in ἀκριβείᾳ sua per rationem status philosophiæ papalis & carnalis, eoque major danda est opera, ut Spiritui S. relinquatur sinceri hominis cor, ut dispellere vi luminis verbi divini umbras illas, illamque in eo excitare pœnitentiam per fidem valeat, quæ placeat Domino, ac mereatur dici μετάνοια, quod sane opus est divinum, meritis ac sanguine Christi nixum, hominemque adeò immutans, ut alius coram Deo ac hominibus viva fide opereque ipso compareat.

66. Nulla vera pœnitentia eſt ſine pudore facti, dolet enim, pudetque pœnitentem ſe benigniſſimum Patrem Deumque adeò impudenter, cogitationibus, verbis, factisque adeò impudenter offendiſſe, gratiamque toties oblatam turpiſſimè repuliſſe.

67. Neque eſt pudor rationalis ac ſincerus ſine ſerio propoſito, ſtultas illas actiones, & quicquid eſt mali, imposterum omittendi, etiamſi eas committere poſſimus ſine metu pœnæ, iſtudque propoſitum, ſi ſalutare veræque pœnitentiæ ſit ſignum, opus eſt Spiritus S. conſtans, firmumque vel formatum ſanè vi rationis humanæ propoſitum quantumvis ſerium ac probè deliberatum huc nulla ratione ſufficit, nec ſuſtinet probationem, altior hic virtus ac Chriſti perfidem præſentia requiritur, neque enim creatio novi cordis, ſeu immutatio veteris per gratiam fidei, negotium humanum eſt.

68. Uti verò ſerium hoc propoſitum in ſe non involvit neceſſariò fletum, ita ſenſibilis dolor ob offenſionem graviſſimam optimi patris non æqualiter omnes occupat atque affligit, utut enim ſinceri omnes eum intus vividè percipiant, quosdam tamen benignus in cœlis pater mitiori ad ſe via funibusque amoris trahit, quosdam iræ ſuæ vividiori ſenſu profundius cenſet præparandos.

69. Plurimæ ſunt, frequentesque proh! dolor pœnitentiæ fucatæ falſæque ſpecies, nec ſignis proin fidendum externis; cum ſint multi flentes & ejulantes ex metu pœnæ, aut etiam ex ſpe acquirendi honoris & divitiarum, non ex pudore ſerio commiſſæ ſtultitiæ, talesque lachrymæ ſinè fructu ſalutari excreſcunt, relinquuntque hominem in miſeria.

70. Dantur verò & quædam ad veram pœnitentiam præparationes ac viæ inter ſe haud cædem; ſunt enim quos ſeriò cum pudeat actionum commiſſarum, flent ac plorant; alii contra, dum eos pudet rei geſtæ, tacent & ſerii ſunt, etſi non plo-

plorent, alii propriam cum indignatione adversus se ipsos seria irrident stultitiam.

71. Ubi verò ad seriam res divinoque dignam spiritu pœnitentiam evalescit, idem omnibus in corde contrito dolor, licet sensus non idem externè eadem dispicentia totius vitæ ac corruptionis suæ, idem firmum emendationis propositum à Deo perficiendum gratia suâ; nec jam hærent in contemplandis semetipsis, hæc enim pœnitentiam non absolvere probè norunt, ad Christi meritum ac vim sanguinis ejus se fides nascens convertit, eum apprehendit, ei se tradit, ac per illum ad Patrem fiducia filiali accedit, cui demum vera hæc placet pœnitentia, qui scil. pœnitens mortem citius adiret, quàm deliberata rursus voluntate patrem offenderet.

72. Sapiens flere ac ridere potest occasione se offerente; nec tamen ista sunt sufficientia internæ animi dispositionis signa; quanquam & ea sit sapientis, non affectata, gravitas, ac seria coram Deo suo conversatio, quæ externum ejus habitum ad Christianam componere modestiam, veramque hilaritatem, ac perpetuam spiritûs lætitiam, à mundano falsoque gaudio probè, facilèque distinguendam, in eo excitare constanter valeat.

73. Nec vita est Christiani veri vitâ lætior, nec aliorum gaudia cum Christianorum gaudiis merentur comparari, sive gradum, sive constantiam, sive fontem objectumque jucundissimum lætitiæ respicias, omnia hîc divina sunt, exceduntque captum ac sensum rationis naturalis. Adeò affectata Monachicæ philosophiæ tristitia à veris exulat Christianis.

74. Non impediunt verò illa tentationis tempore fletum, gemitumque, neque enim eâdem via suos ducit Deus, qui solus vera eorum scit commoda, ac veras necessitates.

75. Nec verò licet risum damnare omnem, nec fletum omnem inter actiones referre stultas. Cum & inter fletum, ejulationem, & aliorum conjuncta his impatientiæ murmura

sit

ſit diſtinguendum ; ac candidè proin in judicando proximo agendum.

76. Rectè etiam hîc inter ſapientem infimi gradus , & ſapientem adultum diſtinguendum eſt , modò adoleſcere illi, ac creſcere non deſinant, quisquis enim in hac ſapientiæ vita non creſcit , nec proficit , ille decreſcit, ac facilè omninò deficit ; infantes qui cum ſuppetat nutrimentum non amplius creſcunt, incipiunt decreſcere , ideſt, tabe conſumi, tandemque mori , quæ aptiſſima eſt negotia huic ſummè neceſſaria comparatio; probè penſitanda, maximique momenti.

77. Erunt igitur quæ excuſare liceat in Sapienti gradus infimi atque incipiente , in adultis minimè excuſanda vel ferenda. Modò ſinceri ſint, atque aſpirent, contendantque ardenter ad incrementa Sapientiæ, quæ lubens largitur dator boni omnis , ſic enim brevi adoleſcent, fructusque ferent Patre cœleſti vivaque fide dignos.

78. Pœnitentia quæ ex ſolius dictamine rationis fluit , non poteſt non triſtitiam mundi, quæ mortem operatur, ac ipſam dehinc poſt ſe trahere deſperationem ; hanc verò pœnitentia vera ac ſalutaris â Dei Spiritu excitata penitus excludit , videt illa miſeriam ſuam ſordesque fœdiſſimas , ſed videt quoque illuceſcente jam fidei naſcentis lumine Dei miſericordiam in Chriſto, quem apprehendit , eique intimè conjungitur vinculo ac ſubjectione indiſſolubili.

79. In ſpuria autem quam diximus modò rationis pœnitentia non poteſt non minari deſperationem deſiderium fruſtraneum (cum vires remedium natura nullum poſſit ſuppeditare) boni , quod conſequi nequit ſuis viribus , ac fruſtranea fuga mali quo laborare ſe agnoſcit , quodque avertere tamen, imò nec minuere queat, ob ſummam impotentiam & mortem in qua jacet. Quantò igitur feliciores quorum in corde Deus pœnitentiam ſuſcitat ipſe ſalutarem.

80. Quisquis vera boni cognitione ac poſſeſſione gaudet,

det, fructu ejus, promptitudine aliis viam monſtrandi ad felicitatem ſolidam unicamque nunquam deſtituitur.

81. Non tamen viceverſa omnis ſtatim, qui prompte aliis viam ad felicitatem monſtrare vult, vivam veri boni cognitionem ac poſſeſſionem habet; nimis enim prompta in hoc plerumque eſt ſuperbia humana, putatque ſe aptam quæ aliis commonſtret viam quam ipſa ignorat.

82. Etenim miſeria & ſtultitia humana etiam in eo conſiſtit, quod præjudicium impatientiæ homines ſeducat, ut facilè putent in media infelicitate ſe felices eſſe, cujus ſanè infinita exempla oculis animisque obverſantur, qui miſeriam deflent propriam atque alienam.

83. Atque hæc ſtultitia aliam parit, ut alios juxta ſe, ſæpe verè ſapientes tacitè contemnant, & ex intempeſtiva miſericordia eos emendare velit, quorum ipſa potius opera atque manuductione indigeret; quæ perverſa agendi ratio ob philautiam ac ſtultam præſumptionem cordis humani frequentiſſima eſt, & plerorumque malorum fons inter Chriſtianos, cum quilibet ſibi ſapiat, ſibi placeat, ſibi blandiatur, cum deberet diſplicere ſibi, ac ſeverus eſſe in propria correctione, ejusque rigoroſo examine ad Lydium ſcripturæ lapidem, natumque ex hac internum quod ex fide eſt, Spiritus Sancti teſtimonium, quo ſine fruſtra ſibi de quacunque etiam ſpecie ac apparentia ſapientiæ acquiſitæ blanditur exitioſo animæ ac æternum deplorando deteſtandoque onore. Plerique bona fide ſe decipiunt, hypocriſi eò imprudentiore atque impudentiore quò facilius ſcire errorem divino auxilio, ſi vellent, poſſent.

84. Porrò promptitudo illa alios emendandi cum hilaritate & ſereno animo conjuncta eſſe debet, ſi ſit fructus veræ ſapientiæ, proximum ex animo charitate repleto alacriter juvante.

85. Unde iſta promptitudo nequaquam pro fructu ſapientiæ habenda, quæ conjuncta eſt cum anguſtiis, dum illi

quos emendare velles, viam ſapientiæ contemnunt, aut eam calcare nolunt ; licet enim vera charitas hoc in caſu impensè doleat proximi bonum repellentis miſeriam, acquieſcit tamen, ſua ſi fideliter præſtiterit, in voluntate divina.

86. Nec obeſt quod ſapientia hypocritica urgeat officia ſeriæ miſericordiæ. Nam nec hæc conjuncta eſſe debet cum inquieta cura & anguſtiis. Seria enim miſericordia rogat, urget, inſtat, ἀκαίρως, ἐυκαίρως, ſi non exaudiatur rem committit Deo, qui novit ſinceritatem ſuam, manetque in ipſius beneplacito quieta.

87. Sapiens ad emendationem aliorum ſapienter accedit, ſeligitque oblatas à Deo occaſiones viam ſapientiæ aliis monſtrandi, urgente charitate, nulla animi elatione, nec imperio in alios affectato, nec vi quaſi facta, ſed leni fidei Spiritu opus tam ſalutare dirigente ; ſciens homines nequaquam increpationibus & ſubtili doctrina de ſapientia reduci poſſe in viam ſapientiæ, ſed ſuavi ex vera charitate admonitione, ſi (non excludente tamen ſeriam aliquando adhortationem ex genuino natam zelo) atque laudabili exemplo.

88. Is enim optimè viam monſtrat, qui ipſe cum fiducia & hilari animo præit; ſic enim agnoſcent ſegnes, torpidique animi vim fidei, ac Chriſti in corde habitantis efficaciam fatebuntur, eamque alacrius, quam antea, majorique niſu ſectabuntur.

89. Nam ſi is qui præit in propria peccet præcepta, aut conqueratur de difficultatibus, aut multa loquatur de doloribus iter hoc ingredientium, non poterit in errante cupidinem ſequendi excitare, quin ejus potius avertit animum dejicitque, qui erigendus, ſtimuland uſque, erat.

90. Quin potius opera danda præeunti, ut conquerentem de difficultate ſequendi erigat rationibus non longè quærendis, promptitudine auxilii divini, exemplo Chriſti, ac fidelium

lium aliorum, jucunditate viæ quæ in progreſſu ipſum maneat, ac ſpe præmii gratioſi.

91. Siquidem omnis mutatio actionum quibus adſueti ſumus initio difficilis & in amœna eſt; cum maximè intimos in corde ſibi maloque complacente radices egerint indeque cum ſenſu vividiſſimo evellantur, extinguanturque, quos carnem dolores averſari certum eſt.

92. Interim continuatione pedetentim evaneſcit illa difficultas, vincente gratia naturam tam firmiter hactenus reluctantem ac ſubjugante perfidem; præprimis autem ſi quis deſueſcat ſub blando S. Spiritus regimine actionibus ſtultis, & adſueſcat magna cordis fidelis alacritate ſapientiæ ſanctoque ejus ductui.

93. Notum proverbium: Dimidium facti, qui bene cœpit habet! Si firma ſtet ſententia, Chriſtoque Regi ac Domino ſuo plenè tradita ſubditaque maneat fidelis anima.

94. Nec eſt quod dicas, planè non eſſe in poteſtate præeuntis, ut cupidinem eundi excitet in altero. Etſi enim non ſit planè in ejus mero arbitrio, ejus exemplum tamen multum juvat hanc excitationem; plurmium verò exemplum Chriſti præeuntis, ducentisque ad beatitudinem veram, ac benedicentis labori eorum qui fideliter aliis in ſalutis præeunt via.

95. Ergò ut viva debet eſſe cognitio ſapientis, ita etiam doctrina ejus debet eſſe viva.

96. Nam & hæc ſola capax eſt, benedicente Domino, alterius deſiderium ſequendi incitandi, cum videt poſſibile eſſe, ac præſtari à præeunte, quod viſum ſibi prius erat impoſſibile, nimisque arduum, nullisque gratiæ viribus attingendum.

97. At nulla doctrina de bono magis viva, quàm ſi ductor præeat hilari animo, monſtretque ſuo exemplo non eas eſſe viæ difficultates, quæ ſuperari nequeant.

98. Sed debet iſta hilaritas etiam eſſe ſincera, non affectata; quod diſcentes facilè animadvertunt, concludentes,

haud ſinceram eſſe præeuntis alacritatem, ſi ipſe ſe paſſim in via ſubducat, ac ſubinde indulgeat aliquid naturæ, contra ea quæ aliis inculcaverat.

99. Unde qui hilari, plenoque viva fide animo non eſt præditus, ſed quem ſpiritus triſtitiæ, ſpiritus hujus mundi regit, parum aptus eſt ad viam aliis monſtrandam; Spiritus enim S. ſanctæ perpetuæque in internis lætitiæ author eſt, quanquam ad iſtam quæ in Spiritu S. eſt lætitiam per ſalutarem pœnitentiæ triſtitiam perveniatur.

100. Quæ hactenus de natura veræ ſapientiæ dicta ſunt, etſi non pertineant in ſpecie ad Medicinam, à ſtudioſo tamen Medicinæ probè diſcenda ſunt; cum & ſalubertima hæc ars ad ſapientiam pertineat, & maximè excultam ea mentem quàm maximè requirat, ſi progredi inoffenſo pede, divinaque frui in pretioſo opere benedictione velint operam illi dantes.

101. Et quidem doctrina non tam memoria tenenda, aut in nudis ſpeculationibus ſubſiſtere debet, ſed requiritur etiam aſſenſus ſtudioſi ex corde proveniens, & deſiderium veræ ſapientiæ producens; in quo acquieſcendum, ſubſiſtendumque minimè eſt, donec ad poſſeſſionem ejus magis magisque provehatur, gaudeatque corde perfidem immutato, Deoque penitus ſubjecto unitoque, ex quo deinceps boni omnis fonte vera fluit in rebus proſperè agendis prudentia.

Cap. II.

CAUTELÆ CIRCA MEDIA PERVENIENDI AD SAPIENTIAM.

1.

DE mediis perveniendi ad ſapientiam tractatio facilis eſt eam ſeriò deſiderantibus difficillima contrariis, qui absque deſiderio ſerio putant, rem pertinere ad ſpeculationes ſubtiles.

Nam

Nam & iſtud ſerium deſiderium à Deo ſolo eſt datum animæ, continetque jam ipſas ſapientiæ primitias ſi ſerum ſit. Habenti enim hoc dabitur. Divino autem adjutus lumine facilè tutòque progreditur; reliquis hæc via non difficilis, ſed impoſſibilis eſt, nulla enim hic rationis ſibi relictæ lucula, efficacia, ἀκρίβεια ſufficit, ſubtilesque ſpeculatores pereunt in viis ſuis.

2. Unde hîc magis vitandi errores communes & præjudiciis philoſophiæ vel paganæ vel Monachalis, adhuc proh dolor regnantis, quam ut opera ſit danda, præceptis multis ſubtilioribus aut cognitu difficilibus. Pauca omninò præcepta ſunt quæ Chriſtus ſuggeſſit in ſcriptura, modò illa cordi ſpiritu ejus vivè ſint inſcripta fideliterque obſervata. Qui verò novit errores ac præjudicia vitare ipſius jam ſapientiæ illis oppoſita tenet exſequiturque præcepta.

3. Imprimis verò cavendum, ne calloſo ſtultitiæ ulceri emplaſtrum ſaltem extus imponatur neglectis qui intus ſerpunt, mæandris ſinuoſis, neglecto puris fonte impuro ſanguine, animæ fundus, cor hominis corruptiſſimum penitus fide immutandum, ex morte ſuſcitandum, intima mali ſtamina eradicanda, omniaque, ſi veram ſperes ſanitatem, ad vivum reſecanda.

4. Nec ſolùm primariò cures intellectum, tota anima infecta eſt, eadem illi tota intelligit, tota vult, eſtque ipſe intellectus & voluntas, illa igitur in vitam à Deo, in lucem atque rectitudinem reſtituenda eſt, expers naturâ ſapientiæ veræ omnis ac divinæ; ſed nec datur alia quàm divina illiusve emanationes ac rivuli.

5 Cum igitur voluntas fons meritò dicatur ſtultitiæ, illi primariò ac non minus quàm intellectui offuſcato applicanda remedia, adque illam pariter dirigenda, ut ſanentur animæ ſtultæ intima, eaque vero unici Regis ſubjiciatur regimini ac ductui,

ctui, qui rectiores in ea cogitationes, volitionesque verbo vivo fideque potenter excitat eamque sanat.

6. Datus fuerat homini intellectus à Deo, ut ejus cogitationes adhibeantur ad promovendam felicitatem suam, sed abusus est eo ad perniciem totius generis humani, perditque serenam imaginis divinæ lucem, obscuram verò infectamque umbris infernalibus luculam retinuit, rationem, etiam illam nunc pro dono divino agnoscendam, cum gratiæ debeatur, quod non & istas amiserit reliquias ingratus stultusque homo.

7. Præsens ergò infelicitas probè pensitanda, ac deploranda, media à Deo oblata amplectenda, ac seriò quærenda, tum demum, ope divina, cogitationes ad acquirendam veram felicitatem adhibentur. Ergò ante omnia viribus gratiæ, (ratio enim sibi relicta hîc nihil potest, sed gaudet suis sordibus) ejicienda stultitia & cum eæ stultæ cogitationes; aliâs frustra cerebrum multis etiamsi subtilissimis repletur cogitationibus.

8. Non possunt autem ejici cogitationes stultæ, quamdiu voluntas intellectum ad stultas cogitationes impellit, nec ejici possunt stulta desideria, quamdiu stultis intellectus ideis occupatur, ac divina luce caret; tamdiu autem impellit voluntas cogitationes ad stultitiam, quamdiu ipsius desideria feruntur ad appetendas res noxias & stultas; ac tamdiu intellectus voluntatem incitat ad desideria & volutiones stultas, quamdiu stultas noxiarum verum ideas illi offert, lucique divinæ præfert.

9. Hactenus enim Sapientia in cor hominis introire non potest, nec in anima ejus, quæ ipsissimum hoc cor sine controversia est potest operari, donec stultitia naturalis, cœcitas illa ac pravitas diabolica utriusque facultatis profundissime eheu! radicata, expellatur vi divinæ lucis ac fidei.

10. Neque enim venit Sapientia in animam malignam, nec in corpore habitat peccato serviente, cum qui eam solus docet ac largitur Spiritus Sanctus tam impuro uti domicilio nequeat, nisi sincerè id curæ ejus fuerit traditum ac medelæ.

11. Uni-

11. Unicum enim cum ſit remedium ad obtinendam ſapientiam purgatio cordis, hoc eſt, animæ totius corruptæ, omniumque ejus facultatum miſerarum, nemo non videt omnipotentis hujus Medici ſolius hoc ingens eſſe opus ac novam creationem.

12. At purgationem cordis quis, niſi Deus optimus, promovebit? Cum omnes homines natura ſtulti ſint, ſtulti autem omnes horreant ſapientiam, & ament ſtultitiam in ipſis regnantem.

13. Errant qui ſapientes fieri putant merè naturaliter, & ſua ſponte, per ætatem profectam & experientiam; ad ſapientiam hujus mundi hæc ſufficiunt, uti quotidiana triſtisque loquitur experientia, ſed hæc coram Deo ſtultitia eſt, ab ejus luce ac voluntate aliena. Vel ethnici dixere: Nulla ſine Deo mens bona eſt. Cor immutandum purgandumque. Ætas igitur atque experientia rationem docent cogitare diſtinctè, ſi ritè attendat. Bonum verò cogitare non docent, nec enim id poſſumus propriis viribus, ſed quod quis ad bonam cogitationem ſit idoneus, id eſt à Deo, teſte omni exceptione majori ipſo Deo. Ergò nec intellectus impurus naturaliter ſuisque viribus poteſt purgari, vel ſi mavis illuſtrari, niſi à ſolo Deo.

14. Purgandum eſt cor quærenti viam Sapientiæ puriſſimam (Sapientiæ ſcil. non hujus mundi, quæ ſibi relicta diabolica eſt teſte Apoſtolo ſed divinæ à Deo datæ, natæque) à Deo cor mundum petit Davides, omnesque boni, nec aliunde id poteſt obtineri.

15. Si quæras: an ergò homo mediis naturalibus nullo modo poteſt purgare cor? an via ad Sapientiam tota eſt ſupra naturalis? Reſp. Poteſt homo, uti excolere rationem acutè ſed bonum ſine ope divina non cogitare, ita etiam poteſt, malitiam videns propriam, enormem ab ea abhorrere, abſtinere propriis viribus ab actibus externis enormibus metu pœnæ, poteſt cor purgare, h. e. fœdiores præ aliis atque ſtultas maximè

cogi-

cogitationes & volitiones averſari aliquando , ſed non poteſt illis imperare , non poteſt cor mutare , ut velit bonum quale Deus vult , ut non amplius deſideret malum , nec quærat ſe ipſum , tanquam ſcopum imò Deum ſuum ; hoc homo non poteſt, hoc cor non poteſt , hoc ſolus Chriſti Spiritus poteſt, teſte Scriptura , huic ſanè credendum ; & hæc eſt una ad Sapientiam via ; perſpicacitas rationis ſuis regulis excultæ non eſt ſapientia , nec ſuperficialis voluntatis purgatio à craſſis ſordibus ſapientiæ eſt complementum , ſed requiritur intima animæ à Spiritu Dei facta emendatio.

16. Diſtinguenda ergò ante omnia ſolicitè natura & gratia, cum harum confuſio infinitorum & maximè noxiorum errorum origo ſit. Abſit ut naturæ tribuamus , quod gratiæ eſt. Solus Deus cor novum, bonum, & promittit & largitur, ipſe ſolum cor lapideum, ſtultum, naturale aufert.

17. Felicitas naturalis ſolis mediis viribusq; naturalibus ac rationis excultæ acquiſita, quantumvis ſibi in ea placeat, blandiaturque homo eſt ſumma ac deploranda infelicitas ; quæ quò frequentior in hoc ſeculo eſt, ac deſiderio flagrantiori plerisque quæſita , eò in oculis Dei piorumque eſt deteſtabilior, avocans quippe hominem , retrahensque à ſummo bono , veraque ſapientiæ via; hoc laqueo plerique ſuffocantur , eò mirabilius, quod & illi ſuffocentur , qui laqueum ſola ſpe attingunt inanum.

18. Hæc igitur felicitas ab ea probè diſtinguenda , quæ gratiæ viribus paratur, ac ſupra naturalis ſolaque vera, & ſolida eſt, hanc quisquis, etiam in primitiis poſſidet, naturalem eo ipſo etiam habet felicitatem , licet non carnalem , quam deteſtatur; qui verò ſolam, ſive hac verâ , poſſidet naturalem felicitatem , poſſidet infelicitatem ſummam , ſummum inter Deum animamque obſtaculum. Diſcamus igitur probè diſtinguere veram felicitatem à falſa atque imaginaria hujus mundi quà corrupti.

19. Di-

19. Distinguendum porrò inter Lumen Naturæ & gratiæ. Absit ut alterutrum rejicias, negligasve lumen; Utere fideliter utroque; corrige, emenda lumen rationis obscurum per clarum lumen gratiæ per fidem efficacis; nec fide unquam rationis lumini, nisi gratia fideique lumen illud illustret. Fidei lumen est panacea luminis rationis, illo præsente salutariter uteris tutoque lumine rationis jam correctæ, Christoque subjectæ. Felix cui semper ille lucet phosphorus.

20. Felix ille, fidelisque Doctor qui semper loquitur de gratia statimque ad eam ducit discentes, fugit hæc vita, incerta est, momentum est, hoc ergò momento indiges gratia, quam nisi habeas, obtineasque æternùm moriere miser, à morte verò nullo tutus es momento, Sapientis verò est sibi prospicere de rebus summi momenti, quæ sunt illæ ad æternitatem spectantes; hîc non licet bis peccare.

21. Nec dicas, per gradus eundum, & primùm excolendum naturalibus mediis naturæ lumen, postea perficiendum lumine gratiæ; sed quæso, quis tibi vitam certò promisit tempusque tuum annon præstat simul hæc agere ac se permittere emendanti per verbum spiritui divino in corde operanti, tenebrasque omnes dispellenti, hæc lux vera est rationis. Cultura, atque unica, hanc injunxit Deus, qui medium dedit, hunc sequamur; ethnici hoc medio destituebantur, gaudeamus nos eo non destitutui, atque utamur eo grata mente.

22. Quin & circumspectè distinguendum est inter sapientiam & virtutes naturales & supernaturales; absit ut negemus distinctionem hanc in praxi proh! dolor ubivis obviam ac fundatissimam, ita tamen ut naturalis ubique prævaleat, atque unicè dominetur in contumeliam veræ ac divinæ Sapientiæ.

23. Homo à natura ad stultitiam inclinans, etiam in illo statu ac lumine potest sibi virtutes aliquas naturales, mediante lumine hoc naturali obscuro ad felicitatem aliqualem

hujus vitæ externæ acquirendas, ſibi comparare, ſed illæ coram Deo non ſunt virtutes, quia non ex fide fluunt, & talis ſapientia naturalis, vel ipſam excedens ſuperansque Lokianam ἀκριβειαν ſtultitia eſt coram Deo, cui extra fidem in Chriſto nihil placet.

24. Nec dicas, quærendam primùm hanc ſapientiam, has primò virtutes acquirendas, dein veræ ſapientiæ, divinisque perfidem virtutibus operam quoque dandam; hoc enim non tutum eſt; quis de vita te certum reddet non prius finienda. Tolle moras. Neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. Annon præſtat ſtatim & ipſo hoc momento cor date Deo, & ab æternis incipere, qui hæc, qui Chriſtum habet omnia habet, etiam naturalem in ejus ſchola Sapientiam diſces, qui illum non habet, nihil habet Sapientiæ. Agitur de re ſumma. Proſpice Tibi.

25. En Exemplum: Si quis ingentem Tibi auri vim via ſecura certaque promitteret, omnibus tuis deſideriis ſuperiorem, aliam verò alius viam proponeret prius tentandam, qua diſperſos quosdam auri mixtasque ſordibus partes colligendæ tibi ſtudiosè cum ingenti ac periculoſo temporis diſpendio ac eruendæ eſſent ex luto cui immerſæ jacent; conſultum ne eſſet hærere in his colligendis, ac non potius primam amplecti illicò viam, quæ omnem unà auri ut in, & has quoque conſequenter maſſulas poſtea quietè per otium quærendas indagandasque, tibi queat exhibere. Nihil amittes quærendo veram ſapientiam ex Deo, quærendo naturalem ſolam nihil invenies, omnia amittes, nihil ages, æternam patieris jacturam.

26. Nec dicas porrò: hæc ad Theologos pertinere, pertinent enim ad veram, & unicam ſolidam Sapientiam, ſine qua pereundum omnibus; aut ergò tacendum de Sapientia, aut hæc dicenda. Divina luce deſtituta Sapientia eſt mundana, diabolica, animæ ruina, teſte ſcriptura.

27. Si dicas: Quæri de felicitate hujus vitæ, qua gratia

Dei

Dei univerſalis naturæ non oppoſita homines regat ſua providentia. Sed cogita, etiam gratiam Dei ſpecialem naturæ non eſſe oppoſitam, ſed eam juvare atque à morte excitare. Dirigit Deus etiam impiorum felicitatem ad gloriam ſuam, ſed non ideò illi Deo placent; injungit omnibus hominibus μελάνοιαν, teſte Paulo; ergo felicitas hujus terræ vel vitæ, ut ſit felicitas debet fundari in Chriſto, extra illum eſt ſumma infelicitas; Nemo niſi Chriſtianus verus felix eſt, quicquid credant, faciantque homines in praxi. Dies judicii decidet! Sed & dies hujus vitæ ſæpe hîc decidit, dirimitque hanc controverſiam. Felix cui Deus oculos aperuit.

28. Commune medium omnia bona acquirendi tribus verbis efferri poteſt: Ora & labora.

29. Ergò & intuitu Sapientiæ ora Deum, tanquam Patrem luminum, ut actiones tuas dirigat gratia ſua & providentia (mundato ſcilicet per fidem prius corde, neque enim ſine hac potes orare) quò finem optatum in acquirenda felicitate adipiſcaris veraque Sapientia, ac tranquillitate animi vera ac conſtanti, quæ in homine naturali ſine viva fide eſſe nunquam poteſt, de quo ipſa quemque convincit irrefragabiliter conſcientia, ſi ipſe ſibi non velit illudere.

30. Labora ipſe in acquirenda ſapientia meditando, experiendo, utendo doctrina ſapientum virorum; certus verò es de illis qui acti Spiritu Sancto S. nobis dedere ſcripturam.

31. Circa præceptum de orando probè cognoſcenda differentia veræ & falſæ orationis; non enim niſi ex fide orandum. Semper atque indeſinenter orare jubet Spiritus Sanctus; ergo cuivis orandum tota vita, omnibus actionibus, verbis, cogitationibus, omnia hæc ſint vera oratio, mentisque ad Deum elevatio, neceſſe eſt.

32. Serium ſapientiæ deſiderium nihil aliud eſt quam vera oratio, & vice verſa.

33. Ergò veræ preces non consistunt in multiloquentia & battologiis, sed puro cordis desiderio.

34. Eædem omnium optimè fiunt separatim, & quando cor, fide purum, per circumstantias rerum vel hominum non potest ab attentione avocari; quanquam fidelium preces ubique durent.

35. Neque ad veras preces multa aut subtili meditatione opus est, sed viva fide.

36. Vanæ & stultæ preces habent his opposita prædicata; vanæ ac veræ preces rectè intelliguntur per simile duorum filiorum, quorum unus Patrem sine fiducia saltem honoris ergo eleganti oratione alloquitur, alter autem vera fiducia cum paucis alloquitur verbis, oculis verò cum teneris amantissimè atque ardenter intuetur.

37. Unde jam facilè intelligi potest, quænam preces fieri queant indesinenter, & à quo, scil. à fidei plena anima ad amantissimum suum perpetuò anhelante Deum.

38. Et cum experientia testetur, quod apud homines plus operentur oculi desiderabundi, & aliæ actiones, cupiditates nostras ipso facto testantes, quam verba actificialia, necesse est ut apud Deum, tanquam cordium scrutatorem plus operentur suspiria ex corde fideli surgentia, quàm multiloquium hypocritarum, tum crassorum, tum subtilium.

39. Cavendum porrò est circa præceptum de orando, ne oratio fiat de rebus stultis.

40. Scilicet regulariter homines nesciunt quid petant, regulariter res noxias petunt, quia fide, oculo animæ, destituuntur; ignorantque unum necessarium esse, cætera non sine conditione, voluntatisque divinæ exceptione petenda, ac petenda fide in Christum firmâ.

41. Quicunque ergò sapientiam à Deo vult orare, non meliorem formulam inveniet, quam orationem Dominicam.

42. Ergò hîc rursus cavendum, ne in verbis orationis Domi-

Dominicæ tanquam in cortice hæreamus parum attenti ad nucleum, more hypocritarum, eorumque qui non niſi imaginariam habent fidem.

43. Multò magis cavendum, ne nimis æſtimemus & inhæreamus formulis precum ab hominibus etiam piis inventarum; fidei vivæ filiales formulæ nunquam deſunt.

44. Cavendum denique, ne oratio confundatur cum labore, quod ii agunt, qui fide deſtituti preces cum tædio ac difficultate faciunt, horum oratio labor eſt, adeoque illi ſolo labore absque vera oratione ſe putant pervenire poſſe ad tranquillitatem animi, quod tamen impoſſibile eſt. Piorum verò omnis labor coràm Deo oratio eſt. Laborant ac orant ſimul, dumque laborant ex mandato Dei aſſiduè elata ad Deum mente, orant.

45. Fructus veræ orationis eſt conſecutio Sapientiæ & felicitatis, ſine fide autem in Chriſto viva nec oratio eſſe poteſt, nec Sapientia, nec felicitas, nec animi vera tranquillitas.

46 Labor experientiæ, meditationis, doctrinæ manuductione ſapientium, & præceptoribus indiget, qui vel mortui ſunt, id eſt libri, vel vivi.

47. Equidem ad acquirendam ſapientiam multis libris haud eſt opus, ſed ſufficiunt libri tres, liber naturæ, liber conſcientiæ, & liber Scripturæ, modo ſupperat verum lumen.

48. Quod librum naturæ attinet, Deus ſuam inviſibilem eſſentiam & divinam potentiam manifeſtavit in ſuis operibus & creaturis.

49. Atque adeò ante omnia cavendum ſtudioſo ſapientiæ, ne in ſpeculatione naturæ & eſſentiarum arbitretur, ſe ſolo ſuo lumine naturali pervenire poſſe ad veram earum ſcientiam, cum omne tale ſtudium, cujus ſcopus primarius non eſt venerari atque admirari in creaturis ſapientiam Dei ineffabilem & incomprehenſibilem, vergat in ſtultitiam homini, ſuis ſibi ſubtilitatibus ac crepundiis blandienti ac placenti.

50. Cavenda etiam eſt alia ſtultitia Sapienti, ne forſan putet ſapientiæ adverſari admirationem operum Dei, incipiatque admirari ultra juſtum modum artificia & Machinas ab hominibus inventas, operibus Dei infinities inferiores.

51. Etenim ars eſt ſimia naturæ, & nulla ſcientia humana pediculum, vel machinam pediculo ullo modo comparandam poteſt producere. Nimium hæc diſtant.

52. Quodſi dubites, quomodò profeſſio ignorantiæ de rerum natura poſſit manuducere ad ſapientiam, recordare eorum, quæ ſupra diximus de finibus exiguis intellectus humani, eorumque neceſſaria agnitione in ſtudio ſapientiæ, quare hæc ignorantia efficitur ſapientia, quia eo ipſo ſenſibiliter cognoſcitur hæc imperfectio intellectus humani.

53. Adde quod etſi rerum eſſentias & veras cauſas tam profundè ignoremus in Phyſicis, ſufficiat tamen ad utilitatem generis humani, ſi modò benè utamur cognitione effectuum naturæ in timore Domini ac coram facie ejus.

54. Prodeſt etiam hæc cognitio effectuum naturæ ex parte ad cognitionem ſui ipſius, quæ eſt pars libri ſecundi, ſcil. libri conſcientiæ.

55. Conſiſtit verò cognitio ſui ipſius, præter notitiam corporis ſui, tanquam microcoſmi ſeu compendii creaturarum, in eo præcipuè, ut quis ſentiat ſuam à lapſu miſeriam, cœcitatem in intellectu quà res divinas, pravitatem in voluntate ſummam, & ut in ſe diſcat vivo fidei lumine accuratè diſtinguere motus naturales & ſupra naturales; ſeu naturam, & gratiam, atque huic vera ſinceritate ſe ſubmittere, tanquam mortuum, cœcum, miſerrimum, ſolaque ejus ope purgandum, ex morte ſuſcitandum, viſu ac lumine donandum.

56. Non meliorem librum verò ſtudioſus Sapientiæ inveniet, qui ad veram naturæ & ſui ipſius cognitionem manuducat, quàm ſcripturam ſacram, modò ſinat cor ſuum à Domino

mino aperire, uti cor Lydiæ, ut vera Spiritus S. fideique per verbum Dei vivum luce impleatur.

57. Quod autem alii communiter arbitrentur ſcripturam ſacram ad parandam ſapientiam hujus vitæ parum aptam eſſe, ideò fit, quod pauciſſimi intendant in cognitione rerum naturalium admirari divinam ſapientiam ac omnipotentiam, aut applicationem ejus ad ſui ſinceram, veramque cognitionem, ſed ex adverſo ſe ipſos quærant inflati hac ſcientia, illa vanè delectentur, mirè ſibi illa placeant, τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες.

58. Solis verò intimam ſui cognitionem, veramque per Chriſtum emendationem quærentibus Scriptura S. prodeſt; reliqui omnes ſapientiam ſcripturæ non ſapiunt, ſed pro ſtultitia habent, & venenum inde hauriunt culpa ſua, ſuoque deteſtabili abuſu optimæ medicinæ.

59. Tales, errore adhuc magis noxio ſapientiam in infinitis Ethnicorum libris quærunt, id eſt lucem in tenebris, arbitranturque ſe ſapientiam ibi inveniſſe, illosque tandem libros præferant ſcripturæ libro, & ſic amittunt fidem de articulo fidei fundamentali, quod Scriptura ſit verbum Dei; quanquam tales non poſſint illam fidem amittere, quam vivam nunquam habuere, nunquam cum neceſſaria convictione, ac vivido atque experimentali Spiritus S. teſtimonio, nec ſufficit hujus articuli hiſtorica fides ſeu aſſenſus à ratione illi præſtitus, quem & habent impii, diabolique omnes ſine ullo fructu, ſine ulla ſapientia vera, neque enim aſtutia, ſubtilis ratio, ejusque perpolitæ apex Sapientia dici meretur, adeò ſanctum ac venerabile eſt hoc nomen ac Spiritus S. donum.

60. Qui enim ſapientiam in Scriptura quærit, non exinde ſolùm de iſto fidei articulo certus fit, quod ſenſu communi percipiat, omnia ea, quæ ibi de ſtatu hominis ejusque ſtultitia, miſeria, ac reſtauratione per Chriſtum, de natura Creaturarum, de Deo, ejusque voluntate & amore ſcribuntur, ſint veriſſima, ſed ex eo longè evadit certior, quod Spiritus S.

in

in corde fideli ac per Chriſtum mundato vivum de luce illa divina teſtimonium perhibeat.

61. Ergò revera ſtudioſo ſapientiæ valde noxium eſt, ſi erronea ex profanis ſcriptoribus quibuscunque, quorum cor Chriſti ſedes per fidem non fuit, principia hauſerit, velletque ſecundum ea veritates Scripturæ S. quæ lumine indiget altiore judicare ineptè atque interpretari.

62. Talis verò liber Scriptura Sacra eſt, qui genuina veræ ſapientiæ quà partes omnes fundamenta continet pleniſſima, firmiſſimaque clavemque cordi ſubminiſtrat fideli Spirituique Sancto fideliter ſe ſubmittenti ad omnem veritatem, omnia intelligendi, ac dijudicandi in omnibus ſectis, legendique abſque periculo ſeductionis, ſine metu venenatæ doctrinæ inde hauriendæ libros quoscunque; abſit verò ut clavem iſtam habeat quisquam alius quàm qui vivam fidem, perque illam Jeſum ſuum in corde habeat habitantem, deque illo unicè gaudeat.

63. Is demum utiles in omni genere libros ſeliget legetque vero ſuo unicoque ſcopo convenientes, abhorrebit à turpibus, impiis, inutilibus, merè curioſis, peſſimis pretioſi adeò ad mentis emendationem temporis, furibus. Omnia probabit, quod bonum eſt retinebit,

64. Leget ergò verè neceſſaria, ut cognoſcat valeatque evitare errores, ut falſas imputationes diſſentientium, quæ frequentiſſimæ ſunt, deprehendat, nec nimium horum fidat libris ac de aliis relationibus ob affectuum frequentem & ordinariam intemperiem.

65. Ingens verò cum librorum copia, quæ paſſim commendantur ſtudioſo ſapientiæ, haud terrebit. Neque enim quoscunque leget, ſed plerosque facilè brevique tempore duce ſapientia perluſtrabit quousque ſuo ſatisfiat ſcopo; tempus enim contractum ac breve eſt.

66. Gaudet præceptoribus vivis, ſi viva illi gaudeant fide,

omnia

omnia omnium præcepta ſolicitè probat, bona ſapienter ſeligit, retinetque, nullius in verba jurans, niſi Dei.

67. Quàm ille felix eſt, cui Deus ducem offert ſincerum, Lumine fidei feliciter pro ſe aliisque utentem, quanta illa viarum obtinuit compendia, quo terrorum effugiet laqueos, tamdiu bonas ſæpe animas retrahentes ligantesque in via veri intricata; abſit verò ut ſerviliter ulli adhæreat; ſoli illi ſinceri ſunt, quò ad Chriſtum te remittentes te ſibi adhærere haud patiuntur, ſed ab iſta adoratione ac ſervitute abhorrent.

68 Ante omnia ergò hic cavebit ſtudioſus ſapientiæ à pſeudo ſapientibus, cum multi doctrinas ſuas in ſtudio ſapientiæ offerentes ſint ſeductores, ſtultitiæ ipſi maximè immerſi, & ſeducentes alios in vias ſtultitiæ. Habet vero ipſe fidelis anima Ducem ſuum vivum, Spiritum veritatis, qui eam ducet in veritatem omnem juxta promiſſa divina.

69. Hanc nemo ſeduxerit facilè, nec excœcaverit vel authoritate ſua aut famæ celebritate nec apparentia ulla externa, aut ſpecie virtutum, aut pietatis, cujus non eniteat vir efficax evidenter, gaudet enim vera fidei luce, nec eſt quod metuat, modò vigilet, & non poteſt non vigilare fides, ſi viva ſit, ſi lux ſit, nec ſola fidei, qua ſtulti ſe infeliciter decipiunt, umbra; nec proin contemtiſſimum etiam mortalium, ſi Dei lucem in eo advertat, aſpernabitur aut repudiabit, criteriis tamen utens Scripturæ S. ac teſtimonio Spiritus S. in corde per ipſam.

70. Talis nec fugiet ſocietatem hominum, etiam inſipientium, nec quæret, niſi inſervire ipſis jubeat charitas; novit ſibi prodeſſe aliquando aliquem à turba ſeceſſum, ad preces, animæque curam ac culturam, hanc ergò non averſatur ſolitudinem; neminem verò etiam ex inſipientibus contemnit, omnibus inſervire paratus.

71 Nam etſi ſapiens non ſit de mundo, id eſt, etſi non delectetur ſtultitia plerorumque hominum, eſt tamen in mundo,

quæritque vera proximorum commoda, eosque ad Deum adducit, quantum in ipso est; cum & ipse radicem mali humani in se gerat, à gratia tamen subjugatam; eò magis autem ergà aliorum miseriam animæ cumprimis promptus est opitulator; nisi opem illam oblatam cum violentia constanter rejiciant, tunc enim Christus ipsum jussit abstinere, atque ad preces ad Deum pro ipsis confugere.

72. Ipse etiam sapiens homo est, hominum sæpe ope indigens etiam insipientium; imò & sapiens ideò, quia sapiens est, insipientibus majora humanitatis officia exhibere debet, quàm ea sunt, quæ ab iis expectat, cum ipse fide, charitate, viribus à Deo datis instructus sit.

73. Imò se aptat per charitatem ad mores insipientium, non equidem mali quidquam, approbando vel imitando, absit id à sapiente vero, sed eos patienter ferendo, cedendo illis in licitis bonisque rebus, eos non cogendo ad sua placita, sed utendo precibus, blandisque admonitionibus. Morum verò suorum exemplum manet Christus, hunc respicit, hujus sequitur vestigia, hæc conatur exprimere, licet non passibus æquis, sincerè tamen, caudidè, unicè.

74. De mediis autem rebus, atque ad conversationem quotidianam spectantibus ita tenet, ut nemini gravis, multoque minus imperiosus sit, fraternam tamen admonitionem non negligens, complacentiam adhibens omnem quam tenera fidei vita in Christo fundata permittit; Videt cætera in hujus luce clarissimè, unde id quoque hausere ex verbo veri Theologi, res in individuo indifferentes non dari, postquam didicit in Christi nomine edendum, bibendum, facienda omnia atque ad gloriam Dei, ac quicquid ex fide non est peccatum esse; Sic hilariter ambulat coram Deo, sibique sedulus invigilat, vel invigilare potius sinit Spiritum S. ipsi gratiosè concessum, testimonium in corde perhibentem, ipsumque de omnibus cogitationibus, verbis, factis, monentem, redarguentem, hortan-

hortantem, inſtruentem, alacritate inſtruentem, in charitate ac lenitate conſervantem.

75. Si dicas : Sapientem inter homines viventem obſtringi ad actiones vanas, ex arbitrio humano inventas, infinitas, legendosque libros vanitate non carentes, ſed ſalva res eſt: vanæ res dupliciter dicuntur, ſi idem dicant quod peccaminoſæ, abſint illæ à ſapiente quàm longiſſimè, ſed aliquando dicuntur res vanæ, res illæ mediæ in malo demum uſu malorum malæ (quales enim arbores, tales fructus) has facient, agent, legentque boni in omni illa occaſione, in qua facere vel legere illa poſſunt in nomine JEſu Chriſti, ex fide, ad gloriam Dei, alia & contraria occaſione nunquam. Sic coram Deo ac hominibus ſincerè ambulabunt, ſine hypocriſi, nec quisquam ab iis juſtè poſtulaverit, ut agant contra conſcientiam, Deique quod per fidem ex verbo in corde eſt teſtimonium. Sic lætus agit mortalem hanc vitam, quærens expectansque avidè futuram.

76. Malas actiones, librosque, nunquam deſiderabit violenta reformatione abolere, emendationem tamen ſedulò quæret ac remedia commendabit, leni ſpiritu qui Chriſti donum eſt inhabitantis, quæ mutare nequit patienter feret, Deosque commendabit emendanda potenti manu ſua, inter aſſiduas ardentesque preces, pro ſalute animarum periclitantium, quarum ingenti numero vehementer ingemiſcit.

77. Studioſus Medicinæ eadem methodo ad ſapientiam deducitur ; miſer futurus niſi Domino Cor tradiderit ſuum vera per fidem in Chriſtum ſapientia imbuendum.

78. Studioſus etiam Medicinæ ea, quæ de actionibus & ſtudiis variis dicta ſunt, æquè attendere debet, quàm Studioſus Theologiæ & Jurisprudentiæ. Nec enim ſufficit aliquam in ægris de ſe opinionem excitâſſe, medicamenta efficacia ſuppeditaſſe, cum ne iſta quidem ſine ſapientia à Deo data ritè queant fieri, requiritur inſuper vita Deo placens ac grata per-

petuo fidei vivæ exercitio conſtans, neque enim vera ſapientia, ſpiritusque Dei manet in anima ac corpore peccato ſervientibus, ſubditisque, fugit tales puriſſimus hoſpes; væ autem illis à quibus receſſit fons boni omnis. Abſit ut plus Medicis, aliisve vanitatis permiſſum ſit, ac libertatis in vita externa, eadem Chriſtianis omnibus data eſt regula, eam nemini mutabit Deus. Etiam hæc jura vigilantibus ſcripta. Vigilate.

Cap. III.

CAUTELÆ CIRCA CONCEPTUM MEDICINÆ IN SPECIE, AC CIRCA PRÆCOGNITA ILLI EX LINGUIS AC PHILOSOPHIA SUBSTRUENDA.

UNa quidem eſt Sapientia, ſed multæ ſunt artes & ſcientiæ homini utiles.

Una eſt Sapientia vera, divina, ſolida, à ſcientia etiam accuratiſſima hominum naturalium ſibi relictorum longe diverſa.

In ſtatu integritatis homo totus pendebat à nutu Dei, ſuum in anima thronum regnumque, tenentis atque occupantis indeſinenter, erat igitur eo ipſo ſapientiſſimus, tanto directore, omnisque vitæ ac functionum arbitro gaudens.

Iſtam verò Dei imaginem veramque ſapientiam, lumen in intellectu divinum, ſummamque in voluntate ſanctitatem per lapſum infelicem penitus amiſit.

Nec regreſſus ad eam datur, niſi per Chriſtum accedamus fide viva ad Patrem, ipſeque in nobis incipiat inſtaurare hanc ſuam imaginem vivam lucidamque.

Quando igitur ſermo eſt de ſapientia hominis viribus naturæ adhuc per μετάνοιαν non emendatæ obtinenda vel poſſeſſa, etiam in impiis & profanis, qui in rebus hujus ſeculi mirabili

ſæpè

ſæpè perſpicacia pollent, ac dexteritate in rebus prudenter agendis ſumma, circumſpectè judicandum eſt, ne veritati ulla ex parte præjudicemus.

Non proin neganda eſt hæc eorum dexteritas tot indies exemplis comprobata, ſed & id notandum, eos non ſolùm qui ſuperno fidei gaudentes lumine penitius eorum res intuentur, multum ſtultitiæ admixtæ evidenter & cum gemitu de tanta ipſorum in tanta perſpicacia miſeria conſpicere, ſed & alios non altiori gaudentes lumine, ſed eodem, at in illis caſibus qui eos non tangunt oculatiores, pariter haud leves ſtultitiæ actus, gradusque in ipſis illis prudentibus viris non ſine ſtupore quodam ac admiratione animadvertere.

Nec rationi hæc ejus in obſcuriori lucula ſphæraque perſpicacia neganda eſt; multò minus de nomine litigandum, an hi dicendi ſint Sapientes, qui Spiritum Dei per fidem in ſe habitantem non habent; cum ipſa ſcriptura non ſolum faciat mentionem ſapientiæ cœleſtis, divinæ, & è ſupernis deſcendentis, ſed & ſapientiæ, quæ eſt, terrena, animalis, dæmoniaca, quibus diverſiſſima ac oppoſita tribuit attributa.

Sapiens ergò talis erit in ſuis mundique oculis, non in oculis Dei, tandemque poſt omnem perſpicaciæ atque eruditionis vaſtiſſimæ applauſum cantilenam illam triſtem infallibiliter ingeminabit: nos ſtulti aberravimus à via vera, nec illuxit nobis juſtitiæ lumen; tunc agnoſcent errorem, quo nunc ſibi placent, in quo nunc exultant, quique illos oculis omnium reddit venerabiles æquè ac formidabiles; nemo enim huic imaginariæ, inſigni eo ipſo potentia ſtipatæ Sapientiæ, vel ſi mavis aſtutiæ ac craſſæ hypocriſi impune ſe opponit, cum eos qui non cedunt facilè, dum fulgur illud falſæ ſapientiæ durat, conterant.

Erit igitur ſapientia coram mundo, non coram Deo, ſecundum dici, non ſecundum eſſe; umbra ſapientiæ evaneſcens nec fundata in æterna ſapientia; magis igitur digna com-

miſeratione, quam admiratione; niſi ſe ſubmittat Deo per veram μετάνοιαν, tum evadit nobile divinæ gloriæ inſtrumentum, ſed rarum, neque enim multi Sapientes pauperem, contemtumque Chriſtum ſequuntur, arctiorque juſto illis porta totalis abnegationis videtur, quàm ut repere per illas anguſtias cum detrimento gloriæ priſtinæ velint, malunt enim plerumque gloriam apud homines vanam, quam veram apud Deum æternamque.

Ille ergò erit Sapiens, qui agnoſcit ſummam animæ ſuæ totius, quà omnes cogitationes ac volitiones, ipſamque harum radicem corruptionem, ac miſeriam, dolet de illa acerbè, atque ad divinam anhelat opem, Chriſti juſtitiam fide à Deo excitata (non nudo rationis aſſenſu) arripiens, illique ſe totum mancipans, ut ipſe impoſterum vivat in ipſo, non vero ipſe ſuo vivat arbitrio, viribusque, quæ ipſiſſimæ vitæ æternæ ſunt primitiæ.

Sed & ille, ſi ita uti voce eadem libeat, dicetur ſapiens, qui rationem ſuam probè excoluerit, ut jam ſciat dextrè cogitare ac ſine præjudiciis, qui varios errores proprios ac præjudicia, ſtultitiasque agnoverit, aliorum hypotheſes ſine partium ſtudio probè examinat, ſuos circumſpectè compeſcit affectus, benignus aliis, facilisque, & affabilis, qui prout vel probitatis, vel gravitatis, eruditionis, æquitatis, comitatis, &c. in ſe prædominium oſtentet, varios ſapientiæ gradus, ſpeciesque, omnes tamen hominibus venerabiles, ſibique honorificos exhibebit. Ex hujus verò ſecundum oculos mundi ſapientis raritate de frequentia veri ſapientis facilè eſt judicare; quàm pauci enim ſunt qui pro ſapientibus à plerisque etiam in hoc mundo haberi merentur.

Vides igitur differre Eruditum ſeu doctum, & Sapientem, eruditionem & Sapientiam; Una igitur ſapientia eſt, artes verò & ſcientiæ multæ, quas tota die videmus ſine vera illa Sapientia obtineri, ac poſſideri, modò adſit Sapientia apparens, imò

imò ſæpe ne illa quidem. Et vel id plerisque eruditionem redderet exoſam, ſi aſperam in principio ſapientiæ viam ingredi ſeriò ac conſtanter deberent ad illam obtinendam; quæ vel ideò ipſis in deſiderio eſt, ut commodè, ſplendidèque vivant, utque illis hæc eruditio ſit loco Sapientiæ ut æſtimentur ab aliis, quorum æſtimationem amara ipſis ſapientiæ diſciplina redimere nollent, quippe quæ vana, inutilia, ſuperflua, aſtuta, glorioſa, ſplendida, malaque omnia reſpuit.

Beatus ille eruditus, cujus eruditionem vera dirigit, ſtabilitque Sapientia, cujus initium cum ſit timor Domini, illicò patet quid ſperandum ab iis, qui vitam juvenilem eruditioni dicatam acquirendæ, non Deo ſuo ejusque Sapientiæ, ſed mundo, ſed vanitati, impietati, ipſique adeò Satanæ, atque æternæ dicant, conſecrantque miſeriæ.

Nec putes rectè te laudabiliterque quærere pro hujus vitæ felicitate qualemcunque in cultura rationis animique artificiali ſapientiam, ad obtinendam veram animi tranquillitatem; ſperas enim rem impoſſibilem, nullum ego vidi verè tranquillum, verè contentum ſorte ſua per omnia iſtis innutritum principiis, fruſtra ſic felicitatem quæ omnium inquietudines, agitationesque, loquuntur, ac deſultoriæ in cupiditatibus variationes, incertaque deſideria, angentesque curæ, quos iſtis incumbere ſapientibus videmus, veluti grave pondus, ut pacem non habeant, ac proin ſapienter non ſint nec felices, quia non tranquilli, ſed ſemper quæruli ſunt, mente agitati vel ſub ſpecie boni, ac zeli pro gloria Dei, à quo abſunt re ipſa quàm longiſſimè.

Paucis qui non habet unicam, veram, quæ à Deo per fidem datur, Sapientiam, ille non habet pacem, nec felicitatem ſeu beatitudinem conſtantem; umbram eorum habere poteſt, uti etiam habet umbram ſapientiæ, ſed illabente luce Dei umbræ evaneſcunt; quàm illæ animæ ſunt vacuæ, quàm miſeræ, quàm abjectæ, quam fluctuantes, cum infortunia, angores,

gores, morbi, jacturæ, contemtus, imò vel umbra mortis imminentis imminent, vel ingruunt, obſerva tum illorum pacem, conſtantiam, fiduciam, tranquillitatem, quæres fruſtra, evanuit illa firmitas, præſumta pacem non habent, tremunt, fluctuant, ſimulant, plorant, & ni ſuccurrat Deus, deſperant.

Ars longa, vita brevis; verum Hippocratis effatum; nec enim unius hominis vitam ad ex hauriendam artem ſufficit, plenèque addiſcendam, ob nimiam rerum eò pertinentium molem; neceſſariis tamen parandis, diſcendisque ſufficit omninò, imò & brevius ſpatium, cum non diſcamus ut ſaltem ſciamus.

Sapientis enim officium eſt non delectari ſolis ſpeculationibus, omnem in iis vitam terere, ſed inſervire aliis laboribus ſuis.

Pertinet ad labores ſtudium Sapientiæ, quod non merum otium, nec delectatio inanis eſt; ut verò proſit ipſo opere aliis ſapiens certum vitæ eligit genus, certamque ut loquimur Facultatem ex quatuor in Academiis receptis, traditisque.

Omnes verò Facultates promovent felicitatem humanam, ſed diverſis tamen operationibus.

Philoſophia communi conſenſu debet eſſe inſtrumentum trium Facultatum reliquarum.

Suo hæc fungitur officio, ſi ſtudioſos ad ſtudium Sapientiæ præparet, ac manuducat, partes ad ſe ſpectantes ritè tradat, & in his ſingulis diſciplinis oſtendat diſcentibus propriam miſeriam, ignorantiam, ac plurimos defectus, ſolo tamen rationis lumine neque hoc ut par eſt perficere, neque modum perveniendi ad pacem internam conſcientiæ intuitu hujus vitæ tradere poteſt, ſubſidiis hîc fidei ac revelationis indiget, qua ſine frigida, miſeraque eſt; neque ab his præſcindendum, abſit hæc vox inter Chriſtianos, quorum ſumma infelicitas eſt Chriſtum à teneris in corde enim gerere, qui tempus hîc differendi

tendi vel præſcindendi eſſe credat tanto diſcrimine, nec ulla eſt conſcientiæ niſi à Deo pax, cætera omnia ſunt vanæ perſuaſiones.

Facultas Medica debet viam monſtrare ac media, quomodò ſanitas, non infima pars felicitatis humanæ his in terris conſervetur, & turbata reparetur.

Jurisprudentia debet docere modum, pacem externam Politicam juxta regulas Chriſti promerendi, conſervandi, reparandi, eòque leges omnes dirigendi tanquam ad ſummum ſcopum.

Theologia debet docere ex lumine revelationis modum perveniendi per Chriſtum vera fide apprehenſum ad pacem conſcientiæ internam, à qua dependet felicitas futuri ſeculi, quæ debet incipere in præſenti, ac reipſa incipit, ſi ad Chriſtum rectè ducaris.

Dabit quidem ſapiens operam, ut ex doctrinis ſingularum quatuor Facultatum tantum teneat, quantum ad promovendam propriam tranquillitatem & felicitatem eſt opus, atque adeò quoque quantum ſcopo ſuo ut Deo proximoque ritè ſervat convenit.

Inter præcognita verò Medico neceſſaria, ac pro ædificii futuri vel ſubſtructionibus vel ſtructuræ adjumentis inſervientia Linguarum ac Philoſophiæ ſtudia potiſſimum referuntur. Alibi jam circa hæc præcepta dedimus diſcentium commodo, unde hîc breves erimus. Linguæ autem Latinæ, Græcæque neceſſitatem res ipſa, modusque ſtudia tractandi modernus ſuadeat. Gallica Lingua, ubique ſe inſinuans, haud procul ab his abeſt, ob copiam Scriptorum Gallicorum Phyſicam, Matheſin, ac Medicinam illuſtrantium. Anglorum quoque & Italorum ſcripta merentur, ut levem linguarum iſtarum notitiam ſibi comparet Tiro; ad intelligendos ſcilicet Lexici ſubſidio libros, nimium enim temporis Linguarum omnium cultura ſurriperet.

De Arabica haud dicemus, cum eo loco Arabum ſcripta hodiè non ſint, ut legi infontibus debeant, gemmæque ex ſterquilinio educi. Nec immergat ſe Tiro Criticæ molimini-bus; utut enim Celeb. D. Clerico id debeat Medicina, quod in Opere Critico etiam quibusdam Galeni, locis affuderit lucem, tanti tamen iſtius modi Lectionum variantium in Hippocratis, aliorumque veterum ſcriptis ac Codicibus collationes non ſunt, ut pretioſum tempus ſurripere diſcentibus debeant. Qui verò iis delectantur, ac tempore occaſioneque abundant, illis demere deficias ſuas & inquiſitiones in ſcriptorum emendationem minimè libet.

Audias hodiè non ratò contemni Logicam, quod inutilia doceat, ea verò quæ uſu non deſtituantur, naturâ ſint nota. Logica equidem Naturalis ſufficiens eſt; ſed diſcentium mentes non ſufficiunt Logicæ naturali, nec ejus præceptis evolvendis, emendisque ſine Logica artificiali, ſeu manuductione in arte cogitandi pares ſunt. Hinc omninò Logicæ præceptis indiget Tiro Medicus; Ampliſſima enim eſt Logica, omnem æſtimandi artem ſub ſe complexa, ipſaque Matheſeos ſpeculativæ principia, ac analyſeos ſpecioſæ, omniumque calculorum fundamenta tanquam ſuos quosdam fructus ac ſurculos in ſe comprehendens.

Nec Methaphyſicæ notitia omni careat Medicus; quanquam haud ea facilè poſſit carere, ſi Logica ex colat præcepta, cum iſta in academiis ferè ſoleant conjungi; cum verò ob academicam Diſputandi Methodum, ac Syllogiſmi notitiam neceſſariam Logicæ indigeat Doctrinis Tiro Medicus, ex eadem quoque ratione deſtinctionibus, cauſarumque generibus haud commodè carebit, ac proin indigebit ſubſidiis Metaphyſicæ, ſi vel enim ſolam iſta voces, quæ terminorum ac diſtinctionum congeries eſt, ſi verò altiora ejus principia reſpicias, quæ Pneumaticæ aliâs nomine veniunt, iis quidem probè imbuiſſe mentem Medico convenit, cum animæ propriæ ſeu humanæ,

næ, adeò adhuc ignotæ, notitiam aliis longiſſimè anteponere rebus æquiſſimum ſit.

Moralis doctrinæ neceſſitatem nullis ſpeciatim argumentis Medico hîc inculcabimus, cum omnia hactenus dicta veræ Ethicæ utilitatem ſummam ſtabiliant, Ethicæ ſcilicet Chriſtianæ ac revelatæ, quæque hominem in ſtatu lapſus conſiderat, tanquam ducendum per fidem ad reputationem Imaginis Divinæ in primis Parentibus amiſſæ.

Matheſin Medico ante omnia proficuam ac prorſus neceſſariam proclamant, aliis de ea in erudiendo Tirone Medico ne cogitantibus quidem. Utut verò negari non queat, poſſe dari Medicos inſignes nulla diſciplinarum Mathematicarum ſcientia imbutos, ita tamen neque id diffitendum erit, præſtare omninò aliquam temporis annorumque juvenilium partem illis impendere; Falluntur certè qui penitus eas ſine detrimento negligi poſſe neſcia qua ſeducti incuria ſibi perſuadent; ſed & ii falluntur, qui adeò inevitabilem hujus ſcientiæ notitiam Medico faciant, ut niſi exhauſto omni ejus ambitu progredi in arte nulla ratione valeat.

Hinc aliquam ſibi Analyſeos ſpecioſæ notitiam comparabit (etſi in profunditates ejus omnes vix ſe immittere audeat) & Arithmeticæ, Geometriæ, Opticæ, Aſtronomiæ, Hydroſtaticæ, Hydraulicæ, Ærometricæ &c. fundamenta probè imbibet; quippe quæ multis illi modis futura ſint admodum proficua. atque ad ſcopum ſuum conducentia.

Sic equidem ad Phyſicæ ac Medicinæ ſubſidium utiliter adhibebit Matheſeos præcepta, etſi ea ubique & modô quodam quaſi affectato haud adhibeat; neque enim noſtra hactenus principia Medica eam habent evidentiam, ut Mathematicæ certitudini ac demonſtrationibus aptari ubivis queant, nec perderet operam, qui in Medicis ea evidentia oſtenderet, quâ Celeb. Wolfius Keilio, Muyſio aliisque oſtendit, quam facilè ſit in applicatione principiorum iſtorum ad Phyſicam

ceſpitare; ſic ſanè parcius alii calculum inirent ſpirituum animalium muſculorum inflationi ac motui debitorum, figuræque veſicularium fibras motrices conſtituentium, aliis & has & ſpirituum animalium exiſtentiam adhuc negantibus, ad minimum iſtis omnibus adhuc valdè notabili obnoxiis incertitudini. Aliâs enim Keilius vix cordis muſculi robur deprimeret ad 5. vel 8. uncias, quod Borellus, mirabilis muſcularium æſtimator ad tot libras, imò centenarios extulit; adeò ex certis calculis incerta fiunt! quia data ſunt incerta atque Mathematicam ad evidentiam non aſſurgentia, &c.

Cum Medicus, tritiſſimo proverbio, incipiat ubi deſinit Phyſicus, quærendum utique Studioſo Medicinæ non erit an indigeat penitiori Phyſices cognitione; Hac enim adeò ſuperſedere non poterit, ut potius per omnem vitam ſuam excolendis, ſcrutandis, contemplandisque naturæ phænomenis omnem impendere operam teneatur, ſi feliciores in arte ſua progreſſus facere voluerit; cum & humani corporis notitia intimior, & cauſarum morbificarum ſcrutinium profundius, & medicamentorum inventio, præparatioque ex Phyſicæ penetralibus ſint deſumenda.

Non omnem equidem Hiſtoriæ naturalis ambitum (vaſtiſſimum verè opus uniusque hominis excedens & vitam & vires) exhaurire ſcrutiniis ſuis poterit Medicinæ ſtudio deditus, omnia enim alia magis neceſſaria eſſent negligenda præ ampliſſima hac occupatione; hinc ea tantum ex Phyſicis feliget quæ ſcopo ſuo ſerviunt directè magis ac principaliter.

Nec ratiociniis ſubtilibus nimium immergatur animus curioſior, nec ubique præſtoletur principiorum certitudinem, hypotheſium enim farraginem, tenuem veritatum ſolidarum, agnitarumque meſſem vel ſpicilegium potius ubique deprehenſurus. Clamantibus aliis nulla hactenus petere vera phyſices principia, aliis cum D. Andela Carteſiana pro talibus confidenter propinantibus ac commendantibus, aliis verò Eclecticæ

ticæ Methodo unicè inhærentibus, quorum ſanè caſtra ſequi tutius exiſtimaverit, quisquis rem æquo mentis aſpiciet oculo.

Experimentis graviter incumbat Tiro, ſed non omnibus promiſcuè, ſic enim facilè in iſto. Labyrintho totum ſe inutiliter miſerèque impliceret; Felix qui filum reperit ariadneum, ſelectumque novit inſtituere in tanta rerum objectorumque mole; Ductore hîc opus eſt fideli, ni pretioſum tempus perdere tentaminibus uſu omni carentibus velis. Multa elegantia exhibet, obſervatque Phyſica moderna, ſcopoque Medico convenientia vel directè, vel indirectè, at longè plura ſunt, quæ magis curioſos juvenum animos alliciunt utilitate deſtituta, utut in ſe ſpecioſa ſint, & jucunda partim contemplantibus. Non libet ad Experimentorum Machinarumque ſpecialiſſimos quosvis modos ac varietates evagari, nec ad ampliſſimam triplicis naturæ Regni perveſtigationem diffuſiſſimam, cui nec Mathuſalæ ætas ſufficiat, nec quantuscunque mentis ad ſtudia ardor, ac capacitas animi quantumvis vaſta.

Eorum verò præ aliis ſibi proponat perveſtigationem, quæ Medicum reſpiciunt ſcopum; neque igitur nimium hærebit in figuratorum lapidum perquiſitione, quæ in Medicina nullius ferè uſus eſt; multò minus Controverſiis illis de origine eorum implicabitur, cum & ii qui à diluvio eam arceſſunt ingentibus premantur difficultatibus, & eorum plerique qui contrarium aſſerunt ad talia confugiant quæ ne ſpeciem quidem veri præ ſe ferre ii agnoſcent, qui ſemina cochlearum per terræ meatus, vel halituum (quod nonnamini placuiſſe mireris) forma ad mentium cacumina elevari ibique excludi & creſcere ſibi perſuaderi haud patientur propter exiguam rei veriſimilitudinem.

Præſtat tamen ſcrutari Medicum viſceri terræ ac Elementorum intima pro eruendis rebus naturalibus, quàm pro veterum armis, nummis, ornamentis, quæ Magnis ævi hujus

ingeniis Criticæ profunda imbunis ſcientia relinquet ; Plurimam verò diſcentibus lucem affundet elegans quod Galli Eruditi meditantur opus, Hiſtoria Terræ Antiquæ & Novæ, ſi quidem iis ſcriptum cautelis prodeat, quibus publico ſub auſpiciis Ill. Præſidis Monteſquii innotuit.

Cap. IV.

DE CÆTERIS AD PRÆCOGNITA SPECTANTIBUS CAUTELÆ BREVES, SCIL. AD BOTANICAM, MATERIAM MEDICAM, CHYMIAM, AC ANATOMIAM REFERENDÆ.

CUm in ipſo Cautelarum Syſtematis decurſu plura incidenter huc quoque ſpectantia inſperſa ſint, cumque alibi hæc à nobis ſint dudum tradita, eò magis litandum brevitati duximus, eaque ſaltem monenda ac annotanda, quæ præcipuè circa partem quamlibet attendi obſervarique merentur. Plura enim ſcribenda eſſent volumina ſi cautelas omnes neceſſarias congerere in unam molem ex omni Medicina parte data opera aliquis conaretur; nobis vero ſaltem animus eſt brevia quædam dare atque incompleta ſpecimina, quorum inſiſtere veſtigiis queant ii ex diſcentibus, qui modeſta eclecticæ Medicinæ Methodo delectantur.

Utilitatem ſtudii Botanici nemo facilè in dubium vocaverit; cautelis tamen opus eſt, ne in vaſto hoc mari pretioſum tempus, vaſtiſſimæ artis quà partes tam numeroſas ac diverſas notitiæ acquirendæ deſtinatum nimio ejus amore abreptus perdas.

Quænam enim vel memoria, vel ſtudii ardor, vel temporis aliò quoque impendendi abundantia ſufficiat tot millibus plantarum, quas omnis orbis habitati angulus offert, capiendis,

dis, inveſtigandisque, quarum ſane numerus augetur indies per botanicorum itinera atque ſcrutinia in defeſſa, quibus omnem perreptant terræ etiam remotiſſimæ receſſum, ut novas aliquot deſcribant, ſuæque inventioni vindicent plantas.

Cave autem ne omnia iſta tibi putes neceſſaria; diſce diſcrimen quod intercedit inter ſtudioſum Medicinæ, & Hiſtoriæ naturalis, inter medentem, & hortulanum, inter ſectatorem utilium ac neceſſariorum, interque ſcrutatorem novorum, inſolitorum, rariorum atque opticorum, ſive utilium, ſive inutilium.

Qui quidem curioſitate ducti hiſtoriam regni vegetabilis quà amplitudinem ſuam omnem perveſtigare decreverunt, gaudentque varioribus herbarum nominibus ac ſpeciebus, quin & earum generibus novis, hactenus incognitis, nec ulli vel memoratis vel deſcriptis, abundent omninò ſenſu ſuo, ſuisque fruantur deliciis, modò non diſcentibus Medicinam iſthæc talia inculcent tanquam neceſſaria, neque hi illos ſibi ducant eodem inquiſitionis ardore incitandos, ut gramen aliquod, plantamve detegant nondum deſcriptam, ſuove eam inſerant herbario, minus alias futuro & ſplendido & vaſto.

Studioſus eas potiſſimùm plantas cognitas, perfectasque habeat, quæ officinales ſunt, vel quarum de viribus certiſſimus, quarum quidem numerus non eſt admodum ingens, nec earum inquiſitio nimium ſurripit pretioſi temporis, quod ne quidem ſufficit diſcendis neceſſariis.

Pluris æſtimabit talis hortum iſtas ipſi exhibentem plantas, quàm alium meris ſuperbientem exoticis, quarum vires vel ſunt nullæ, vel ſaltem nobis incognitæ, cum ne noſtrarum quidem plantarum vires, ob mendacia herbariorum, ſatis ſint Medicis perſpectæ, ac ſufficiente praxeos circumſpectioris certitudine firmatæ.

Si verò delectetur exoticis, iſtisque tanquam condimento quodam ſtudiorum per moderatè indulgeat, minimè nobis

erit

erit vituperandus, modò πάρεργον essentialibus studii sui vastissimi partibus non anteponat.

Characterem non negliget, facit enim hodiè ad splendorem Botanicæ, propter tot vocabula quæ eruditionis speciem, & cognitionis difficultatem ignorantibus præ se ferre videntur, eùmque commendant, qui promptè ad classes suam quamvis plantam deferre sciat, quanquam eò ipso non plus sciat, quàm alii, plantam suo exhabirum mox agnoscentes, exemplo pharmacopolarum, aliorumque collectorum vegetabilium.

Unde characteris notitiæ, & inquisitioni justum statuet pretium, inter secundaria scilicet, quæ faciunt non ad esse studiosi Medicinæ, sed ad benè esse, qui memoriam iis ea proportione imbuet notis, classibusque, quam requirere videatur capacitas memoriæ, vir ingenii, temporis ratio, aliorum magis necessariorum utque essentialium acquirenda notitia.

Seliget hinc methodum probabiliorem; nec omnibus vel discendis, vel conciliandis studebit, quæ Morisonus, Raius, Rivinus, Tournefortius, Hermannus, Ammannus, Justineus, vel Vailentius tradiderunt diversa, ipsi quippe pro re nata & fructificationis modus, seu seminis constitutio, & floris petalorum habitudo, & foliorum quoque caulium, omniumque aliarum partium ac circumstantiarum ratio ad distinguenda inter se plantas inserviet, eclectica etiam hîc methodo insistento.

Et ista sanè methodus Naturæ est, uti Cel. Volcamerus eam vocat, plantarumque genera non à floribus solis nec à seminibus unicè, sed à toto plantæ habitu omnibusque ejus attributis desumenda sunt, soli enim fructificationi, solive petalorum rationi in hærere non licet.

Exempla innumera id docent, ac præcipuè illud Chrysanthemorum, quæ omnia gymnosperma cum sint, baccifo-rum tamen Africanum à regula exceptum volunt; quod porrò ex-

exemplo ſiliquoſarum & ſiliculoſarum probat Volcamerus, quæ omnes, raphano excepto ſepto inter medio gaudeant, ita tamen ut omnes minoſpermæ dictæ ſepto careant.

Flores ab hoc negotio variis argumentis excludi obſervantur (licet meritò aliis juncti judiciis inter primaria ſint) maximè tamen exemplo altheæ Africanæ aureo flore, qs cochleato, qui marceſſens in quinque reſolvitur petala reverà diſtincta, cum omnes cæteri ex malvarum & alcearum genere flores ſint monopetali; quò etiam eidem Authori refertur Naſturtium Africanum Chriſtophorianæ foliis, flores ſuppeditans conſtanter pentapetalos, quà cætera verò attributa cum naſturtiorum tetrapetalorum genere conveniens.

Major ipſi cura erit circa vires vegetabilium, quæ ipſis reverâ competant, neque enim credere herbariis promiſcuè, ac quibus vis autoribus licet, cum ea ſæpeſſimè plantis vires tribuantur, quæ minimè iis conveniant, quibusque exerendis inægrotorum corpore ſint impares.

Neque tamen id propria experientia exequi durante ſtudiorum curſu integrum eſt diſcentibus, res enim illa & tempus, & attentionem inſignem, & judicium requirit firmum; ad præceptorum igitur fidelium manuductionem, meliorumque circa hanc rem Scriptorum Medicorum experientiam, modeſtaque effata confugiat neceſſe eſt, ſi quid firmi, certique hoc in negotio noſſe deſideret, cui ſuperſtruere praxeos circumſpectioris initia liceat.

Non poterit tamen non hærere in principio praxeos aqua, cum magnificis ſcriptorum ampliſſimisque de virtute alicujus ſimplicis, ſeu plantæ promiſſis, ac commendationibus rarius reſpondere effectum non ſine dolore animadvertet, agnoſcetque, propriæ etiam induſtriæ & experientiæ aliquid, imò plurimum hîc eſſe relictum, quod mereatur inveſtigationem ſedulam atque attentam.

Eò majori autem cura Materiæ Medicæ ſibi notitiam

penitiorem comparabit Medicus; non equidem merè curiositatis ac pompæ cujusdam vanæ ductu rariſſimorum quorumcunque, & vix appellentium ad nos ex Indiis ſpecimina mox omni pretio ſibi comparanda, multa enim ab Indis quoque commendantur, indeque ad Europæos devehuntur exiguo dignanda pretio atque æſtimatione ; neque nova quaſi Criticæ inutilioris ſpecie operosè diſputet de natali loco, planta, aut arbore talia ferente, uti volupe eſt nonnullis diſputare de arbore nucem vomicam ferente , de arbore ſanguinem draconis fundente &c. Illuſtr. enim D. Lochneri opera factum, ut omni iſthoc labore poſſint ſuperſedere, poſtquam omnium iſtorum Exoticorum recentius ex Indiis advectorum origines ac deſcriptiones tanta ἀκριβείᾳ ſuppeditat.

Id ſaltem volo, notas bonitatis in quovis exotico probè inquirendas, cum non ejusdem omnia quæ afferuntur ſub eodem nomine ſint pretii ac præſtantiæ , quod & circa celebres Cortices chaquerille & Chinæ Chinæ, & circa Hypecacoanham, aliaque plurima obſervant ; Selectus ergò à Medico faciendus; eò magis, quò inæqualia magis, & iniqua ſæpè ſunt de exhibitis iſtis medicamentis judicia ; Sanè Parei brava adeò viris ſummis commendata , ab aliis vel negligitur, vel vilipenditur. Corticem Chinæ Chinæ tamdiu laudibus ſummis celebratum remedium, ſtupendæque reverà, ſi rectè uti eo ſcias, efficaciæ, ineptus quorundam adhibendi modus, ac præjudicia aliorum pluribus ſuſpectum reddidere. Hypecacoanhæ radix, ſoli primùm dicata Dyſenteriæ, aliisque dehinc exemplo Turnefortii Regiſium reſtituentis alvi fluxibus , nunc Emeticum plurimis ordinarium eſt, donec & ejus exiſtimationis adeſſe volent terminum homines inconſtantes & in laude & in vituperio verum. Cæterum Tiro prudentior non ea ſtatim primo impetu ſola admirabitur quæ populi, etſi nobilioris doctiorisque vox incipit tanquam Panaceas extollere, ſed expectat donec elogiis magnificis reſpondeant effectus pares , quod in principio plerum-

rumque ita apparet, in fine autem abiiſſe in auras ac evanuiſſe non immeritò videtur. Quantum eſt & hic in rebus inane.

De Chymia præſtat tacere quàm pauca dicere. Hac carere nunquam poterit Medicus. Loquor autem non de gurgite illo fatali tot Chymicis eorumque pleonexiæ, Alchimia, cujus aurum maturandum, ſi quidem ſapiat, haud quæret, nec Panaceæ inhiabit, quæ pariter tot corvos deluſit hiantes. Nec nimium ſe diffundat in Chymia Analytica, quæ ſervit Hiſtoriæ naturali, ecquid enim efficiet, ſi per totam vitam ſimplicia uno poſt alium ſequente proceſſu ad ignis examen revocaverit parvo fructu, propter Analyſtam infidum, Pharmaceuticam Chymiam maximè commendatam ſibi habeat, nec credat ſpecioſis proceſſibus, nec ſe patiatur decipi promiſſis Magnificis, ſeligat utilia, reliquam proceſſuum farraginem faſtidiat; Diſcatque ita, ut dirigere Pharmacopolarum labores queat ſine oſtentatione; Simplicior enim Chymia ſanior eſt, arctiorque quàm vulgo perſuadent qui neſcio quam inde gloriolam aucupantur.

Hæc multa furnorum, Inſtrumentorumque pompa non indiget, ſola neceſſaria requirit. Hæc numeroſam remediorum familiam ex officina ſua eliminat ac proſcribit. Multa enim, imò plurima, ac indies plura proſtant remedia Chymica, pauca autem ſunt ſelecta, pauca neceſſaria, pauciora uſu verè comprobata utiliaque deprehenſa. Multorum violentiam, aliorum ſuſpectam virulentiam, plerorumque inertem, nullamque efficaciam faſtidit. Quot enim antimoniatis carere poteſt? quot Mercurialibus Panacæis? Diſplicent ipſi ſubdolæ ſoboles Saturni! ex adverſo minus æſtimata ſæpe aliis palmam agnoſcit præripere; vulgaremque cinnabarim non ideò credit deteriorem, quod aureo, ut ſomniant, antimonii ſulphure deſtituatur. Arſenicalia deteſtatur; mavultque abſtinere ab iis quæ multum quidem commendata, originis tamen haud innocentis ſuſpicione atque macula haud levi notata ſunt. Vigilandum ſanè, ſi errare non velis inter tot falſâ

encomia, tot autoritatis præjudicia, & cauſarum cum effectibus haud cohærentium frequentes fallacias ac aberrationes. Suſpendit de occultis, arcanisque judicium, nec commendat quæ haud novit, nec contemnit ſibi non perſpecta; Medio tutiſſimus ibit; hujus etiam artis incertitudinem, imperfectionem, perpetuosque paſſim abuſus non ſine dolore mentis agnoſcens, cum videt tot artibus, artutiisque artem in ſe digniſſimam omnium exponi ludibriis. Tacet verò & ſibi cavet!

Anatomiæ præſtantiam commendantes actum ageremus, quis enim de ea dubitet? Nihil Medico prius eſſe debet quàm noſſe ſtructuram objecti ſui, corporis humani, cujus ſanitati vel conſervandæ vel reſtaurandæ invigilare juſſus eſt. Etſi autem non omnem cognitionis illius partem modumque complectatur anatomia (multa enim hîc agenda ſupplendaque mentis acumini judicioque relicta ſunt tanquam fructus multæ meditationis atque experientiæ diuturnæ ac attentæ) ſummè tamen eò proficua eſt.

Anatomiam verò intellige utilem, ſolidam (non tantùm ſubtilem, nodum in ſcirpo quærentem, magnoque conatu ſæpe agentem nihil, ſæpe exiles quasdam glandulas vel detegentem, vel tranſponentem, vel ſitum fibrarum quarundam corrigentem) quæque Forenſi Medicinæ ac Chirurgiæ magis directè ſerviat, quam Therapeuticæ morbos à cauſa interna natos debellanti, ad hujus notitiam comparandam nec reſpuet cerea Noveſii cadavera vel ſimulacra, modò cum colore juſtam quoque partium ac vaſorum proportionem ubique ſervent; Injectiones quoque tum ceræ tum mercurii, aliasque partium elegantes præparationes haud ignorabit, etiamſi primariam ſtudii ſui haud faciant partem. Neque enim illum cum vulgo pro excellentiori habebit Medico, qui plures laceraverit canes, aut cadavera plura diſcerpſerit. Selectu etiam hîc opus eſt nec pompa rem abſolvit, aut ambages operosè ſecantium ac præparantium ea quæ Medico ſcopo haud ſerviant. Alia enim

enim Anatomia eſt quæ pertinet ad Hiſtoriam naturalem, alia quæ ad Medicinam.

Cæterum etſi tanto ardore inſignes Anatomici magno numero hodiè excolant hoc ſtudium, vix tamen illud eò unquam promovebitur, ut non ſequentium temporum Sectores mirentur Anteceſſores ſuos nec vidiſſe omnia, nec omnia rectè agnoviſſe. Quot aliis Verheyen errores defectusque oſtendit, Quot eidem Celeb. Heiſterus in Anat. compendio objecit, imò & vaſto elegantique Theatro Anatomico Mangeti, augenda dubio procul in nova quam præſtolantur Eruditi editione; idemque agit in adverſariis pluribus D. Morgagni.

Hâc ſane in Africa ſemper aliquid novi, aut ſaltem antiquæ rei novum pallium! dum hæc ſcribo video Legerium de Govey in Chirurg. Ver, explodere omnes Muſculos intercoſtales, & ne quidem duos admittere, ſed unum coſtalem coctione ſibi ita cognitum. Nec in Metacarpo plures interoſſeos internos, externosque muſculos, idem admittit, ſed unum triventrem &c. explodit novos cujusdam rectos capitis internos; muſculos obliquos parvos dicit reclinare caput, non flectere; Negat futuras ſpurias dari, aitque etiam illam petroſi oſſis cum parietalibus eſſe veram ac dentatam, &c. paucis, ſemper aliquid hîc novi.

Cap. I.

PHYSIOLOGIÆ.

PHyſiologia fundamentalis Medicinæ pars eſt, ipſaque ſua neceſſitate principalis quoque pars dici merebitur, conſiderat enim hominem qua ſanum.

Nec obſtat, quod à quibusdam inter præcognita referatur, namque & illa eſſentiali neceſſitate principalia evadere poſſunt.

Objectum ergò Physiologiæ homo est, quà benè constitutus ac sanitate præditus; hæc laudabilis dispositio quàm necessaria sit cognitu Medico tum conservare nitenti sanitatem tum amissam restaurare quàm clarissimè patet, cum naturalis status utrumque scopum habenti præfixum Medico nunquam debeat, possitque ex oculis recedere. Rectum enim est norma obliqui.

Probè tamen attendendum aliam esse Physiologiam seu hominis considerationem, quæ ad Physicam pertinet atque in speculatione acquiescit, aliam Medicam, ad Praxin tendentem, illique unicè dicatam, multa inutilia omittentem, negligentemque, atque adeò ad vastitatem atque amplitudinem prioris non accedentem.

Status ergò hominis naturalis, status sanitatis, qualis post lapsum ipsi competit, morborum insultibus expositus, in quo tamen adhuc actiones sunt integræ hîc à Medico consideratur.

Qui status habet latitudinem ob ipsam illam ad morbos ex ipsa lapsus conditione proclivitatem, habeturque pro sano qui dicitur adhuc ὀρθοσάδιος.

Medici circa hominem considerant res naturales, non naturales, & præternaturales; in Physiologia naturales considerantur, quin & suo respectu nonnaturales, eo ipso, quia harum usus rectus conservat, abusus destruit sanitatem.

Inter res naturales Physiologi referunt Elementa, partes corporis, humores, Spiritus, facultates, actiones, temperamenta, & quæ eò spectant, referunturque, uti hæreditaria, quàm à Parentibus trahimus dispositio, ætas, sexus &c.

Illa verò omnia considerantur respectu corporis humani, ad quod referuntur, illud verò hodiè dicitur Machina, seu automaton ex diversis organis ratione figuræ & magnitudinis

dinis certo ordine ac ſitu diſpoſitis ac conſtructis coagmentatum, quæ moveri à fluidis vitalibus debeant.

Quod per analogiam quandam certum eſt, ita tamen, ut artificium, quod emicat in corporis ſtructura, modis infinitis ſuperet machinas quæcunque & referat nobiliſſimam innumerarum mirabili artificio connexarum machinarum atque automaton combinationem, harmoniam, complexum ab uno Spiritu immortali juſſu Creatoris optimi, maximi placidè directam.

Intelligendum hoc quamdiu harmonia illa in ſanitatis conſiſtit ſtatu, omnesque ſecundum diſpoſitionem nativam actiones liberè decenterque fiunt, dum Spiritus, humores, ſolidæque quas illæ perfluunt partes benè conſtitutæ ſunt, ac tum ſanus eſt homo.

Sanitas ergò eſt integritas partium omnium atque actionum; hæcque facilè amittitur; ea tamen amiſſa vita non ſtatim amittitur, quæ diu adhuc, integritate illa amiſſa ſupereſſe poteſt, modò non ceſſent omninò actiones, maximè principes.

Vita hominis conſiſtit in continuata mentis & corporis communione atque vinculo, quo ſoluto ceſſant actiones omnes, homo moritur, ſpecialius tamen iſta determinare haud licet, cum nec ipſam unionis, & mutuæ actionis rationem inter hæc unita adeò diverſæ indolis ſatis habeamus perſpectam, nec mutuarum actionum modum, quid ergò de ſeparatione eorum, ac ceſſatione commercii illius dicemus congrui.

Nec aliud dicunt qui ſtatuunt, conſiſtere vitam in perpetua, libera, decentius, fluidorum perſolidorum canaliculos motu, promovente hunc ipſa ſolidarum motione partium, quæ tamen actuantur atque in motum viciſſim aguntur à fluidis, vel potius partibus impetum facientibus ſeu ſpiritibus.

Hæc

Hæc ipſa enim motuum harmonia ac conſtantia & requiritur ad illam corporis animæque unionem, & ab ea unicè, primariòque, tanquam vi præcipua, pendet.

Nec obſtat, quod alii dicant, vitam pendere ex cauſis merè mechanicis; id enim cum grano ſalis erit accipiendum; aliud enim eſt vita reſpectu vigoris motusque partium corporis, aliud eſt vita in ſe.

Dicunt hi cauſam vitæ corporis proximam, quæ veram & in modo noſtro concipiendi ſaltem remotiorem, animam puta, non excludit, ſed præſupponit.

Non enim tam quæritur de vita corporis, quàm de vita hominis, ac totius ſuppoſiti; ubi quæſo manet vita illa corporis, vita illa mechanica, ubi anima receſſerit; Spectat ergò omninò vita & ad mentem & ad corpus, imò propriè ad hominem ex utroque conſtantem principio.

Fruſtra igitur diſputant an in morte mens à corpore, an corpus à mente recedat, organis deſtructis mentique non amplius obſecundantibus, ſufficit ſolutam eſſe, arctiſſimam prius, unionem; ad minimùm anima aptior eſt ad ſeceſſum quàm corpus iners.

Quando verò ex ante ſuppoſita vitæ notione mortem dicunt motum deſtructum, improportionatum, ac inæqualem, minus propriè loquuntur, cum ceſſatio potius ſit motus vitalis omnis, eamque vel ſequatur, vel efficiat.

Sanitatem dum partium omnium bonam diſpoſitionem diximus; per partes intelligimus fluidas, ſolidasque partes, ſub fluidis etiam ſpiritus comprehendentes; hæ enim in ſe mutuò agunt, inque illa harmonia actionum integritas eſt quærenda, quando dicimus ſanitatem in ea conſiſtere.

Solidarum ergô debita conformatio atque unitas, fluidarum temperies, conſiſtentiaque, juſta requiritur quæ tamen omnia, uti de ſanitate ipſa dictum, aliquam habent latitudinem, gradusque plurimos; unde multa alii de ſtatu neutro dicunt

cunt ; quò etiam pertinet eorum ſtatus qui deſciſcunt ſenſim ad morbum ac pravam ſanitatem , quem dicunt ſtatum decidentiæ ; ſtatusque convaleſcentiæ à morbis.

Proximam ergò diximus ſanitatis cauſam , quæ alias non excludit, præprimis in tanta ſanitatis latitudine, ubi tariores illi qui plenè, ſine ulla labe ſani ſunt.

Conferunt ad eam res naturales , ac legitimus non naturalium uſus , ſeu congrua diæta , ut ſic benè ſe conſtanter habeant Spiritus , fluida , ſolidæque partes , circulatioque, ſecretio , ac excretio fluidorum omnium juſto modo , ac vigore fiat.

De Natura multa paſſim , ſed & minus clara atque evidentia dicuntur , pro diverſo , quem de ea ſibi formant authores conceptu.

Quibusdam internum motus & quietis principium dicitur ; Alii animam naturamque eandem eſſe exiſtimant ; Alii verò naturam dicunt cum Boyleo mechaniſmum corporis , actionumque nexum Naturam , quam vocant naturantem omnes tanquam Naturæ Dominum , ac authorem rectè agnoſcunt , modò clarè ſemper diſtinctèque loquantur.

Adeò verò multi hodiè omnia ſciunt , vel ſcire ſe putant, ut minus licitum, Philoſophicumque arbitrentur ad hanc naturam,cauſamque primam,& voluntatem ejus in rebus phyſicis recurrere , ut ferè inter aſyla ignorantiæ recurſum hunc referre videantur ; præſtaret verò ſæpè huc recurrere, & fateri in ratiociniis tortis ignorantiam, quam omnia velle demonſtrare, & miſerè hærere in pice.

Tutius illi, propiusque veritatem attingunt, qui de natura mentem ſuam declarantes , animam & illam partium actionumque harmoniam ſive nexum conjungunt. De hac natura rectè dicitur: quod ſit morborum medicatrix; quod ejus

miniſter ſit medicus, qui ſequi eam, leniterque ducere aliquando, cogere nunquam debeat.

Hæc facilè conſuetudines recipit; alteram hinc naturam has vocari audias. Ubi enim motus aliqui fiunt frequentius, eos fibræ, partesque, imò ſpiritus jugiter retinent, repetuntque, unde hæc naturæ conſuetudo in vitæ decurſu ac regimine, imò in morbis, morborumque periodis frequens obſervatur.

Cum natura menſuræ, numeri, ordinis, temporisque obſervantiſſima dicitur, quæ omnia ordinatè in corporis productione, ejus conſervatione, & morborum curatione faciat, ad divinam voluntatem, providentiam, ductumque potiſſimùm reſpiciendum eſt, cujus mandato, benignoque concurſu iſta tàm ordinatè, ignaris etiam plerumque cauſis ſecundis eveniunt.

Eſt ergò natura principium motus & quietis, quoniam juxta formatam modo Ideam & vim activam quæ in corpore ſe exſerit indigitat, & ipſam partium diſpoſitionem aptam, ac motibus omnibus vitalibus convenientem, quæ plus dicit quam mechaniſmum, ac ſublimior longè digniorque eſt, poteris tamen uti vocabulo.

Mechaniſmus ergò principium eſt actionum in hoc ſenſu, ſed non activum, verum in partium diſpoſitione debita quà figuram, ſitum, motum, ordinem, texturam, conſiſtens; de quo tamen ſæpius ſermo eſt.

Animæ vocabulum generale in Phyſiologicis ad humanam unicè animam reſpectus eſt, quæ vitam ſanitatemque conſervat, de qua tamen, ejusque eſſentia, numero, ortu &c. innumeræ inter Phyſicos gliſcunt, agitanturque lites.

Primum enim motus principium in machina humana dicunt animam, quam nunc Naturam, nunc Spiritum potentiis Mechanicis inſtructum, nunc materiam ſubtiliſſimam ætheream dicunt ordinatè & ſpecificè agentem.

Cum

Cum tamen probè agnoſcant præter potentias mechanicas & ordinatum agendi modum nos potentia nobiliori nimirum cogitandi & ratiocinandi inſtructos eſſe, mente nimirum, animam brutorum nobilitate longiſſimè ſuperante, cum immortalis ſubſtantia ac Spiritualis ſit.

Hinc fluctuant, neſciuntque, quî ſentire de anima ita debeant, ut omnibus ſatisfiat phænomenibus cum tantam cum brutorum actionibus convenientiam, tantumque ex altera parte diſcrimen obſervam.

Hinc quidam tres hominis partes eſſentiales ſtatuunt, corpus, animam, & Spiritum, illam animam ſenſitivam dicunt, mediæ inter Spiritum, corpusque naturæ, quæ corporis gerat curam atque actionem.

Alii verò malunt id omne animæ rationali adſcribere, quæ & intelligat velitque, & vegetativæ ſenſitivæque animæ functiones ſimul dirigat, efficiatque, nolentes multiplicare entia, atque advertentes unione ejus cum corpore ſoluta tam præcipiti lapſu corporis compagem ruere in putredinem, aliisque graviſſimis nixi argumentis.

Ut illi audacius ferè pronunciare videantur, qui nihil illi tribuunt, nec eam volunt concurrere ad actus ullos, quam quorum ſit conſcia, fientibus reliquis merè mechanicè, vi Mechaniſmi ac ſtructuræ partium, atque aptitudinis fluidorum; juxta mandatum divinum.

Uti verò dubium eſt nullum, juxta mandatum, ordinemque divinum omnia evenire, ipſam etiam animam, quin & mentem cum facultatibus ſuis, hinc pendere, id tamen quæritur, dubiumque manet, an volucrit hoc Deus, juſſeritque ac non potius majores animæ rationali, ejusque ſpirituali vigori, in ſtruendo ſervandoque corpore dederit partes.

Sicque anima inſtrumento ſuo utetur, per quod ſua juſſa exequitur imperſcrutabili ratione, ſpiritibus ſcilicet animalibus ſeu fluido nervorum, quod tamen ideò vix animæ merebitur

nomen, cum & ipſum non tam agat, quam agatur, determineturque ab alio.

Vita ſe variis gradibus, ut notum, modisque exſerit, nutritio enim augmentatio (vitæ enim hi actus ſunt) ac ſui ſimilis generatio homini cum plantis brutisque ſunt communes, motus & ſenſus cum brutis tantùm; Intellectus & voluntas, actus maximè vitales hominis, quà homines homini ſunt proprii.

Quid plantarum anima vegetativa, veteribus φύσις dicta, ſit, æquè occultum adhuc eſt, ac ψυχὴ brutorum, utriusque enim indoles planè abdita eſt, nec in eo ſcientia Phyſicorum ultra conjecturas aſſurgit.

Quanquam verò anima humana, πνεῦμα, (quamvis & illa ψυχὴ dicatur non immeritò) in ſua quoque eſſentia adeò manifeſta non ſit, ut viſum bonam de ſe opinionem habentibus Carteſianis, magis tamen nota illa, perſpectaque nobis quà inſignes circumſtantias eſt, quam illæ brutorum, plantarumque animæ, quæ crucem meritò Eruditis figunt, ſi maxime ſpectes ſagacitatem brutorum, ac ſtupendas, quæ paſſim recenſentur actiones.

Hæc quæ de anima diximus, determinant etiam numerum Vitalium facultatum, ſeu quæ vita durante exercentur, naturales ſcilicet illas, animales, ac rationales eſſe; vitali quam ſpecialiter alii allegant, æque ac genitali ab aliis ficta, ad naturalem referendo.

Non videbit Tiro Veterum facultates inferiores, expultricem, attractricem, retentricem, concoctricem; juſto enim ſenſu, atque explicatione commoda illa in corpore omninò animadvertet, modo ſibi ideam de illis convenientem cum fibroſa, tonicaque partium textura formet, à quibus pendent, æquè ac ab anima illas regente.

Supra jam ad Hippocratis mentem diximus, corpus ſolidis,

lidis, fluidis, moventibusque partibus conſtare, quas ille vocat, continentes, contentas, & impetum facientes, partes nempe ſolidas, fluida, & ſpiritus, aliis animam, aliis archeum dicentibus eos; in vocibus tamen erimus faciles.

De numero ſpirituum non diſputandum eſt; non indigemus niſi animalibus pro ſenſu & motu efficiendis, quæque eò ſpectant actionibus.

Spiritus tamen abuſivè dicuntur, quia non percipiunt, intelligunt, volunt aliosque verorum ſpirituum actus edunt, ſed movent quidem corpus, ita tamen ut ipſi prius moveri, vel determinari debeant.

Materiales enim ſunt, ac materia manent, licet ſubtilis, quantacunque verò ſit ſubtilitas ſemper tamen manet materialis, nec ad cogitationis aſſurgere poteſt naturam.

Interim ſubtilitas, inviſibilitas, activitasque ac facilis mobilitas ſpiritus ipſis acquiſivere nomen.

Vitalem quoque, ac genitalem Spiritum alii ſupponunt, ſed multiplicant Entia præter neceſſitatem, hinc alii arterioſi ſanguinis ſubtiliorem portionem ita vocari volunt, ut & ſeminis tenuiſſimas moleculas, quamvis nec iſta Spirituum poſſint ſuſtinere dignitatem, nomenve, cum peculiaria quibus fiant organa non habeant, nec ſuos per quos fluant, ruantque ad partes canales diſtinctos.

Subtilitas ſola ad ſpiritus conſtituendos ac denominandos non ſufficit, alias plurimi fingendi eſſent Spiritus, nec ſpiritus animales extra canales ſuos, nervosque ſunt Spiritus, dum ergò in ſanguine adhuc ſunt, nondum ſunt Spiritus, nec porrò tales manent, cum è nervorum partiumque fibris ac tubulis elabuntur, quare nec in teſtibus eorumque meandris ac fluido.

Unus ergò ſpiritus eſt animalis nempe, in cerebro à ſanguine ſecedens, per occultam hactenus ſecretionem, quâ modum ſcilicet.

Licet enim à Malpighio hæc quaſi legas depicta, atque ab aliis adhuc dilucidius illuminata, abſit tamen, ut ea pro evidentibus adeò, ac quaſi conſpicuis habeas, cum meris nitantur conjecturis, quæcunque etiam ſit microſcopii acies.

Difficile eſt eorum aſſignare materiam; quidam omnem ſubtiliſſimam ſanguinis portionem aptam exiſtimant, alii lucidas eas volunt, alii ſulphureas, ſalinas, æthereas, aëreas, & quid non; manifeſto incertitudinis indicio.

Sulphureæ ſane & ſalinæ indolis vix erunt, nec in illius anguſtiis habitare valet lux, nec æther concludi poteſt fibrarum cancellis mollibus qui pervadit omnia; aëreæ forſan erunt indolis, favet elater, agilitas, ac vis inſignis ad undulandum, ut loquuntur, ſeu oſcillandum.

Videntur id poſcere actiones, quas per organa edunt, motus & ſenſus, fientes eorum per nervos undulatione ſeu motu, ad quem Elaſticæ aëris moleculæ aptiſſimæ ſunt præ aliis quibuscunque, ad analogiam maximè Experimenti anglici ſi reſpiciamus de veſica inflata pondus unà ſat grave ſuſtollente.

Hac elaſtica ſpirituum indole ſuppoſita non opus erit eos vocare ens activum per ſe, in alia materia efficiens motum ordinatum ac determinatum, elateris enim vel inflantis vel trementis actio non determinat, ſed determinatur à ſtructura fibrarum, organorumque.

Anglorum ſuccus nerveus nutritius, qui multos olim defenſores nactus erat, vix amplius ea, quâ prius audacia obtruditur, rationibus atque experimentis evidentibus reclamantibus.

Quanquam nec hactenus defuerint, qui acriter decertarunt inter ſe, an fluat in nervis fluidum palpabile, an verò, ſpirituoſum, favente ultimis experimentorum agmine.

Dubi-

Dubites autem an veritate ſalva conciliatores ii agant, qui probabile exiſtimant, fluidum nerveum ex aëreis quidem conſtare moleculis, ita tamen ut unà conſtet ex ſubtiliore ſuccì nutritii parte, atque adeò & formaliter & materialiter ad nutritionis negotium concurrere.

Nec inter modernos deſunt viri Celebriores, qui ipſam Spirituum animalium, ſeu fluidi per nervos undulantis fluentisque exiſtentiam penitus acriterque negare ſuſtinuerunt, quorum aliqui modos quosdam, quibus motus, ſenſusque fieri tament poſſint, ſubſtituunt, alii in ſimplici negatione ſubſiſtunt, ut Liſterus.

Qui quidem prudentius agunt, quàm ii, qui cum Baglivo potentias Mechanicas ad motum muſculorum efficiendum ſine ſpiritibus per ſanguinis globulos fibris interfuſos miſerrimè ac ſine ulla vel minima verſimilitudine applicare audent, ſaltem ut omnia mechanicè fieri ac explicari videantur.

Duplicem videas allegari ſpirituum motum, alterum rotatorium particularum circa ſuum axem; alterum rectilineum; vix tamen ea indigemus diſtinctione, cum per ſe evidens ſit, fluidum tam ſubtile inteſtino partium motu cieri, quà ſpiritus tamen ejus actio magis in directa motione, vel à cerebro facto niſu verſus partem in motu, vel à parte vel ſenſorio ad cerebrum in ſenſu, conſiſtit.

De circulatione quoque ſpirituum paſſim legimus, ſed talia quæ fundamento deſtitui facilè agnoſcas, cum ſpiritus animales ubi ſemel elapſi fuerint ex fibrillis & canaliculis ſuis, eo ipſo deſinant eſſe ſpiritus.

Fluida craſſiora, ſeu humores in genere primùm conſiderandi, hæc enim & apud veteres & Modernos doctrina ampliſſima eſt, ac quia fundamentalis, maximè intricata, controverſiisque onuſtà.

Celebres ſunt veterum quatuor humores ſanguis, bilis, pituita,

tuita, melancholia quod excogitarunt ad analogiam quaternionis Elementorum, horumque qualitatum.

Probè verò hi humores naturales distinguendi sunt, à præternaturaliter dispositis ejusdem denominationis, toto enim cœlo differunt, sunt enim hic Physiologicæ considerationis.

Si velis conciliatorem agere, haud difficile ostensu erit, qui in corpore tales ostendi humores queant, cum de bile nemo dubitet, Lympha verò gelatinosa spissiuscula, aliæque glutinosiores corporis humiditates per pituitam queant intelligi; Melancholiæ verò in salinis terreisque particulis vestigia ostendi possint, quanquam nec indigemus conciliatione.

Corpus scatet succis per ejus canales diffusis, qui tamen omnes comprehenduntur sub massa sanguinea, in qua concentrantur, confluunt, commiscentur, à qua iterum secernuntur passim in visceribus.

Omnes enim reliqui humores â sanguine derivantur, atque ex illius massa emergunt, in quam productus in primis viis ex cibo potuque, chylus per lacteorum vasorum Systema infertur, reliqui verò humores omnes pro secretoriorum organorum varietate ab eodem rursus loco ac quantitate conveniente separantur, vel eidem re affundendi, uti lympha, vel per certa emunctoria, ductusque excretorios eliminandi, eaque omnia debita proportione.

In ipso sanguine partibus admodum heterogeneis constante potissimum attendimus ad conspicuas duas portiones insignes magis atque manifestas, Limpidam, pellucidamque copiosiorem, & rubicundam, purpuream minus abundantem, de quibus infra redibit nobis sermo.

Ex hac massa humores reliqui omnes scaturiunt tanquam fonte suo ac cisterna, cujus antea partem constituerant, post secretionem verò & ab illa massa & à se invicem diversi, pro organorum secretoriorum colorum, saporum, seu contentorum, nunc demum evolutorum differentia ac varietate.

Alii

Alii verò ſuccorum excretorum ideò ſecedunt à maſſa, ut ea à moleſtis ſuperfluisque partibus liberetur, alii ut corporis utilitati ſerviant redeuntes vel ad maſſam ipſam, vel ad aliam officinam, utibilis &c. vel ſpeciei conſervationi ut litent, quod de ſemine novimus.

De ſolidis partibus id hic monendum in genere, quod variæ circa illas deciſiones probè menti ſint imprimendæ, ob uſum partim neceſſitatemque, partim verò ut rectius libri aliorum intelligantur.

Diviſionem Anatomicorum in artus, & tres ventres humanum corpus dividentium vix attingimus; nec tamò animadvertet ſagacior Tiro, plurima nimis operosè diviſa, ſubdiviſa, præ primis in nephrologia &c. nimia autem ſubtilitas gravat memoriam diſcentium, felix qui novit ſeligere neceſſaria, quæque ad pompam ſubtilitatemque faciunt minus ſolicitè curat.

Diviſio in partes ſimilares & diſſimilares ex prioribus compoſitas rectè ſe habet, quanquam & inter ſimilares ſint quæ ad diſſimilares, vel ſaltem organicas pertineant in ſtricto ſenſu, quanquam magis hic ad viſum nudum, quam microſcopio armatum ſit reſpiciendum.

Unde & quà partes organicas & inorganicas hoc notandum, quod aliud ſit eſſe organum peculiare certæ actioni abſolutè dicatum, aliud eſſe organicum quà diſpoſitionem & texturam, organo enim noſtri corporis ſunt decompoſita mirabiliterque ex innumeris aliis organicè egregièque conſtructis partibus conſtant.

Ac conſidera ſaltem ſimpliciores illas, ſimilaresque partes, oſſa, adipem, muſculum, membranam, glandulam, annon totidem organa, totidem ſtupendas, mirabilesque ſtructuras deprehendes, quæ tamen omninò ſimpliciorum nomen merebuntur, reſpectu partium aliarum ex his artificio

ficio adhuc majori conſtructarum, cujus in oculo, in aure, aliisque exempla manifeſtiſſima cum admiratione conſpicimus.

Quanquam omninò ſimpliciores his dentur fibræ nerveæ, ac motrices, vaſcula, ac membranæ ex fibris conflatæ, complanatæque. Sed nec harum omnium tanta ſimplicitas eſt; fibra motrix, vaſculum quodcunque mirabilem, organicamque ſtructuram habet.

Quare & fibrarum neceſſaria eſt diſtinctio, nec eadem omnium ratio eſt, majorque obtinet circa illas varietas, quam quidem hactenus à ſcriptoribus annotatum traditumque eſt.

Partium diviſio in ſpermaticas & ſanguineas non id dicit, quaſi omnes partes in ſemine delineatæ non ſint, ſed ob colorem partium nervoſarum, membranacearumve pallidiorem, qui tamen ex ſtructura pendet, quod pauciora vaſa ſanguiveha irrigent has partes quàm alias multo ſanguine perfuſas quo elato per Siphonem ejectionesque pariter albicant, quod exemplo hepatis, ac lienis evidens eſt.

Non eandem partium omnium dignitatem eſſe cum nemo non agnoſcat, enata eſt diſtinctio in partes principales, & minus principales, quæ fundatur in dignitate functionum vitam propius attingentium atque foventium.

Hinc lites illæ de cordis vel cerebri primatu, ac ſede animæ, nihil enim de iis attinet dicere, qui cum Helmontio ventriculi ſiniſtro orificio nimis arctum tribuunt cum partibus principibus nexum, utut conſenſum per communes nervorum plexus, qualis in omni corporis parte, inæqualiter tamen obtinet inficiari nemo vel poſſit vel debeat.

In glandula pineali Cartheſii Schola animam tanquam in throno ſuo locavit, non ſine ſpecie, quod in meditullio quaſi cerebri illa ſit, utut ad thronum talem minus apta.

Quis enim ſpiritui verò, qualis eſt mens humana aſſignaverit talem locum præciſum eum ſpiritus ea ratione, qua corpus, in loco planè non ſit, ſed uniatur corpori ea ratione quæ ex-

exprimi cognoſcive ideis noſtris non poteſt. Hinc nata locutio philoſophorum, quod ſit tota in toto corpore, & tota in qualibet parte.

De eo autem quicquid ſit; eſt tamen in cerebro illud centrum ubi tendentes ad animam radii concurrunt, ac mirabile eſt vinculum illud quod omnipotentia, ſapientiaque divina inter res adeò diverſas effecit, tanquam baſin arctiſſimi commercii, quod ipſe hic ſpiritus omni ſuo acumine nulla ratione comprehendit.

Neque tamen id derogat dignitati cordis, neque impedit quò minus id principalis partis nomen eodem jure mereatur, cum omnis cerebri vigor, ſpirituumque ſuppetiæ ab eo perpetuo rivo petantur, ac dependeant momentanèe.

Cap. II.

PHYSIOLOGIÆ.

DE PRINCIPIIS PHYSICIS, ET ELEMENTIS.

DE principiis etiam atque Elementis Medicus agit, non quod omnes Phyſicorum minutias ac ſubtilitates ſuas faciat, ſed ut neceſſariorum cognitione Tirones imbuat, ac fundamentalia ſupponat.

Quanquam verò Medicus Phyſicæ ſtudium nec poſſit nec debeat negligere, eoque cumprimis indigeat, maximè ex libro naturæ hauriendo; examen tamen ſtricturasque mereretur canon receptus: ubi deſinit Phyſicus, ibi incipit Medicus.

Nolim certè cum aliis ſupponere, uti totam Naturam, ita quoque omnem Medicinam debere eſſe Mechanicam, qui crediderim potius ex naturæ phænomenis Mechanicos ſua deduxiſſe principia, quàm ut Natura dici debeat mechanica.

Vellemque videre Medicum totum Mechanicum, figurisque ac motuum legibus eximiè inſtructum, quæque is dex-

teritate ægrum cachexia, febrive laborantem ſit reſtituturus ſolis his principiis, in ſe ſubinde utilibus, ſed annumerata univerſalibus, uti communiter hodiè æſtimari à plurimis ſolent.

Principia verò Mechanica, quæ commendant moderni, materia & motus, non excludunt Elementa vel Peripatetica vel Chymica; unius poſitio non eſt alterius excluſio; unum explicat alterum, modò non renuamus ea conferre.

Medicus non eſt ſollicitus an eſſentia materiæ conſiſtat in extenſione, an verò in impenetrabilitate, atque an hæc æquè ac finitudo, figura, ac diviſibilitas potius ex prima illa proprietate fluant; perinde enim eſt Medico quænam materiæ eſſentia ac formalis ratio ſit.

Motus eſt principium valdè univerſale, origo omnium quæ hodiè contingunt materiæ modificationum, ac proin formarum; interim tamen nimis hodiè motui adſcribunt, vel potius nimiam ſibi arrogant circa illum ſcientiam, quam utut in generali multum excoluerint, quà ſpeciales tamen motus ac naturæ phænomena in minutiis ſuis occultura adeò cœcutiunt, ut ultra conjecturas aſſurgere vix unquam valeant, quamcunque etiam prætendunt evidentiam; ac ferè demonſtrationem.

Materiæ quidem partes ſaltem differunt ratione figuræ ac magnitudinis, minimè tamen hoc ſufficit, ad probandum omnem ejus differentiam contineri in diviſione materiæ in ſubtiliſſimam, ſubtilem, ac craſſiorem ſeu terream aqueamque.

Utut enim hæc aliquid dicant, rem tamen non exhauriunt, nec majori firmiorique nituntur fundamento quam tria Carteſii Elementa, in ejus cerebro nata, atque extra illud non exiſtentia.

Non quod materia hujus univerſi ſubtilitate vel craſſitiê quà partes ſuas non differat, quis enim hoc negaverit, ſed

ſed quod in iſta terminorum generalitate non liceat ſubſiſtere, ſi phænomena explicare aliquali ſaltem evidentia conemur, quò confert Elementorum doctrina à præjudiciis libera.

Interim manet certum à particularum figura ac magnitudine pendere texturæ ac formarum in corporibus originem, ſicque corporum formas ac differentias, ipſaque elementa his principiis tanquam prioribus, occultioribusque, varietatem ſuam debere.

Fruſtra ergò diſputant de formis ſubſtantialibus, medicusque hæc non curat, cui ſufficit craſin texturamque partium attendere, earumque ex phænomenis indolem hariolari.

Quamvis magnitudo, figura, motus, quies, radicales univerſalesque corporum ſint affectiones, ideò tamen omnium naturæ phænomenorum rationes inde peti non poſſunt, vel ſaltem non expectari vel obtineri, quoniam tam abſcorditæ ſunt hæ minutiæ ac imperſcrutabiles, ut in tenebris palpent inquiſitores, utut credant ſe aliquid reperiſſe, cum aliquam attigerunt conjecturam.

Præſtat ergò ſæpiſſimè in ſimpliciori ac Elementari partium allegatione ſubſiſtere, quàm ad iſtas ſubtiliores determinationes infelici plerumque ſucceſſu progredi, niſi manifeſtiores ſint figuræ illæ ac reſpectus particularum minimarum ſatis cognitarum.

Iſtam verò partium materiæ diverſam figuram nullum eſt dubium quà moleculas majores & mixtas à concurſu partium ſub variis motibus vario variaque combinatione oriri, quà partes autem ſimpliciores, minores, Elementares, recurrendum ad voluntatem Divinam potentiamque quæ illis figuras ſuas, partimq; tendentias efficaciter indidit, ſimul cum ipſarum creatione, adeò ut falſus fuerit Carteſius, credens has omnes particularum fi-

guras Deum per motum materiæ partibus impreſſum effeciſſe, cum tamen eo medio ejus omnipotens voluntas non indiguerit ad cujus imperium ſine prævviis motibus attritionibus ac divulſionibus omnium generum particularum figuræ, magnitudines, formæque reſultarunt adeò ut noſtrorum artificum miſeram impotentiam tantus philoſophus Deo inconſideratè affinxiſſe videri queat.

Materiam ſe ipſam movere non poſſe certum eſt, motumque ex uno corpore in aliud propagari, neque tamen hæc nativa materiæ paſſivitas impedit quominus certis ejus portionibus, corporibusvè indiderit vim activam, motumque perpetuum Deus, ac niſum ab illo corpore jam non ſeparandum, ſi illi ſemel datus fuerit; tale quid an circa aeris quoque Elaterem obtineat non auſim decidere.

Tranſit ergò impetus ab uno corpore in aliud, diffunditurque proportionatè; certant tamen adhuc an mens humana in corpus poſſit agere, vel ſaltem in ejus ſpiritus, qui ſunt corpus ſubtile, cum alii putent animam ſaltem velle, & ad hanc voluntatem, non ob actionem animæ in ſpiritus, juxta mandatum divinum ſemel latum in rerum primordio ac vi æternæ legis ſequi motum; huc quoque pertinet D. Leibnitii Harmonia præſtabilita.

Cardo rei vertitur in controverſia celebri, an ſpiritus poſſit agere in corpus? quod fieri poſſe, ſiquidem placuerit Deo, dubitandum minimè eſt, probatque id vel unicus angelus, qui in caſtris Aſſyriorum tot millia hominum una nocte interfecit, quod ſine actione in eorum corpora facere non potuit.

In univerſo hoc iſtaque rerum harmonia ac diſpoſitione adeò non omnis motus eſt rectilineus, ut potius nullus exactè talis ſit; an verò natura ſua ad rectilineum tendat fruſtra quæritur, quia nulli in vacuo fiunt motus, ſed ubique ſunt obſtacula, ergò in quovis motu aliqualis deviatione carvitas.

Omnem motum preſſione, nullum tractione in natura

fieri

fieri operosè plerique probare contendunt, res non est magni momenti, diversus respectus tollit omnem controversiam, nec debemus in verbis esse difficiles ; Medico ad minimum lis illa nil faceſſit negotii, qui & tractionem & preſſionem in pathologicis, ſtaſiumque doctrinam, ſi rem intueri ſine præjudiciis velit, haud difficulter animadvertet, nec tanquam oppoſitas eas conſiderabit.

Æquilibrium in rebus naturalibus omninò obſervatur in quo conſtituta corpora quieſcunt, eo autem deſtructo moventur tamdiu, donec ratione gravitatis locum occupaverint in quo ſubſiſtere poſſint ; id verò de fluidis potiſſimum obtinet ; & quidem in ſtatera naturali ſibi liberè relictis ; hinc alia ſæpè ratio fluidorum corporis in amplioribus, arctioribusque ſuis canalibus conſtrictis, qui ſui juris non ſunt, ſed à ſyſtemate fibrarum partiumque tono multum pendent.

Corpus ubi alterius locum ingreditur, alterum inde expellit ; verus eſt canon, ſi non in amplioribus hujus corporis poris ſatis loci ipſi ſuppetat in quo ſe occultet, maneatque ; penetratio dimenſionum non datur, ingens tamen pororum in corporibus multitudo, qui ſubtilioribus replentur corporibus.

Hodie quidem omnes cenſent nullum corpus abſolutè leve eſſe, ſed ſolum unum altero magis vel minus grave, quod ideò leve dicatur, ac gravitatem proin & levitatem eſſe reſpectivam ; ſed reſpiciendum tamen ad cauſam gravitatis, quæ ſi ſit æther circulans, corporaque deprimens, eo ipſo patebit, omnia eſſe gravia, ætherem autem gravem non eſſe.

Utut corpora *leviora* à fluidis denſioribus ac ſpecie gravioribus ſurſum extrudantur, id tamen ad deſcenſum corporum gravium extendi non debet, ad quorum deſcenſum fluidum non confert, ſed potius eum impedit quodammodò.

Fluida gravitant in corpora quibus incumbunt ſecundum altitudinem cylindrorum, ita verò non poſſunt conſiderari humores corporis noſtri in vaſis fluctuantes, quia ſui juris

non

non ſunt , ſed premuntur à fibris partium tuborumque continentium , qui ſe non habent uti tubi in Experimentis hydroſtaticis , merè paſſivè , ſed tono ſuo extenſioni reſiſtunt , urgentque retro humores à corde cum impetu propulſos.

Fluiditas non præciſè conſiſtit in poroſitate inſigni , ſive magnitudine & frequentia pororum , cum & ſolida ſint quæ magnis multisque ſcatent poris ac cavitatibus , æquè ſubtili materia repletis ac pori fluidorum ; ſed reſpiciendum ad inteſtinum partium motum , quodque illæ non cohæreant , in quo formalis ratio fluiditatis conſiſtit , inque partium ſuper ſe invicem volutatarum lubricitatem ac glabritiem.

Soliditas ergò ſupponit cohæſionem particularum ac juxta ſe vi illius quietem ; cohæſionis, verò cauſam alii quærunt in ramoſis particulis ac glutinoſis , alii in expreſſione ætheris & compreſſione illius aërisque ab extra , cui fini alii ſupponunt particulas omnes cohærere ut plana polita ab aëris preſſione unita, in vacuo facilè divellenda.

Non omnium ſolidorum eadem ratio eſt , nec eadem ubique particularum cohæſionis cauſa , variat illa pro diſpoſitione ſubjecti ; æther tamen cum omnia tam promptè pervadat ad ſoliditatem uſque partes non poteſt comprimere , nec aër , quia alias in vacuo recipiente omnia corpora amitterent conſiſtentiam ac ſoliditatem ſuam ; planorum tamen politorum analogia negligenda non eſt , quanquam nec illius cauſæ plenè pateant hactenus, ac reclamere videantur nonnulla experimenta contradictoria.

Solida cum quiete gaudeant partium ; ea omnia ex fluidis ſolida faciunt , quæ partes deducunt coguntque ad implicationem, ad quietem, uti videmus hyeme in oleis, in ſpiſſam tum concreſcentibus conſiſtentiam , adeò ut ſcindi poſſint, &c.

Cum

Cum fluidorum particulæ perpetuò ſint agitatione inteſtina, ob ætherem aëremque interfluum, & maſſæ ſuæ heterogeneitatem, hinc apta ſunt ad ſolvenda corpora ſolida, non equidem quæcunque, ſed ea quæ vel quandam indolis ſimilitudinem habent, vel rigidis ac divellentibus menſtrua particulis ſpiculisque cedunt.

Natura in productionibus ſuis duriſſimis, e.g. lapidibus, gemmis &c. incipit in fluido, & deſinit in ſolidum; in vegetabilibus autem ſi non à fluido, à molli tamen incipit, tenditque ad proportionatam cuivis organo, partique duritiem, interfluis ſuccis temperatam gradibus innumeris, quod inductione oſtenſu eſt facile.

Non tamen omnia ſolida auſcultant menſtruis, licet enim videri queat, omnia corpora poſſe emolliri ac reſolvi, ſi particulæ elaſticæ vel igne, vel menſtruis iisdem impingant; ſunt enim quæ nec emolliri nec reſolvi poſſunt, exemplo talci aliorumque, nec præciſæ elaſticæ ad ſolutionem moleculæ requiruntur, ſufficiunt rigidæ ac quà figuram congruæ.

Solutio dicitur, quando ipſius corporis ſoluti minores moleculæ ſub propria forma interveniente menſtruo ſaltem dislocantur, divelluntur, ac diſtrahuntur; plus tamen importat ſolutio, ejusque varii dantur gradus; aliaque ſolutio eſt metallorum ab aquis ſtygiis, alia à Mercurio, alia ab igne, alia ſalium ab aqua, reſinarum ab oleo vel ſpiritu.

Imò ſi extracta, ſolutiones, eſſentias; Tincturas, decoctiones &c. conſideres multa in hanc rem attentione digna occurrent, ita tamen ut in omni ſolutione concreti quædam moleculæ attenuatæ, atque ab aliarum nexu ſeparatæ, natent in ſolvente liquore, ſeu menſtruo, nunc parcius nunc abundantius, nunc ſimplici totius ſolutione, nunc certarum tantùm ac congruarum partium ſeparatim facta extractione ac diſſolutione.

Hinc tanta præcipitationum varietas, vel ſimplici ſubſidentia ob gravitatem partium, vel contrario ſale urgente ac deturbante, vel quocumque alio impulſore, unde tot in chymicis pharmaceuticisque producta, ex menſtruis poſt ſolutionem ad fundum acta.

Ex quolibet corpore egrediuntur, atque exhalant effluvia, ex uno plura, ex alio pauciora, quod experimentis liquet Boyleanis; Suntque paſſim talia quæ athmoſphæram circa ſe exhalitibus propriis perpetuò habent, alia tamen queis partes minus ſubtiles ſunt, utut etiam aliquid amittant effluviorum, vix tamen dici poſſunt cingi propria athmoſphæra.

Altera verò omnia cinguntur, aëre ſcilicet Athmoſphærico ubique præſente ac penetrante in corporum interſtitia ac cavitates.

Maſſa verò illa ingens athmoſphæra dicta, admodum heterogenea maſſa eſt, aer quidem baſis eſt, ſed ſolus aer non eſt qui eam abſolvit conſtituitque, ſed magnam ejus partem occupat perfluens æther, ac præter hunc replent eum undiquaque omnis generis exhalationes, & particulares athmoſphæræ corporum terreſtrium omnis generis, quibus tamen in partibus inferioribus refertus magis eſt, quam in elatioribus, quod nebulæ, nubesque & montium altiſſimorum, ſerenitas docet dum in ima regione tempeſtas ſævit.

Æther cum aere non debet confundi, nec benè ſubtilior aer æther dicitur, nec cenſendum athmoſphæricum aerem ex æthere & aqueis, aliorumque corporum effluviis conflatum eſſe; æther enim in aere eſt, ejusque poros perfluit, pars tamen ejus non exiſtit.

Æther eſt corporum omnium tenuiſſimum, cœleſte, fluidum perfectè ſimplex, perpetuo motu, niſuque pollens, univerſale, ubique penetrans, porosque permeans quoscunque, omne proin excludens in natura vacuum.

Principium hoc activum ſubtile, penetrans plerisque rebus

bus vigorem motumque impertit, utpote quaqua versum celerrime suo modo circa terram fluens, corporaque pervadens.

Unde non alii solùm illi motus adscribuntur, sed & potissimum gravitas omnium corporum, quæ versus centrum terræ premit urgetque ; quin & elaterem aeris interfluente sua activitate constituere dicitur.

Nec tamen est, cur dicatur mundi anima; cum hic motor etiam aliunde motum suum non solum habeat, sed & cognitionis expers ex necessitate pororum obstaculorumque quæ deprehendit agat, æquabiliter nempe appellens ad omnia corpora, ab iis determinatur.

Ubi verò ampliſſima, quæ supra nos sunt , spatia replet, ita & universum hunc globum nostrum , ubique intimè pervadit, ac plus ibi præstat mirabiles actiones, quàm in spatiis copiisque suis ampliſſimis; terram enim nostram, etsi Mathematicis tota die punctulum exile dictum, respectu vastitatis supra lunaris, non debemus considerare eadem ratione, sed tanquam vastissimum, mirabilibusque repletum globum , in quo millenæ ætheris actiones earumque varietates sunt , cujusque ne omnem quidem hactenus corticem satis habemus perspectum; quid igitur sperandum de interioribus tantæ massæ.

Id adhuc decisum non est , an æther quem dicimus sit tantùm pellucidum summè fluidum, quod transmittat perfectè lucem, radiosque solares, an verò sit ipsa quasi lucis materia à Sole saltem agitanda excitandaque.

Distinguendus erit ab elementis; utut enim ubique præsens, corporum tamen texturam non ingreditur, nisi cum aliis dicas ad ignem sulphurisque in flammam expansionem potissimum contribuere.

Cæterum sua subtilitate, tenuitate omnia Elementa superat, atque ad aërem forte se habet , ut aer ad aquam respectu consistentiæ.

Hanc ipsam ob tenuitatem simplicitatemque, indicibilem

colligere licet, eum tam diversimodè se non habere, uti in Medicorum libris legitur, ac mereri adhuc penitius examen peregrinum ætherem toties in febribus allegari solitum.

Utut enim passim effectus edat diversos, id tamen non est ex natura sua variante, sed ex dispositione objectorum variaque pororum & miscelarum ratione.

Ætherem causam esse gravitatis plerique supponunt, si tamen, quod alii experimentis volunt evincere, ipse æther gravis est, gravitatis causa non erit, nec cohæsionis, corporum, quanquam hæc medicum non teneant sollicitum, cui perinde est à quo principio sit gravitas, ut proin hanc difficultatem cum multis aliis in Physica planè declinet.

Aerem verò gravem esse, ac in alia corpora suamque proportionatè exserere gravitatem infinitis hodiè experimentis evictum est, & quidem igne seu flamma multò graviorem, quam sursum protrudit non sponte ascendentem, ob gravitatem suam specificam majorem.

Sed & moleculas plerorumque aliorum corporum sursum tanquam leviores extrudit, & in sinu suo natare cogit, si satis fuerint attenuatæ, hinc mirabilis athmosphoræ varietas.

Aqueas tamen præ aliis, in halitum redactas, suo in sinu largissimè vehit, nebula, pluviaque hygrometris, aliisque passim meteoris id abunde comprobante.

Uti tamen ab æthere planè diversus est, neque hic ejus partem constituit, ita & ab halitibus diversus est, utut hospitium ipsis præbeat, magnamque cum illis monstret foveatque convenientiam.

Elater ejus æquè evidens est per innumera experimenta, ac post compressionem pristinum assumit statum, comprimique ac dilatari incredibili modo potest; idque adeò constanter, ut licet tensus, compressusque maneat diuturno temporis spatio, eadem se postea plenaque libertate restituat, ac si nunquam

fuis-

fuiſſet compreſſus, quod in corporibus ſolidis elatere pollentibus non ſolet obſervari; cum amittant tandem nimis diu tenſa vim illam.

A gravitate & elatere aeris innumeri etiam in noſtro corpore, uti in Macrocoſmo, effectus mutationesque contingunt, eòque magis aër medicæ conſiderationis eſt, probèque tum quà ponderis atque elateris ſui gradus, tum quà admixta effluvia, aliasque qualitates conſiderandus, obſervandusque.

Cæterum hanc gravitatem non ſentimus, nec debemus poſſumusve ſentire, cum non ſolum æquabiliter quaqua verſus premat & ex omni parte, ſed & quod interni aeris elater eadem vi urgenti incumbentique exteriori reſiſtat, æquilibriumque conſervet; unde reſponſio de urinatoribus non omninò quadrat, quia illi ſæpe ſatis ab aqua premuntur uſque ad ſanguinis protruſionem è naribus.

Atque adeò hæc gravitas aëris neceſſaria corpori atque utilis eſt, æquè ac Elater, ut ſine illis de vita actum mox eſſet, ac vitalitate humorum, abundantiſſimè enim iis ineſt aër, eosque replet.

Hinc jacturam ejus nulla ferunt animalia, omniaque moriuntur in recipiente evacuato, non æquè tamen ſubitò ac facilè, prout ſcilicet aëre magis minusve ad vitam indigent; moriuntur tamen etiam minima inſecta.

Diutius verò ejus abſentiam jacturamque ferunt viperæ & ſimilia, fœtusque recens editi, ob foramen ovale adhuc patens, pulmonesque non adeò aëre refertos.

Animalia enim ſub tortura illa moriuntur non ob ſubductionem nitri aerei, ſeu ſpiritus illius nitroſi vitalis quem quidam fingunt, ſed ex aeris interni intertextique nimiam libertatem, à ſui elateris impetu perrumpentis, confundentis, convulſiones, mortemque inducentis.

In vacuo enim potiſſimum arterioſus ſanguis aëre turgere

deprehenditur, quippe qui ſub exhauſtione aëris intumeſcit, in racemos quaſi bullasque attollitur, ac extra viti etiam expellitur oras.

Aliud eſt aërem dicere graviorem, aliud denſiorem, aut ſpiſſiorem, aut miaſmatibus refertum, hæc enim idem non dicunt, turbidus aër ſereno levior à barometro labente oſtenditur, probè tamen diſtingues impreſſiones aëris in machinas tales, easque quæ in corpus noſtrum fiunt, de qua differentia alia occaſione dicemus.

Sunt manifeſtæ in aere exhalationes qualitatesque multæ, ſunt tamen & occultæ, à Boyleo indicatæ, coſmicæque dictæ, multa enim in hac maſſa latent, incognita nobis; ut taceam Syderum per eam influxus, & quî circa illum ſe habeat aer, vel transmittendum, vel impediendum, vel augendum, vel cooperandum.

Aer verò eſt deſtructor generalis, & ob ipſam partium ſuarum elaſticam violentiam, admixtaque heterogenea variorum corporum promovet corruptionem, unde eum adeò arcent Chirurgi.

Uti vero fructuum e. g. maturationem juvat, perficitque, ita & eorum poſtea excocto ſucco putredinem promovet ac deſtructionem ſuccum ſenſim ſenſimque corrumpendo, partesque ad feceſſum urgendo, ſtimulando, cogendo.

Idem in corpore noſtro fit, integritatem ſolidarum fluidarumque partium ſub animæ moderamine conſervat, ubi eam amplius non poteſt conſervare abeunte anima, putredinem, corruptionemque potenter celeriterque ſpirulis ſuis urget acceleratque ut tabo mox omnia diffluant.

Vapor, in quem aqua calore reſolvitur aëri admiſcetur, aerem refert, aër verò non fit, ſed promptè redit à frigore concentratus ad aquæ conſiſtentiam ac naturam, ut proin hæc duo elementa idem non ſint, nec in ſe mutuo commutentur.

Mi-

Mireris verò aquam adeò caloris vi dilatabilem, atque expansioni in infinitum quasi obnoxiam in naturali suo ac densiori statu compressionem pati nullam, adeò ut nec omnis antliæ pneumaticæ, cujus pistillum rota agitatur dentata, vis eam vel ad pili unius latitudinem valeat comprimere, cujus in Mutsenburgianis antliis experimentum factum est non semel, adeò ut si quæ experimenta, globi stannei aureive aqua repleti, ferruminati, malleoque percussi ad fovearum impressionem, aquæque facto foramine violentam prosilitionem enarrantia, compressibilitatem ejus videantur adstruere, ea potius ab intertextis inter ejus moleculas aëris spirulis, harumque sic fortiter compressarum elastica vi sint derivanda.

Aer enim copiosus in poris aquæ hæret, ejusque moleculæ elasticæ lubricis aquæ partibus insigni numero interseruntur, quod in antliæ pneumaticæ vacuo bullulæ innumeræ, calefacta cumprimis aqua docent.

Utut enim aqua, tanquam fluidum corpus, cujus in motu perpetuo sunt partes, constantem pororum non videatur admittere figuram, ejus tamen anguillarum, ut sic loquar, minimarum interstitia non solum aëreas admittunt spirulas, sed & ætherem perfecta diaphaneitate pororumque, quam supponunt, rectitudine transmittunt.

Mirabile corpus est aqua triplici cumprimis suo statu, dum juxta modo dicta resolvitur in vaporem, ordinariè limpidam exhibet undam, à frigore autem, redactis ad quietem particulis ac cohærentibus inter se earum superficieculis, in glaciem duratur.

Aqua uti in Macrocosmo, naturaqua universa insignes præstat usus, ita ad Medicinam relicta est amplissimi usus, & basis omnium humorum corporis, omniumque humectantium, sitique oppositorum, quin & omnium, quæ

quæ ad medicamenta requirimus menſtruorum atque vehiculorum ſalia enim, Gummata, mucilaginoſa corpora ac Gelatinoſa ſolvit tanquam conveniens menſtruum eorum particulas disjungens promptè ſuoque de hinc in ſinu vel geſtans vel præcipitatione dimittens.

Hinc tot effectus ab ipſa repetendi, quos obſervamus in emolliendis, mundandis, eluendis, fluidumque in ſtatum deducendis variis corporum generibus.

Ultro advertes aquam non eſſe puram, elementarem, vix enim aqua eſt, quæ heterogenea varii generis non contineat, cumprimis ramenta terrea, ſaxea, ochrea, ſalina, ſulphurea, unde una tamque ſimplici aqua tot vegetabilia, tam variis diſtincta coloribus, ſuccis, odoribus, viribusque nutriuntur ac conſtant, mirabili inſipidi limpidique liquoris in tot formas ſummè differentes metamorphoſi.

Magna tamen inter ipſas etiam aquas varietas eſt, quam potiſſimum filii Medicorum attendant, nec enim ſolum pluvia, putealis, fontana, glacialis, roralis, ſtagnans, paludoſa, marina, fluviatilis &c. miras exhibent varietates, ſed & ipſæ illæ quæ humano ordinariè uſui dicantur, mirum quantum variant, ſaporibus, contentisque, levitate, promptitudine in coquendis leguminibus, in ſolvendo ſapone &c.

Juxta fundi enim quem perfluunt, & ex quo ſcaturiunt, illiusque contenta, imò aëris, regionisque indolem multum variant aquæ.

Ipſa pelluciditas varia, limpiditasque ac ſapor differens, diutiusque aſſervatæ putredo ac ſedimenta impura, coctionique ſuperſtites concretiones heterogeneitatem partium abundè probant.

Facilè eos conciliabis, qui omnia ex aqua oriri ac conſtare aſſerunt, vel negant operoſa argumentorum congeſtione

ſtione, ſi modo dicta revoces ad animum advertasque aquam dici quidem elementum, & eſſe elementum, ſed non elementarem, quin potius receptaculum commune omnis generis corporum minimorum, quæ efficiunt, ut aqua in omnium corporum conſtitutione ſuas habeat partes, ad quæ conſtituenda, ſi puritate elementari gauderet, foret inepta penitus.

Circulatio aquæ perpetuam attentionem meretur, dum partim à ſole in halitus reſoluta vaſtam aeris maſſam replet, partim per flumina in oceanum devolvitur; qui tamen eam reddit, eadem quâ aër via modoque reſolutione nimirum in halitus per calorem, qui halitus in vaſto perque terræ ſuperficiem mirabili nexu contexto montium concatenatorum alembico coguntur, poſt deſtillationem illam ſuſpenſionemque in aëre, in guttas, illarumque vel floccorum nivalium ſpecie recidunt in terram, priſtinosque replent ductus, fontes, alveosque, & flumina.

Hîc de Hydroſtaticis ſolent multa doceri; notandum verò, non debere Medicum ejus ignorare principia, aërisque pondus ad aquam; & Mercurium relatum, quod ad illam ſe habeat ut 1. ad 1000. ad hunc ut 1. ad 14000. ſiquidem certi quid quà aërem ſciant Authores, Boyleo dictam modò ponente proportionem, Lanâ multò inferiorem, ut 1. ad 600. alii ut 1. ad 800. Medicum iſta parum tangunt.

Quicquid in hydroſtaticis de liquorum æquilibrio deque eorum in tubis preſſione ſecundum baſes & altitudines, de liquorum juxta ſpecificam gravitatem in tubis recurvis quà altitudinem ſuſpenſione & æquilibrio dicuntur, elegantia ſunt, certa ſunt, & demonſtrata.

Cave tamen ne putes, noſtri corporis vaſa turbosque & canales ad hanc claſſem præciſe poſſe revocari, indeque dijudicari, alia enim ratio eſt liquorum in tubis liberè, propriaque gravitate agentium, hærentiumque quàm ſucco-

rum in tubis undique repletis turgidisque ab antlia forti, corde circumpulsorum, nec ulla ratione sibi relictorum.

Quod de aqua notatum est, Terræ similiter erit applicandum, illud scilicet elementum in puritate sua non prostare, sed quamcunque terram, sive arenaceam, sive argillaceam, sive bolarem & ochream, margaceamve &c. esse impuram, permixtamque variis partibus heterogeneis, peregrinas ipsi qualitates inferentibus ac communicantibus varietate insigni, hinc tot terrarum species, quarum quæque pars ad materiam Medicam, classemque absorbentium atque adstringentium refertur meritò.

Alio ergo sensu sumitur Terræ vocabulum cum pro Elemento, aliter cum pro globo terraqueo sumitur qui in se complectitur elementorum omnium particulas universas, corporumque organicorum æquè ac inorganicorum convenientia cuique seminia.

Hic globus in se vastissimus est, ac respectu limitatæ cognitionis nostræ, & objectorum quæ offert oculis animisque copiam incredibilem adhuc vastior, ac amplissimæ considerationis; nec tibi aliter illi persuadeant qui ex astronomiæ regulis eam tanquam globulum exilem, tanquam punctulum respectu orbis magni, ac multò magis syderei nobis describunt; hoc enim punctulum, hic globulus magnalia Dei infinita continet, ac plura quàm vastus ille mundus reliquus quatenus ille nobis innotuit.

Ut proin divisio ordinaria Physicorum, mundum in Cœlum ac Terram dividentium tantum fastidii modernis excitare non deberet; neque enim quæritur quanta sit terra respectu cœli ratione magnitudinis & extensionis, sed quanta sit in operibus omnipotentiæ Sapientiæque divinæ, atque in enarranda nobis amantissimi Creatoris gloria.

Clo-

Globus iſte multum à diluviis particularibus, terræ motibus, ventis, tempeſtatibus, ipſoque tempore verum edace paſſus eſt mutationis in omnibus ſuæ ſuperficiei partibus; ſed magis adhuc à diluvio univerſali, cujus maſſa terribilis tanta mole, tamque altis terræ cylindris incumbens, tamque vaſtis circumfluens undis non potuit non eam miris immutare modis, ejusque ſtrata paſſim aliter locare ac diſpenſare vi tanta fluctuum tamdiu imminentium.

Tantæ tamen iſtæ mutationes minimæ fuerunt quantum viri celebriores eruditè ex figuratis foſſilibus concludere voluerunt, neque enim Terræ diſſolutionem deſcribit Scriptura, ac in pulverem comminutionem, ſed inundationem omnimodam ultra montium vertices, eo ipſo ſuperſtites.

Cæterum vaſti illius globi non niſi tenuiſſimum hactenus perſcrutati ſumus corticem, aliquot profunditatis plusquam 1700. horarum ad centrum orgyarum centurias minimam vel unius horulæ partem.

Iſte tamen tenuis cortex, vel ſi mavis, ejus ſola ſuperficies tot nobis ſtupenda offert, tot miracula non ſatis agnita, tot divini digiti exactiſſima opera, ut ne mille quidem hominum vitæ ad ea cognoſcenda prodignitate ſufficiant, nec mille rationes animæve naturaliter excultiſſimæ illa ſatis pervideant; niſi lucem ipſis largiatur lux increata.

Tria regna offerunt ſcrutanti ea rerum admirandarum agmina, ut hactenus tot hominum induſtriorum labores poſteris abunde negotii reliquerint, haud facilè finiendi in incredibili iſta rerum varietate noſtraque cœcitate.

Fruſtra diſputant moderni quid in centro, quidque in-

ter illud corticemque deprehendatur, quæ ſtructura, rerumque varietas obtineat ; fruſtra conjecturis indulgemus ; cur non inſudamus iis eruendis quæ in ſuperficie nos adhuc latent, quorumque tantus eſt numerus , ut de profundioribus ne cogitare quidem deceat ; eſt verò hæc mirabilis avaritia intellectus humani, Alexandrum M. imitantis qui plures inquirebat mundos optabatque, cum ne uni quidem ſubigendo par eſſet.

Terreſtris autem elementi particularum figuram æquâ mente ignorabis ; dicuntur aliis ramoſæ , aliis irregulares, omnibus craſſæ , cum tamen ad incredibilem ſæpiſſimè tenuitatem redigantur; uti aquæ flexiles teretesque, anguillulæ, aerique plumulæ aut ſpirulæ juxta imaginationis fœcunditatem adſcribuntur.

Sed quid attinet iſta determinare ſine fructu , & ſine certitudine ; caveat ſibi Tiro ab iſtis minutiis ; certi enim nihil quà partium figuras dici poteſt omnia nituntur conjecturis, nullamque adferunt utilitatem Medico.

Cæterum eſſe Terram in ſe aridum , ſiccumque principium, aquæ omni quà admixtum , ab aqua tamen propriè non ſolubile , corporibusque ſtabilitatem ac baſin largiens in phyſicis rectè ſupponitur.

De Igne verò quid dicemus ? eum moderni ajunt in confuſo & rapidiſſimo particularum ſubtiliſſimarum motu conſiſtere ; nec de eo dubitabis qui vel manum illi admovere fuerit dignatus ; nec verò licet curvilineum motum præciſè formando igni , rectilineum verò frigori efficiendo præficere , confuſus utrinque motus eſt ex rectilineo & curvilineo mixtus.

Quando autem Carteſiani ſtatuunt particulæ tertii elementi craſſiores innatantes materiæ ſubtiliſſimæ ſeu primi elementi ignem conſtituere , ſupponunt elementa Magiſtri

giſtri ſui non ſatis demonſtrata , ſoloque ejus arbitrio nixa.

Illa enim elementa ſolvendis phænomenis ea quæ prætendit Carteſius evidentia apta non deprehenduntur , ac proin introduci in ſyſtema mundanum commodè vix poſſunt.

Quid verò dicemus de Elementis Chymicorum? an admiſſis illis rejiciemus Elementa veterum hactenus recenſita ? minimè verò.

Alii Chymicorum tria , Sal , Sulphur , & Mercurium ſtatuunt , aliis quinque , addentes relollacea ac paſſiva dicta, caput mortuum, ſeu terram, ac phlegma.

Quid obſtat ergò , quò minus in unum iſta conjugat Tiro medicus ; cumque ignis ac Sulphur rem eandem vario in ſtatu dicant , aer verò in omnis quidem corporis cavitatibus hæreat , ipſum tamen corpus non conſtituens , facilè agnoſcet, ad elementa referri poſſe aquam , terram , Sulphur ſeu Ignem, Sal, & Aquam.

Sal quidem ad terram referunt, atque à terra deducunt, ſed minus forſan commodè ac verè, cum diverſiſſima ſint quâ texturam ac indolem.

Ignem verò principio Sulphureo excitari ac conſtare tot experimentis in aprico eſt , ut nullum dubium ſuperſit , nec tamen auſim dicere nullum ſine Sulphure calorem eſſe.

Magna ignis vis eſt in rarefaciendo , propellendo , penetrando, disjungendo, aeris vim elaſticam augendo, aquam in halitus redigendo , imò ſolidiſſima corpora promptè diffringendo.

Hinc analyſta corporum Chymicis dicitur , ſed quoniam potenter quidem corpora adgreditur , partesque eorum ſeparat , ea tamen ſimul nimium immutat quà partium

texturam, unde analysta minus fidelis habendus est, si elementa, ac eas præcisè partes desideres immutatas, ex quibus constitit mixtum igni subjectum ejusque torturam majorem vel minorem passum.

Inquirendum adhuc est, an, uti natura ignis in motu dicitur consistere partium citato, ita quoque ex adverso frigus quieti sit adscribendum meræ, aliud sanè dicendum erit, si illud in fieri consideretur, quam si in facto; ac conferendi potentissimi ejus effectus ac stupendi quà robur ingens.

Unde nec licebit dicere generaliter ignem seu calorem rarefacere, frigus condensare, quæ enim potentior rarefactio est quàm illa frigoris, frangentis ferreos tubos aqua in iis in glaciem concrescente, majoremque proin postulante locum, quæ sanè rarefactio est.

Lucem & calorem jungi in natura quemvis docere experientia potest, utut non omnis calor sit cum luce, nex lux omnis cum sensibili calore; in sole tamen utriusque fons ac scaturigo est.

Incomprehensibilis est lucis indoles; eam pauci moderni Spiritu ac materia constare arbitrabantur, plerique tamen eam in subtilissimo corpore censent consistere.

Nec tamen ideò eam credas rectè à Cartesianis definitam per celerrimum globulorum minutissimorum motum rectilineum, secundum enim eorum Elementum incertum est.

Subtiles verò ejus radii vel à corporibus opacis terminantur ac secundum angulum angulo incidentiæ æqualem reflectuntur, sicque ad oculum veniunt, dicunturque lux reflexa, objectum catoptricæ.

Vel à corporibus diaphanis transmittuntur, atque ex uno

uno in aliud medium incidentes à recta recedunt via atque incurvantur, ſubque angulo determinato vel ad perpendicularem vel à perpendiculari refringuntur, dicunturque ita ad oculum venientes lux refracta, objectum dioptrices.

Vel denique radii directè fundum oculi percutiunt nihil incurvationis in via paſſi, dicunturque lux directa, objectum opticæ.

His lucis modificationibus viſio, coloresque omnes debentur qui à radiorum refractione aut reflexione oriuntur, colores vel veri vel apparentes dicti.

Cum grano Salis tamen accipiendum eſt, quando legitur apud authores, colores in ſe corporibus nullos ineſſe, niſi quatenus oculi noſtri tales percipiant perculſi à modificata luce; Iſta enim modificatio fundata eſt & dependet à ſuperficiei corporis colorati modificatione, pororumve in transparentibus corporibus denſitate vel raritate, quæ colorum origines ſunt.

Eſt ergò reſpectu ejusmodi qualitatum ſenſibilium aliquid quod conſiderari debet ex parte corporis ſeu objecti, atque aliud ex parte organi percipientis, neutrum ſine altero ſenſum efficit; nec ipſum organon ſentit, ſed ſenſus abſolvitur in ſenſorio communi, ubi animæ offertur ſpecies, ut ſic loquar.

Hinc ſulphuri à Chymicis adſcribuntur colores, cum illo vel magis vel minus expanſo aut ligato mutentur variè miſceanturque colores.

Sulphur verò vocant principium inflammabile, deflagrans, cum aqua non conveniens, nec ab illa ſolvendum; adeò ut ſi conjungi pinguia, aquæaque debeant, vinculo opus ſit medioque, nimirum additione Salis copioſi, cujus

in

in confectione Saponis exemplum obſervamus luculentum.

Abundat hoc principium ubique in Macrocoſmo, vegetabilia tot reſinis ex arboribus ſtillantibus, tot oleis vel expreſſis vel deſtillatis, tantaque odorum, colorumque quin & ſaporum varietate illud offerunt ubique; Animalium pinguedo, adeps, medulla, ſevum, butyrum nil niſi ſulphuris abundantiam dicunt; Sulphur autem mineralium ipſo vulgari ſulphure, totque bituminum magis, minusque pretioſorum ſe manifeſtat.

Quanquam de ſulphuribus metallorum multum adhuc cum Chymicorum ſchola ſuperſit dimicandum, nec ubique illa eadem evidentia demonſtrari queant, quod vel unius argenti vivi exemplo eſt manifeſtum.

Sulphuris ergò ampliſſima familia eſt, quorum tamen omnium nullum eſt elementare vel purum, ſolisque ſulphureis conſtans moleculis; ſemper enim admixta ſunt alia.

Hinc quando ſulphuri adſcribuntur colores, odoresque, facilè ſagacioribus innoteſcit, ſolum ſulphur non omnes ibi partes occupare, ſed & ſali aliquid ſimul tribuendum eſſe, uti pro ſaporum determinatione ſulphura nec ii excludent, quia à Sale ſaporem derivant omnem.

Sal enim dicitur ſubſtantia ſapida & ſolubilis in liquore aqueo; diffunditur hoc principium ubique in Macrocoſmo, ac ſi non in omnibus corporibus, ſaltem in plerisque ejus veſtigia ſunt.

Magna ſalis varietas eſt; in claſſes tamen illud hodiè ſatis commodè videas diviſum; Sal enim eſt vel acidum, vel alcali, vel neutrum ſeu enixum, aut ut alii loquuntur medium.

Sunt qui unam ſalis tantum agnoſcunt ſpeciem, ſal acidum ſal primigenium & fundamentum reliquorum omnium vocan-

vocantes , à quo cæteta pro diverſitate admixtarum particularum terreſtrium, Sulphurearum, concentrationis, diffuſionis, omnia ducant originem.

Salia pro diverſitate combinationum dicuntur fixa , vel volatilia , prout terreſtres aliasque ponderoſiores moleculas habent admixtas , ac proin ab igne rarefieri vel attolli in deſtillatione , aut calcinatione poſſunt , aut igni potenter reſiſtunt.

Sal proin aliud ſimplex eſt , aliud mixtum ſeu compoſitum ex pluribus heterogeneis.

Verè ſimplex & elementare nullum forſan occurrit ; ſimplex tamen reſpectivè & in ſuo genere , alcali , vel acidum.

Compoſitum conſtare poteſt ex acido & urinoſo , ex acido & lixivioſo, fixo: quin & ex metallicis moleculis combinatis, aut terreſtribus, aut aliis; cujus in vitriolis, alumine, &c. exempla videmus.

Sal per omnia regna diffuſum eſt Macrocoſmi in Minerali quidem univerſalius (utut de omnibus ejus regni ſpeciebus inexiſtentia Salis demonſtrata nondum ſit) acidum in illo primas tenet, non excluſo alcali ; exemplo marini Salis, Nitri, Aluminis, Vitrioli , Salis foſſilis , & culinaris, &c.

Nitrum alii ad animale regnum referunt , animalium urinis id adſcribentes ; ex quo verò ab ejus excoctoribus didici , non æquè in ſtabulis brutorumque manſionibus , quàm in ſiccioribus locis , ac ſub cameris horizonti inſiſtentibus effoſſam terram abundantius præbere ſub conctione & elixiviatione nitrum, malim ad minerale regnum id referre, conſentiente ipſa ejus textura.

Animale regnum urinoſa , alcalia volatilia offert magno numero, fixa parciſſima, acida non frequentia.

Vegetabile regnum fixa lixivioſa offert Salia poſt inci-

nerationem, ex ſuccis eſſentialia ſalia, & ſpeciem ejus multa terra permixtum Tartarum.

Acidum & alcali dicuntur ſalia contraria, quia inter ſe mixta, ſi ſui juris exiſtant, mutuò effervescunt cum impetu.

Hinc multæ authorum de textura ideæ, figuram acidi ſpiculis tribuentes gladiolarum, alcalinis verò vaginularum, illos poſt luctam tandem recipientium ſicque in neutrum ſal coaleſcentium; gaudeant illi ſuis ideis.

Acidum effervescit cum alcali vel fixo & lixivioſo, vel volatili urinoſo, donec abeant in compoſitum neutrumque ſal de utroque participans, exemplo Tartari Vitriolati.

Effervescentiam probè diſtingues à fermentatione, nec rarò enim videas confundi, vel ſaltem non ſatis diſtingui.

In utraque eſt motus partium inteſtinus, ſed non ab eodem principio, nec ejusdem celeritatis ac durationis, nec ad eundem tendens ſcopum.

Fermentatio non adæquatè dicitur, quando particulæ ſubtiliſſimæ vehementer motæ in corporum liquidorum poris exitum non inveniunt, hinc in illorum latera reactione corpus diffringunt, reſolvunt, & ſubtiliſant.

Sufficit in fermentatione eſſe motum turgeſcentiæ, pendentem potiſſimum ab aëre ſeſe ex vinculis expediente partesque corporum unò ab invicem devellente ac removente, quo ipſo ſpirituoſæ antea ligatæ liberantur, præcipitatis ad fundum craſſis, terreſtribus.

Fermentatio à putredine probè diſtinguenda; cum earum & ſcopus diverſus, & tendentiæ non eædem ſint, nec producta, &c.

Cap.

Cap. III.

PHYSIOLOGIÆ.

DE TEMPERAMENTIS &c.

AMpliſſima de temperamentis doctrina ſine præjudiciis Tironi penſitanda, idque ſcriptis Medicorum eruenda eſt, cum tot diverſis eam modis principiisque reperiat traditam, ipſumque fundamentum quatuor Elementorum, & qualitatum lubricum atque inſtabile ſit.

Unde ex hac doctrina ex ſcholis Medicorum in Phyſicam, Moralium doctrinam, ipſamque Theologiam non rarò ea transſumuntur ſupponunturque pro certis dijudicandi hominum animos fundamentis, quæ ſi penitius examinentur exigua gaudent certitudine; proin cautè hîc incedendum, nec temerè credendum.

Patet autem per ſe Temperamentum eſſe certum corporis modum ac conſtitutionem, quà temperiem qualitatem diverſarum inter ſe, quæ primæ vocantur.

Primæ autem illæ qualitates vocantur, quaſi principales, quia ad omne quicquid in natura fit efficaciter ac primariò cooperantur, ac ſecundæ qualitates oriri ab iis ſupponuntur.

Cumque ſint in elementis quatuor, ut ſupponunt, radicatæ, atque ab illis fluant, eodem quoque inde pullulant numero, oriunturque.

Vides autem quam lubricum ſit fundamentum, ex ipſa numeri elementorum incertitudine, quodque iſtæ qualitates ab illorum elementorum famis præciſè non pendeant.

Agnoſcesque ultrò quàm frigidè dicantur his quatuor reſpon-

reſpondere in corpore humano quatuor humores, unà cum iis veteris Medicinæ ambitum propè omnem exhaurientes, conſtituentesque.

Quia tamen illa doctrina omnes jam alias pervaſit diſciplinas, ac tam multa ea nituntur doctorum circa affectus dijudicandos, regendosque ſuppoſita, nequeant illa tolli, aut omnino rejici, ſed potius ad meliorem trahenda ſunt ſenſum, concilianda, rectiusque ubi deficere videntur explicanda modernisque applicanda aptius principiis.

Dicant igitur per nos quantumvis volent, Temperamentum ſanguineum calori, humiditati, atque aëri adſcribi ac comparari bilioſum reſpondere calori, ſiccitati, atque igni; Pituitoſum frigore, humicitate atque aqua niti; Melancholicum denique terræ, frigiditati, ac ſiccitati deberi; facilè iſta ſano ſenſui accommodabimus.

Namque ab humoribus, hoc eſt ſanguine, fonte humorum omnium ac oceano, propinquius oriuntur, ac derivanda ſunt iſta temperamenta, remotius autem ab elementis.

Si quæras, à quibus elementis, Carteſii ne? an Ariſtotelis? an Chymicorum? Reſpondebo, ab iis inter ſe combinatis, ac conciliatis, ut ſic loquar, juxta ſuperius de Elementis dicta, ubi excluſo aëre Sulphur ignemve ſubſtitui poſſe monitum eſt.

Nec credas tamen aërem ad Temperamentum nihil conferre, utut enim id tanquam Elementum non agat conſtituens, efficit tamen plurimum vi ſua Elaſtica, agitatione, atque intima admixtione, ſanguinem intimè pervadente.

Cæterum quæcunque ſupponas Elementa eorum variè proportionatæ commixtioni varietas Temperamentorum pro corporum, humorumque varietate reverà debetur.

Enata-

Enataque ex hoc ipso fundamento est distinctio notissima inter Temperamentum corporis quà mixtum est, & quà vivum est; est enim corpus nostrum non solùm compositum ex heterogeneis partibus, uti alia corpora naturalia, indeque suum habet temperamentum juxta illarum partium varietatem & porportionem.

Sed & organicum est, vitaque præditum, ortumque proin non tantum & præcisè more aliorum corporum inorganicorum ex elementis, sed per viam generationis, & nutritionis per alia mixta.

Mixti ergò Temperamentum illud erit, quod corpus habet vi suæ mixturæ & compactionis ex Elementis ad hunc scopum specificum aptè conjunctis.

Pertinetque hoc mixti temperamentum ad humidas æquè ac solidas corporis partes; æquè enim humores, ac partes solidæ heterogeneis atque Elementaribus constant diversi generis moleculis.

Interim tamen nihil attinet ista temperamenta mixti & organici tam solicitè distinguere, nam eædem partes solidæ quæ mixtæ sunt, sunt etiam organicæ & viceversa, cui bono igitur tam solicita distinctio.

Et quid sibi vult mirabilis temperamentorum, distinctio ad pondus, & ad justitiam, ubi multa solent de proportione arithmetica & Geometrica adduci.

Scilicet ad confusionem discentium, & ad pompam, ut medicina appareat illustrior, & fiat difficilior per difficiles sæpe nugas.

Tantaque hîc est scriptorum ἀκρίβεια, ut delabendum tandem sit ad controversiam famosam, an detur temperamentum ad pondus, quale mente sibi figurare difficile non est, ipso opere ac re ostendere impossibile, ac inquirere prorsus in fructuosum.

Quis enim fingat corpus ex tam æquali elementorum mixtione ortum ; & quis non ex adverſo agnoſcat qualitatis aut Elementi unius exceſſum nunquam non requiri, ſi temperamentum ſcopo ſuo aptum naſci inde debeat ac provenire.

Temperamenti in inſitum influumque diſtinctionem majoris non facies; illud dicitur temperamentum mixti quod in parte eſt quâ mixtâ ex Elementis , illique proprium eſſe dicitur.

Influum autem vocant, qui rectius hæc aptiusque volunt conciliare & ad ſana principia revocare, temperamentum, quod pars à ſanguine per illam circulante accipit, quod in & cum ſanguine corpori eſt univerſale & partibus commune.

Unde vides quam exiguo nitatur res illa fundamento, cum etiam pars quà mixta & quà organica à ſanguine nutriatur , ejusque moleculas , & conſequenter temperiem intimè in ſuas fibras earumque imos receſſus ſuſcipiat ; ubi ergò manet mixti temperamentum hoc omnia pervadente.

Hinc monent moderni , aliud partem corporis non poſſe habere temperamentum particulare , quam illud quod accipiant à ſanguine illam perfluente , nec proprium quid habere ac ſingulare , quod ab hoc vitam ac vigorem petit.

Sed & hoc cum grano Salis erit accipiendum , quia partes ratione copiæ ſanguinis per eas circulantis mire differant aliæque innumeris ſcateant vaſorum ramificationibus , varioribus aliæ; quod ipſum pro ſpecificis ac particularibus partium temperiebus multum conferet.

Mix-

Mixti temperamentum extendunt ad alia quoque corpora ; unde & medicamentis audias temperamenta assignari abusivè ; quatenus scilicet corporis nostro inferunt varias qualitates illudque aliter , aliterque afficiunt , aliis illi particulis communicatis , magis vel minus sanguinem commoventibus, aut in motu nimio impedientibus, &c.

Viri ergò temperamentum dicetur quod præter respectum ad simplicem mixtionem ipsam corporis partium structuram & conformationem respicit , illique inhæret , quà ad operationes suas aptis , ob perfluentes ritè juxta leges sanitatis humores.

Fundatur in justa habitudine ac proportione fluidorum ad suos canales ac solidas partes , ut sibi invicem ritè applicentur, congruenterque per solida fluida moveantur ; juxta ea quæ superius jam dicta sunt.

Universale verò vel particulare dicetur temperamentum (siquidem distinctionem velis retinere parum utilem) respectu Massæ sanguinis , competentisque huic temperiei ; corporis temperamentum tale erit quale sanguinis quo totum perluitur ; idem dicendum de quavis parte, nisi quod, ut supra jam monitum, una pars plus vasorum , plus sanguinis habeat , alia minus , ac particulares partium dispositiones aliquid hic subinde mutent.

Quando sermo est de calore , frigore, humiditate siccitate respectu temperamentorum , discentes probè attendant, ne Physiologiam confundat cum Pathologia , neque existiment talia, ac partium vel calidarum vel aliarum prædominium intelligi præternaturale ; hîc enim semper talis supponenda dispo-

diſpoſitio quæ cum ſanitate poſſit conſiſtere, atque cum actionum integritate.

Calidum temperamentum à prædominio ſulphurei principii, bilis, motusque majoris partium oritur, ubi aëris quoque elater haud leviter concurrit aliaque externa, de quibus mox.

Frigidum Temperamentum reſpectivè dicitur, quia minus calidum, quis enim ſine calore vivat; hîc igitur expanſæ ſulphuris partes magis ligantur, aqueæ prævalent, ſpirulæ aëris facilè in calidis tumultuantes coercentur, bilisque obtunditur à blandioribus, ut mitior ſit, ac motus humorum leniores.

Siccum Temperamentum erit ab aliquali Sulphuris prædominio, majori quidem quam in calido, aut cum terreris abundantioribus partibus combinato.

Humidum verò dicetur, in quo gelatinoſæ, blandæ, ſeroſæ partes lenitatem ſui motus tuentur, ac probè contemperant agiliores ſulphurum, ſaliumque moleculas.

Uti enim jam dictum eſt, non exiſtimandum eſt, hæc in exceſſu quodam, uti fit præter naturam mutatis Temperamentis, notabili ac ſenſibili conſiſtere; harmonia hîc adeſt egregia, quamdiu durat ſanitas, talisque partium contemperatio, cum qua motus liquidorum promptus, actionumque ſalva integritas conſiſtere poſſit ac perdurare.

Patet hinc Spiritus, eorumque influxum in partes, præcipuè cor ac pulmones, ad temperamentum conferre plurimum, ſed & viciſſim temperamentum ad ipſorum craſin, copiamque ac vigorem haud parum conferre; à ſpiritibus enim pendet cordis motus, ab hoc temperamentum non uno reſpectu multum patitur, recipitque.

Hu-

Humores temperamenti ſunt effectores & indices plurimumque ad illud pro ratione ſecretionis largioris vel parcioris concurrunt, deque illo teſtantur, ejusve gradu.

Solidæ partes temperiem ſuam à ſanguine recipiunt illas pervadente, ac viciſſim ſanguinis temperamentum variè alterare, exaltare, ac variare poſſunt, eum fortius vel debilius commovendo, accurratius vel obiter depurando, aut obices ipſi paſſim ponendo &c.

Fiunt, mutanturque Temperamenta ab iisdem cauſis; mutantur autem non ſolùm præter naturam, ſed & in ſtatu ſanitatis, non equidem ſemper ab una mox ſpecie in aliam, ſed gradibus infinitis, lente, nunc hoc nunc illo modo, ſucceſſivè, ita tamen ut innumeræ mutationes, quas hîc tractamus, cum ſanitate poſſint conſiſtere, alia ratio eſt morboſæ mutationis.

Res naturales, non naturales, & præternaturales huc Symbolum ſuum conferunt. Hæreditaria diſpoſitio huc cumprimis facit, nec tamen perpetuò ac neceſſariò parentum temperamentum tranſit in natos.

De Fœmina dicunt ejus temperamentum eſſe frigidius & humidius; ſit ita forſan generaliter loquendo; interim tamen multas fœminas calidius pluribus viris temperamentum habere evidens exiſtimo, uti quoque ſicciores fœminas multis dari viris experientia tota die docet; in utroque ſexu eidem temperamentorum ratio eſt.

Ætatis progreſſu immutari temperamenta in confeſſo eſt, in uno tamen homine præ altero; generalius loquendo ſolet ad virilem uſque ætatem calor incrementum ſumere, manere tum diutius, breviusve pro naturæ ratione ἐν ἀκμῇ, increſcentibus verò ſenii annis decreſcere humiditatis verò prædominium quod in annis tenerioribus obtinebat laudabili pro illa ætate temperie, prævalens calidis, in ſenio

redit, at non eadem limpiditate ac tenuitate calidis moleculis abundante, ſed lenta, viſcidaque humiditate, quæ ſiccitati ſuo modo conjuncta eſt.

Magna verò hîc varietas ac latitudo obtinet, cum juvenes dentur prima etiam ætate admodum calidi, alii verò frigore quaſi languentes, utut ſani, viri item frigidiuſculi, ac ſenes calidiſſimi, ita ut nulla hic ſine exceptionibus multis ſit regula, ob incredibilem individuorum varietatem.

Aer ex non naturalium claſſe in mutationibus ac conſtitutionibus Temperamentorum confert plurimum non Elatere modò ſuo ſanguini interfluus ac immixtus, ſed & inenarrabili effluviorum queis prægnans perpetuò eſt varietate ac combinatione, quibus perpetuò graviter afficitur corpus, utut inſenſibiliter, cujus tempeſtatum mutationes in ægris maximè argumentum eſſe queant evidentiſſimum ac quotidianum.

Per hunc aërem radios ſuos vibrant aſtra, de quibus quid ſtatuendum ſit hoc in genere vix liquet, Lunæ Solisque efficaciam experimenta ſtabiliunt ac ſenſus, cæteris & planetis quænam in Temperamentorum mutationibus competat vis, certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Novimus Joviales dici Sanguineos Melancholicos Saturninos, Cholericos Martiales, Lunares verò Phlegmaticos; quo jure, neſcio, ſit fides penes Authores, ulteriorque decidat experientia.

Cibum potumque, & quicquid ad Diætæ regimen ſpectat magnas hoc in negotio vires obtinere nemo non agnoſcit, calida certè, aromatica, ſalita, ſpirituoſa calorem intendunt; viſcida, aquoſa, inertia, vapida imminuunt; adeò ut cum alterato per diætam ſanguine cæterisque paſſim humoribus non poſſit non mutari Temperamentum, diverſisque

que intendi ac remitti gradibus, donec ſæpe in præter-naturalem tranſeat ſtatum, cujus conſideratio loci hujus non eſt.

Quietis, motusque quænam hîc ſint partes loquatur habitus corporis adeò diverſus; motum aſſiduum ac moderatum habitum corporis laudabilem conſervare ac efficere ab omnibus agnitum eſt, nimii motus atterant corpus, ſanguinisque calefaciendo habitum imminuunt, otium verò ac quietem pingues reddere commune verbum eſt, nec tamen perpetuum, cum dentur pingues ſummè actívi, macilenti otio torpentes, optimusque corporis habitus cum utroque quotidie probe conſiſtere conſpicitur.

Vigiliarum ac ſomni diſpenſationem plurimum quoque valere eò facilius tibi perſuadebis, ſi attendas ſpirituum hîc præcipuas partes eſſe, eorumque hinc pendere vigorem, huic verò humorum vigor potiſſimùm debetur ejusque autor ac promotor fibrarum tonus ac robur.

Animi Pathemata primo in Temperamento immutando ſtant loco, quippe quæ non hoc ſolùm, ſed & majorem ſanguinis in morbos deſciſcentiam valeant efficere; ita incendit, curæ conſumunt, atterit mœror, anxietas ac triſtitia exſiccat; exempla hoc clamant.

Per morbos verò ac res præter naturales mutari temperamenta in dies videmus, cum ſanguis ſub decurſu morborùm non poſſit non mirè qua ſuam diſpoſitionem, ſuarumque partium proportionem immutati, quæ ſanè omnia in Temperamentum redundant; nec verò ejusdem morbi idem ſemper effectus conſpicitur, fiunt aliqui à febre ſicciores, humidiores alii, pro diverſitate regiminis in ipſo morbo, ac robore ſtaminum vitalium.

Mirum verò non eſt toties de Temperamentis occur-

rere in Medicina tractationem , cum ex fonte illo omnis penè quæ circa hominum actiones ac corpora obſervatur varietas ſoleat derivari , nunc cum , nunc ſine fundamento.

Pulſus cholericorum fortior ſane celeriorque eſt phlegmaticorum pulſu ; pilorum quoque alii diverſitatem ſollicitè allegant teſtantium de ſui nutrimenti differentia ; ac amplitudo , apparentiaque , venarum in corporis ſuperficie pro habitus diverſitate varia eſt ; ac Somnum Cholericorum phlegmatici ſomno breviorem eſſe , ejusque juxta temperamentorum claſſes variare durationem ſemper annotatum fuit.

Sanguinei floridum , molle , ſucculentum , carnoſumque corpus ; gracile , ſiccius , duriusque cholerici , ac ſuo modò Melancholici , Phlegmatici verò molle , album , ſpongioſum , craſſius , juxta frequentiores dicitur obſervationes.

Quin & extendi id noximus ex Galeni effato per traditionem propagato ad mores ; unde hilares , ac voluptuoſi dicuntur ſanguinei , phlegmatici verò timidi , ignavi Cholerici feroces , iracundi , celeris quà animum commotionis ; Melancholici ſuſpicaces , invidi , ſolitarii , anxii , profunde meditantes , ac taciturni.

Multum de hoc diſputari audias , an ea temperamenti vis ſit atque efficacia ut ad animi tranſeat pertingatque mores ; maluere hinc cautiores diſtinguere inter mores natura implantatos , hoc eſt inclinationem naturalem ad certos affectus , quam temperamento ferunt acceptam , & inter mores per diſciplinam correctos , qui proin regimini iſti non ſubſint.

Quæ ſiquidem debita cum Cautela ſupponantur rectiſſimè ſe habent ; utut generaliter loquendo , multum fallan-

lantur illi , qui tanto ſtudio ex temperamentorum combinationibus ac gradibus ad mores concludunt , ingentem ſibi certitudinem promittentes, quam ipſis nemo invidebit, modò eſſet fundata.

Quoties aberrant in cognoſcendo temperamento , imprimis complicato , ubi infiniti committuntur errores ; nec quivis aptus eſt ad ferendum judicium , niſi temerarium ac non fundatum ; fallunt enim vulgaria indicia quàm frequentiſſimè.

Ac nemo mortalium naturâ, ſibique relictus, eſt, qui non omnes affectus in ſe inſigniter habeat dominantes, omnes ambitione, voluptate , atque avaritia in gradu eminenti donati naſcuntur, utut poſtmodum unius prædominium præ aliis poſſit fieri conſpicuum , plerique tamen omnibus inſigni gradu, licet non eodem ſubſunt.

Diſciplina non poteſt emendare niſi externos radicum peſſimarum ramos ac fructus , unde mores non poſſunt dici correcti niſi per gratiam Deus , fidemque ac potens verbum ſuum immutet cor , animumque ad ſe convertat, tum temperamenti vis infringetur , ſed non ſine lucta graviſſima ac diuturna, res enim eſt momenti magni ac opus omnipotentiæ mutare cor hominis.

Cap. IV.

DE CIBORUM ASSUMPTIONE, CHYLIFICATIONE, SANGUIFICATIONE.

ABſumi ex corpore noſtro multa, jugiterque excerni tum obvia, ſenſibili, tum inſenſibili ratione, æquè tamen evidenti, is facilè comprehendet, qui vitam noſtram, motusque & actiones, atque excretionum ſeriem accuratius penſitaverit.

Sed nec iſtis opus eſt argumentis, ad probandam nutritionis per alimenta, & reparationis deperditi neceſſitatem, cum ſua quemque perſuadeat abundè ſenſatio, urgeatque neceſſitas, ad capiendum cibum potumque.

Fames ac ſitis multum authoribus negotium faceſſunt, unde oriantur inquirentibus; quid verò litibus opus eſt, & blanda ventriculi lympha & ciborum tantillæ in ſtatu naturali reliquiæ titillant orificium ventriculi ſuperius, tot cinctum nervulis ac valdè ſenſile, ipſa ventriculi inanitas urget, qui ſe ipſum periſtaltico ſuo motu non ſine moleſtia atterit ſi nihil ſuos inter parietes diutius hæreat quod ipſum poſſit occupare adeò ut ad fictitiam veterum ſuctionem venarum confugere non ſit neceſſe.

Sitim verò eadem cauſa, & defectus humidi indicat, ac maximè faucium ſiccitas, ciborumque aſſumptorum humectatio, ac tritura facilitanda addito humido.

Utrinque tamen conſuetudo primas tenet, quæ de cibo potuque aſſumendo ſatis homines monet, imò nimium, hinc ratò manent ſubſiſtuntque in neceſſario aſſumendo, ſed

ſed ingurgitant ejus vel duplum, triplumve, dictante conſuetudine, matre aviditatis iſtiusmodi ac voracitatis.

Organa mediaque cibo aſſumendo, immutandoque dicata varia ſunt; oris primæ ſunt partes, ac præliminare negotium; Hîc enim atteritur cibus, guſtum linguæ imprimit, ſalivaque imbuitur.

Saliva, lympha per ſuos ductus ad os confluens, primum ciborum menſtruum eſt quo imbuuntur, cui jungitur poſtea ventriculi fermentum, uti vocant ſtillantem ex ventriculi glandulis liquorem, ac denique in duodeno inteſtino bilis atque ſuccus Pancreaticus, qui liquores ad unum omnes ſcopum conſpirant.

Saliva, ut modò dictum per peculiares ductus excernitur in oris cavitatem, poſtquam in glandulis parotidibus propè aures, aliisque ſub lingua ſitis ſeu maxillaribus, ex ſanguine arterioſo ſecreta eſt limpida, ſubviſcida tamen ac gelatinoſa, ſapore deſtituta, ut ſaporum dignotioni non obſtet, ſed inſerviat potius tanquam menſtruum ac ſolvens in certis caſibus, quo ipſo tamen non negatur ineſſe illi particulas ſalinas, activas, ſapidas, ſubtiles, ac ut alii loquuntur ſpirituoſas, quanquam præciſè acidæ, quod nonnullis placet, illæ non ſint.

Quod enim Saliva Mercurium figat, id non eſt ab acido, ſed à viſciditate illa gelatinoſa globulos ejus mobiles admodùm irretiente ac quodammodò ligante; Cutis autem vitia curat; pariter non ob acidum, ſed ob blandam, atque abſtergentem acrimoniam.

Saliva igitur juvat guſtum, ſolvendo ſapidas particulas, ſed non ſemper, quia illæ ſæpè jam ſunt per ſe ſatis liberæ, activæ, ac ſolutæ; humectatione ejus perpetua maſtiçatio deglutitioque ciborum promovetur; præ-

præcipuè verò primam inchoat pro ciborum in chylum immutatione operationem, partemque conſtituit, ut ſic loquar, menſtrui ventriculi.

Lingua volutat cibos, retrorſumque urget, ſermoni formando præcipuè confert, guſtusque organon eſt proprium ratione nervorum ſuorum; ac papillarum toties hodiè allegatarum; cætera ex pluribus conſtat muſculis, horumque complexus eſt.

Dentium uſus omnibus notus eſt, ciborum ſcilicet attritio atque comminutio; ſed nec obliviſci decet alterum eorundem uſum, quem habent in formando ac modificando ſermone.

Rectè Arabes maſticationem commendarunt, cenſueruntque eum vitam negligere, qui ipſam negligat; nec enim ruminantium more triplici gaudemus ventriculo, qui cibos quarto præparent, diſponantque concoquendos, nec ſpiſſos volucrium muſculos ventriculi noſtri habent ad trituram fortiſſimam efficiendam.

Cibi inciſi in ore, adque fauces volutati non pondere proprio per eam deſcendunt, ſed actione muſculum pharyngis conſtrictoria, juvantibus ipſis œſophagi muſcularibus fibris, ac madore ex ejus glandulis ſtillante.

Dicitur communiter, œſophagum, ventriculum, ac inteſtina eadem gaudere ſtructura, iisdem tunicis, & ſimul unum conſtituere tubum ac canalem alimentorum, qui veniat nomine primarum viarum; hæc verò cum grano Salis ſunt accipienda ratione ſtructuræ æquè ac cæterarum circumſtantiarum.

Unde nec id ſatis firmatum eſt, quando dicunt, Inteſtina magis eſſe officinam chyli quam ipſum ventriculum, qui ſaltem inteſtini cavi & latioris pars ſit; nec enim eſt quod ventriculus adeò deprimatur, cujus primæ hîc partes ma-

manent in ciborum coctione atque chyli præparatione, ob menſtruum, ob moram ciborum in illo, motumque vividum &c.

Certum tamen manet Ventriculum æquè ac inteſtina à fibris motricibus, influxuque in illas ſpirituum animalium tonum ſuum ac robur habere, ac proin quoque muſcularem eſſe, ac calorem ſuum ab arterioſo ſanguine petere vicinisque viſceribus ac partibus.

An verò ſpiritus animales per frequentes nervos ad illum confluant, vel ad imbuendum vigore menſtruum, vel ad chyli ſpirituaſcentiam, id quidem non liquet, eſtque probabilius, ſpiritus manere in ſuis nervis, nec extra eos ſpiritus eſſe aut manere; fruſtra igitur ab illis expectabitur ſpirituaſcentia & neſcio quis chyli vividus vigor.

Quid verò dicemus de menſtruo, quod alii ex modernis planè malunt rejicere ac negare ejus præſentiam; certum eſt ex glandulis ventriculi ſtillare lympham ac liquorem quendam, quid verò vetat illum vocare gaſtricum liquorem, aut menſtruum ventriculi, modò non excludatur domeſtica ciborum humiditas, additus illis affuſusque potus, admixta Saliva, atque accedens in duodeno pancreaticus ſuccus; hæc enim conjungenda ſunt. Menſtruum verò & fermentum poterit dici; faciles eritis in verbis.

De ipſa verò chylificatione quot opinionum divortia ſint in aprico eſt. Coctionem veterum à ſolo calore quis approbaret? ſed quis non videt aliquas ibi caloris partes eſſe, easque inſignes.

Digeſtionem alii allegant ciborum, ac nemo non eam agnoſcit; alii extractionem, & quandam in chylo emulſionem agnoſcunt, non ineptè; fermentationem alii dicunt, fermentum ex geſtrica facientes lympha; alii hanc in menſtruum convertentes ſolutionem crepant, ne ſic quidem malè;

trituram alii ſuper induxerunt à ventriculi parietibus faciendam.

Tritura magnis hodiè litibus locum dedit, D. Vienſſents, D. Hecquet, aliique multum de illa ventriculi actione certant; certentque per nos quantum libet; ventriculus noſter non eſt ventriculus avium, nec caro craſſa ac tritui tam forti ſufficiens; abſit tamen ut excludamus trituram.

Eſt complicatum chylificationis negotium, coctio eſt, ac calore indiget; ſolutio, extractioque eſt proprioſſimè ſic dicta, digeſtio proin omni jure dicenda, fermentationis aliquam ſimilitudinem habet turgeſcens trahensque in ventriculo moram cibus, aut chymus, tritura blanda ſeu ventriculi tanquam muſculi expanſi, perpetua actio ac volutatio, mollisque attritio ciborum ſummè neceſſaria ac certiſſima eſt; conjungantur ergò hypotheſes iſtæ omnes pro chyli prima ex coctione in inteſtinis ulterius perficienda ac depuranda, promovendaque.

Accedit mox in duodeno bilis ex hepate affluens, ſuccusque pancreaticus; hic & diluendo, ac tenuiori reddendo chylo, ſicque promovendo quoque ulterius dicatus quidem eſt, ſed potiſſimum conſiderandus quà menſtrui pars chylum perficientis, ejus verò cum bile effervescentia in ſcholis iterum evanuit.

Bilis acrimonia ſua ſulphurea balſamica chylum incidit, à viſciditate liberat, conſiſtentiam moderatur, præcipitationem ſeu ſeparationem à parte impura procurat, ſtimulatque inteſtina ad motum periſtalticum, chylique ac fecum promotionem ad regiones convenientes atque excretiones debitas.

Chylus in inteſtinis non manet; meſenterium ſuſtentacu-

culum eſt uti ſanguineorum, ita & lacteorum chylo deſtinatorum vaſorum ; in illa vaſcula chylus ſatis dilutus ac coctus tranſit, vocantque moderni illam actionem ſecretoriam, filtrationem mechanicam in inteſtinis per agendam per villoſam ſpongioſamque cruſtam, ubi vaſa lactea in inteſtina obliquo ductu inſerta excipulorum vicem gerant.

Quia verò ſua ſponte nihil moveatur, ajunt chylum per vaſa lactea ac ductum thoracicum premi ac pelli tum gravitate propria, tum continuo diaphragmatis alliſu compreſſione muſculorum abdominis, & beneficio motus inteſtinorum periſtaltici ſicque ab una valvula ductuum illorum ad aliam promoveri, donec in venam intret ſubclaviam.

Jungunt alii arteriarum pulſationem quoque, ac maximè reſpirationem; omnia admitti poſſunt, ſi propriam chyli gravitatem excipias, quæ nil videtur conferre.

Cæterum cum lactea vaſa in Syſtemate ſuo terminentur in ductum thoracicum, chylusque per illum cum affluente ad idem in lumbis receptaculum lympha ex omnibus corporis vaſis lymphaticis, promoveatur ad cor, eorundem inſertio in inteſtinis non eſt tam evidens ut plerique putant.

Adeò ut neget Lowenhoekius ea hiare in inteſtina, malitque per tunicarum poros admitti chylum, ſed uti ejus hypotheſis de ſtructura tunicæ villoſæ muſculoſa incerta eſt, ita & hæc ſubtilitas nimia.

Hoc ſolùm commendo penſitandum, annon hîc ſit habendus aliquis reſpectus ad phænomena tubulorum anguſtorum, in quos ſua ſponte videntur liquores aſſurgere ac ſubſilire, atque annon tale quid in ſurculis, oſculisque lacteorum contingat vaſorum.

Cumque illa ſubſilitio ſpontanea viſa à melioribus Phyſicis aëris majori extra tubulos, quam intra eos preſſioni adſcribatur, penſitandum erit, annon & in hac chyli per lacteа ad ductum ſanguinemque promotione potiſſimæ ſint aëris in inteſtinorum tubo hærentis, valdeque ob calorem elaſtici partes.

Ex ciſterna ſeu receptaculo lumbari chylus per ductum Thoracicum tendit ad ſubclaviam venam, & ex hac cum ſanguine per deſcendentem cavæ ramum ad dextrum cordis ventriculum, ad pulmones mox, indeque in ſiniſtrum ventriculum protrudendus, indeque per aortam in corporis univerſum ambitum.

Notiſſimum eſt modernos dudum exploſiſſe Veterum de Hepate ſanguificante ſententiam, nec tamen exiſtimandum eſt nihil planè conferre hepar ad ſanguinis perfectionem, elaborationem, & laudabilem diſpoſitionem conſervandam, cum & bilis à ſanguine iſto in viſcere ſecedat per acinos ejus glanduloſos, & ſanguis illud largiſſimè ſubeat, penetretque, ac per frequentiſſimos vaſorum lymphaticorum per illius ambitum ramificationes eam Maſſæ ſanguineæ ſubducit lymphæ humorisque copiam, quæ ad bonam ejus laudabilemque conſiſtentiam requiritur, nihil verò chyli eò vehunt venæ meſeraicæ, quod placuiſſe nonnullis viſum eſt.

Quemadmodum verò Cor ſucceſſit in hoc negotio hepati in Medicorum Scholis jure multo meliore, ita tamen alii non deſunt qui negant illud ſanguificare, ſed eſſe potius inſtrumentum circulationis ſanguinis & motus inteſtini vitalis.

Et certum quidem eſt cor unicè ac abſolutè ſanguificationis organon non eſſe, ſed principale inſtrumentum circulationis ſanguinis, & movens machinæ noſtræ remotius, gaudens motu dum vita durat perpetuo vigoremque partibus impertiens.

Quan-

Quando verò alii ajunt ipſum ſanguinem vitalem motu & calore prædituin particulas chyli ramoſas, ſulphureas ſola digeſtione diuturna mutare in ſanguinem, id non intelligendum abſolutè & excluſivè.

Si enim ſermo ſit de loco ubi fiat, præpareturque ſanguis, ille ſanè ampliſſimus eſt omnemque corporis, quà latè patet ſanguinis circulatio, ambitum complectitur.

Cor ſanè, pulmones, vaſa, viſcera, imò muſculi laudandi hîc ſunt, ſuumque conferunt ſymbolum, æquè ac ipſe ſanguis cui chylus admiſcetur, ad cujus mutationem ſola digeſtio diuturna minimè ſufficit.

Requiritur enim mixtio cum ſanguine arctiſſima, conquaſſatio aſſidua, divulſio ac diſlocatio particularum creberrima, donec candicantes moleculæ rubedinem induant, lucemque nunc alia prorſus ratione reflectant; quanquam rubicundarum particularum portio tanta non ſit quanta lymphæ, quæ jam chyli partem haud exiguam conſtituerat, ob Salivam, menſtruum gaſtricum, ſuccum pancreaticum, imò lympham totius corporis ad ſurculum reducem admixtam, ita ut chylus majorem cum ſanguine cognationem habeat, quam vulgo quidem judicari ſolet.

Licet verò dictum ſit hepar, viſcera, muſculosque ſub conquaſſatione circulatoria ac deputatoria ſecretione ſuperflui ad ſanguinis elaborationem ex chylo conferre; plus tamen cordi tribuendum nemo diffitebitur, qui muſculoſam ejus conſiderat robuſtamque ſtructuram, vi cujus chylum ſanguini potenter conquaſſando, impellendoque commiſcet.

Dumque illum pulmonibus mox transmittit, argumentum inde deſumendum eſt manifeſtum, etiam hos plurimùm concurrere per infinitos vaſorum ſuorum ſurculos plusquam capillares colando, premendo, comminuendo maſſam

ex ſanguine chyloque mixtam, quo ipſo, divulſis quæ antea cohærebant craſſiuſculis, glutinoſisque particulis, floridior ille ac rubicundior, vivaciorque evadit, talisque inde redit ad cor.

Duplicem verò ſanguinis conſidera ac diſtingue motum, inteſtinum ac progreſſivum, quorum alter alteri inſervit, ſine inteſtino enim partium agitatarum motu circularis per vaſculorum minutias fieri non poſſet, ac ſine circulari, conquaſſatorioque motu actum mox eſſet de inteſtino illo ac vitali oſcillatione interna Maſſæ.

Nec opus eſt ut diſputemus, quinam ex his motibus ſit prior, ſunt enim potius ſimul, ſeque invicem juvant, quàm ut ab inteſtino ſolo dependeant ſpirituaſcentia robur ac vires, eodem enim jure iſta circulari motui tribuuntur.

Partes aëris ſubtiles elaſticæ ſanguini intimè admixtæ motum ejus inteſtinum multum juvant, atque ab iis maſſa in vitali ſua turgeſcentia juvatur, ſuſtineturque, quod verò omnis turgeſcentia partium ſanguinis quarumcunque ac character earum vitalis, æquè ac vires, roburque corporis ac cordis inde, ut placet nonnullis pendeant, haud facilè dixerim.

Eſt enim in ſanguine duplex quaſi partium motus inteſtinus, primum habet quà fluidum, omne enim fluidum partes ſuas habet in aliquo motu inter ſe, alterum, vel potius priori ſuperadditum vigorem habet quà ſanguis, quà activis conſtans particulis, & ex parte quoque uterque aliquid debet aëri admixto, non omne.

Requiriturque in ſanguine certa quædam diſpoſitio, vigor partium activarum, ac conſiſtentia nativa aliâs vigorem illi, vel Elaterem aër nullum poſſet conciliare, cujus videmus exemplum in viſcidoque lentoque ſanguine, æquè ac in fluore

fluore Cachectico & sanguine æquoso nimis tenui, uterque multum habet aëris, sed parum vigoris.

Alter sanguinis motus est progressivus, ac localis, vi cujus è corde propellitur in corporis ambitum universum, & inde per venas redit ad thalamos cordis, unde exierat, perpetua, dum vita durat, motûs reciprocatione, ob summam necessitatem, quanquam non semper æquè manifestus sit, præsertim in præternaturali statu, ubi aliquando admodùm supprimitur, nunquam verò penitus cessat, quin mors subsequatur.

Esse verò adeò necessarium facilè patet, non solùm enim corpori vigorem, calorem, vitamque sanguis jugi illo transitu conciliat, sed & spiritus animales, unicum vigoris, motusque instrumentum suo per cerebrum transitu subministrat.

Hoc inter fluida solidaque vinculum est in corpore, nutritionem, excretiones, motus, sensusque omnes remotius efficiens ac ad omnia concurrens.

Est ergò hic sanguinis circulus perpetuus, à corde per certam ejusque ramos, arterias in omnem corporis ambitum, & ex hoc rursus per venas cavamque ad dextrum cordis ventriculum, ex quo per arteriam pulmonarem parvam orditur per pulmones circulationem tota Massa, indeque redit per pulmonarem venam ad ventriculum sinistrum, novæ aptandus circulationi.

Aliam in fœtu rationem esse constat discentibus ex Scriptis anatomicorum, dum foramen ovale inter venam cavam pulmonaremque patens, ac arteriosus inter pulmonarem arteriam ac aortam canalis, efficiunt, ut nec omnis in utrumque cordis thalamum veniat ingrediaturque sanguis, nec maxima ejus portio ad & per pulmones valdè adhuc collapsos fluat.

Nec verò Tironi suaserim ut litibus se hîc immiscat, quas

quas movit D. Merii circa has vias , cum rem vix videatur ſufficienti argumentorum robore eſſe aggreſſus , quod valeat veterem nobis ex manibus , animisque opinionem excutere , novamque ac minus probatam ſtabilire ; cum inſuper prolixè ſatisfactum ipſi ſit ab Anatomico Lovaniensium induſtrio atque ingenioſo Domino Verheyen.

Ipſa verò circulatio hodiè vix eget probatione , olim licèt magnis animorum motibus impugnata , nunc verò illi obloqui impudentia eſſet , ubi vel Chirurgorum ligaturæ dum ſecant venas , harumque verſus cor detumeſcentia rem demonſtrat , & autopſia in pediculo eam per microſcopia docet & in anguillis &c. tranſitusque aquæ in injectionibus , ac valvulæ , ſeu pelliculæ venarum motum retrorſum impedientes, antrorſum concedentes dum deprimuntur abundis ſanguinis.

Cor ergò eſt illa antlia , embolis , valvulisque inſtructa , quæ ingentem illam ſanguinis ac ſpiſſiuſculam molem ac maſſam toties quavis hora circumpellit per omnes corporis partes magno vigore ac robore non contemnendo, utut non ſatis attento.

Valvulas autopſia in oſtiis vaſorum , adituque cordis oſtendit ; emboli vices ſubeunt muſculi ſummo ſtructi , contortique artificio , ſuos in cordis baſi tendines , caputve & caudam habentes , quorum intricatæ pulchro ordinæ fibræ ingens hoc opus ſua perficiunt ſtrictura atque contractione.

Illa conſtrictio appellatur Syſtole , ſub qua cor pulſat , expellitque ſanguinem ſub illo actu probè conquaſſatum in ejus cellulis interſtitiisque columnarum cui mox ſuccedit fibrarum remiſſio ſeu diaſtole, ac relaxatio cordis, admittentis ſanguinem in cavitates ſuas binas ex venis.

Arte-

Arteriis aliqui tribuunt ſtructuram muſculoſam, vi cujus ſanguinem propellant urgeantque, & ſe contrahant, quam ſtructuram venis denegant; res nondum omninò liquet; cum aliud ſit conſtare ex membranis, ex fibris, aliud ex fibris muſcularibus; alii in utrisque tubis motrices vidiſſe ſe fibras arbitrantur, alii venis eas malunt adſcribere, tanquam magis neceſſarias ob ſpiſſiorem quem vehunt ſanguinem propellendum ulterius.

Quicquid horum ſit, hoc certum eſt duriores, denſioresque eſſe arteriarum tunicas vibrationes cordis, impetumque ſanguinis ſuſtinentes; venarum tunicas tenuiores, ac diſparis ſtructuræ adhuc examinandæ.

Urget à tergo novus ſanguis, prioremque ex venis ad cor protrudit, quo & ipſæ partium fibræ motusque conferre aliquid poſſunt, ſi venæ nihil agant.

Modum quo ex arteriis in venas tranſeat ſanguis non eundem omnes venditant; quidam ajunt per immediatam arteriolarum & venularum anaſtomoſin transfundi, ſeu per continuationem & immediatum nexum horum vaſculorum diverſorum quà ſua minima ac ſurculos.

Sed hi prius generalem theſin tenentur extra controverſiam ponere, ac probare dari hanc anoſtomoſin, quam alii negant acerrimè, utpote non agnoſcentes aliam anaſtomoſin, quam quæ eſt inter arteriolas & arteriolas, atque inter venulas ac venulas, non verò inter arterias ac venas.

Hinc alii comminiſcuntur canales peculiares intermedios, qui ex arteriis ſanguinem in venas vehant; Plerisque malentibus aſſerere, ſanguinem elabi ex oſculis arteriolarum inter fibrillarum interſtitiola, ubi ab oſculis venarum reſorbeatur id, quod nec pro nutritione hæret, nec in lymphaticorum, aliave oſcula pariter patentia ſe ſubduxit.

Cap. V.

DE AUGMENTATIONE, NUTRITIONE, ET SECRETIONE.

MIra ſunt corporis à minimo principio augmenta; notus eſt tranſitus partium ſolidarum per tot ſoliditatis gradus, donec ad eam quæ adultis competit perveniant, terminumque attingant ſuum.

Tota primùm corporis machina molliuſcula, tenerrima eſt; oſſa primùm glutinoſa, fibroſa, cartilaginoſa de hinc, tandem oſſea per varios duritiei gradus; imò novimus vel molliores partes ſenio in oſſeam tranſire indolem, exemplo majorum cordis vaſorum, & oſſe de corde cervi &c.

Extenſione igitur opus eſt partium, quæ fit à ſubingrediente fluido nutriente, gelatinoſo, quod hærens in partium interſtitiis illis apponitur, aſſimilatur, dumque particulæ tales inſtar cuneolorum ſemper de novo intrudantur in vegeto corpore, cedere priores & dilatari, augeri partes debent uſque ad certum terminum & ſtaturæ & duritiei ſeu conſiſtentiæ.

Utut verò mirum videatur, partes tam exili conatu poris inſertas tanta vi augere & expandere duras etiam partes; cuneolorum tamen frequentia, ac potentiæ in tot locis quaſi infinitis applicatæ, multiplicatio, & exemplum arborum ſpiſſarum adhuc perſtrata ſua circularia creſcentium rem ſatis conceptui noſtro aptam reddit, ac evidentiorem.

Corpus noſtrum ſemper plurimùm deperdit, per excretiones notas ordinarias ex variis emunctoriis & viis, præprimis verò & ratio, & experimenta ſanctorii oſtendunt per in-

inſenſibilem tranſpirationem inſigne cumprimis pondus decedere à fluidis noſtri corporis in halitus abeuntibus à calore interno.

Utut enim ejus calculus vix mihi probari queat, nec accuratius forſan ferat examen, aut vel eò uſque aſſurgat, quò ipſe ſupponit, vel tam accuratè determinari poſſit, vel denique ob ingentem hominum, ac temperamentorum varietatem certæ legi adſtringi valeat; tamen evidens eſt per innumera ſpiracula plurimùm deperdi.

Neque enim exiſtimandum eſt per oſcula ſaltem glandularum cutanearum fieri tranſpirationem, cum illa ſudoris dicata ſint guttulis expellendis, ſed per ipſos ſtrati cutanei poros longè numeroſiores, per quos ſub halituum forma reſolutæ ſeri roridæ guttulæ exhalant ac diſperguntur numero incredibili, perpetuamque circa hominem formant athmoſphæram, ipſis ſubinde ſenſibus obviam & gravem.

Motus humorum æquè tum inteſtinus, tum circularis, ac partium ſolidarum aſſiduus motus uti ad augmentationem, nutritionem, conſervationem corporis ac fluidorum multum contribuunt, ita etiam ex adverſo multum abſumunt, atterunt, depaſcunt, diſſipant, ipſasque aliquando ſolidas videntur liquefacere, reſolvendo, abſtergendoque præter naturam γλυχρὸν illorum interſtitiis inhærens, tonumque ac turgeſcentiam vitalem partibus concilians.

Juxta caloris igitur, motusque, & excretionum proportionem deperditio partium major minorve eſt, ac incumbit proin homini neceſſitas reſtituendi illud deperditum, utut partim excrementitium, & corpori niſi excerneretur grave futurum ac moleſtum, quod cibi potusque aſſumptione, chylique in ſanguinem infuſione fieri ſupra dictum eſt.

Multum diſputant quæ ſit nutritionis materia, an tota

ſanguinis maſſa, an pars ejus aliqua; lites non recenſebimus, nec nervorum ſuccum nutritium allegabimus; breviter ſufficit dixiſſe Lymphiam gelatinoſam, non rabicundam ſanguinis portionem nutrire.

Gelatina enim partes omnes ferè conſtant, illaque ex oſſibus, cæterisque animalium partibus indies copioſa excoqui poteſt; ipſaque lympha non eſt nudum & aquoſum, tenue ſerum, ſed imbuta gelatinoſis moleculis copioſis, unde & calore modico gelatinæ conſiſtentiam æmulatur.

Si quæras quid efficiat nutritionem, qui væ illa fiat? audies paſſim explodi facultatem nutrientem, nec melius ſubſtitui fermentum peculiare aſſimilatorium alimenti; quibus iſta non arrident pororum ſolam configurationem allegant non niſi certas particulas admittentium; ſed eſt & in hac actione aliquid occulti, nutrientes ac gelatinoſæ particulæ intruduntur blandè in interſtitia porosque, ſicque reſtituunt deperditum novamque parti turgeſcentiam ac tonum addunt.

Sic non opus erit neſcio quas fingere pororum figuras nec vim plaſticam minimè explicandam; Spiritusve animales vocare in ſubſidium, ut non formaliter ſolùm aut efficienter fibras actuando concurrant ad nutritionem, ſed & materialiter reddendo nutritiam lympham admixtione ſua ſubtiliorem, vitalem, ac ſpirituaſcentem. Spiritus equidem non niſi in ſuis canalibus ſunt, manentque ſpiritus & ſpirituoſi.

Præter partes nutritioni inſervientes à ſanguine circulante plurimæ aliæ diverſæ ſecedunt, cum ſanguis ſit maſſa admodum heterogenea partibusque diverſis conſtans, ac proin paſſim alia dimittere à ſua maſſa poſſit fluida; uti in hepate bilem, urinam in renibus, in teſticulis ſemen, Lac in mammis, ſpiritus animales in cerebro.

Par-

Partes autem adeò diverſæ diverſo ſcopo ſecernuntur à reliqua maſſa ſanguinis rubicunda, quidam enim ex illis liquoribus ad corpus conſervandum valdè ſunt neceſſarii, uti bilis, ſaliva, lympha, ſuccus pancreaticus, Spiritus &c. quidam generationi ac ſpeciei conſervationi inſerviunt; Alii ſecernuntur ut depuretur ſanguis atque ab earum mole atque increſcentia nimia liberetur, uti urina, ſudor, transpiratio, & ſuo modo bilis, ipſaque lympha &c.

De organo ſecretorio ejusque ſtructura in genere ac ſpecie plurima leguntur in ſcriptis anatomicorum, pleraque tamen ultra conjecturas non aſſurgunt, uti partium, ſtructuræ quà minima incertitudinis ſemper plurimum habet.

Alii ſpongioſam huic organo ſubſtantiam, alii fibroſam, alii celluloſam, tubuloſam, vaſculoſam aſſignant, ita ut quidam exiſtiment, id non eſſe niſi complicationem exilium vaſculorum ſeu contorſionem quandam.

Fruſtra autem eundem omnibus organis ſecretoriis conceptum ſtructuramque tribuunt, cum admodum ſint diſtincta, glandulæ vocabulum retinere nil vetat, expreſſione generali, modo non inde enaſcatur in omnibus glandulis ſtructuræ vel identitas vel conformitas.

Fruſtra ergò de glandulæ ſtructura in genere tot lites ſerunt, cum forſan ne una quidem glandula ejusve ſpecies cum altera penitus conveniat, utut ſanè ſtructura omnium non poſſit non eſſe vaſculoſa ac tubuloſa modis diverſis.

Pori certè ac cavitates requiruntur, per quas tranſeant particulæ ſecernendæ, ſed an his certæ competant præciſè figuræ certas ſaltem conformes ſibi partes admittentes, de eo ſub judice lis eſt.

Quid Archibaldus Pitkarnius eo in genere ex fundamentis Mathematicis ſenſerit notum eſt, quod ſcilicet ad foraminis potius diametrum huicque conſentientem particularum magnitudinem, quam vel harum, vel illius figuram eſſe reſpiciendum.

Quod alii ita eloquuntur : In glandulis non ſecerni minima fluidorum Elementaria , prima , ſolida , ſed ipſa fluida ſub ſuo ſchemate ac compoſitis ſuis particulis ; fluida autem non requirere figuram ſingularem , cum ea ſe cuivis figuræ accommodent , & in cujuscunque orificium penetrent, hinc non opus eſt peculiari orificii figura , ſed quælibet ſufficit, modò ſit ſatis ampla.

Quæ quidem omnia non abſolutè admittenda certaque eſſe vel ſola filtrationis oleorum , aquarumque exempla docere queant , unde præſtaret ad iſtas uſque minutias , vel non progredi, vel ſaltem ultra conjecturas rem non determinare, ſint itaque pori & orificia vaſorum omnium circularia , uti loquuntur , amplitudine tamen differant ; ac præterea in mollibus tubulis notum eſt circularem orificii figuram nec neceſſariam nec conſtantem eſſe , cum illa dependeat à vicinarum preſſione , tenſione , diſtractione , fibrarumque tono quo laxato ſæpè collabuntur , ſtricto contrahuntur ; ſibi verò relicta æquè elliptica ac rotunda eſſe poſſunt, adeò nihil hîc conſtantis certique eſt.

Quando autem dicitur : In tunicis arteriarum poros eſſe ſecretorios , qui pori orificiis naſcentium vaſorum excretoriorum adnati ſint , adeoque excretoria vaſa annumeranda eſſe ramulis arteriarum ; id de aliquibus forſan , minimè verò de omnibus excretoriis vaſis poterit admitti ; tenditque huc potiſſimum Vienſſentii hypotheſis, de qua alibi.

Patet ergò quo ſenſu glandulæ dici poſſint curvaturæ arterioſæ , aut contorſiones tubulorum , aut flexuræ vaſculorum, aut arteriarum continuationes &c.

In

In eò verò glandulæ conveniunt quod habeant pro vasis advehentibus arterias, pro revehentibus venas, & ductus suos excretorios proprios.

Distinctio famosa glandularum in conglomeratas & conglobatas retineri potest ac debet, quia illi se scriptores plerique accommodarunt, quanquam forsan non immeritò alii plures enumerent.

Magnitudine admodum variant, numero sunt indefinito ob copiam, quanta enim myriadum copia istiusmodi glandularum spargitur per omnem corporis ambitum, per tot membranas ob summam frequentiam, talium tuberculorum glanduloſas dictas in intestinis, ventriculo, gula &c.

Conglomeratas vocant eas quæ ductus excretorios habent peculiares, uti hepar cholodochum, pancreas pancreaticum &c. conglobatis lympham ablegantibus ad cisternam per vasa lymphatica.

Olim liquorum omnium secretio fermentis adscribebatur, sive illi utiles corpori ac retinendi, sive graves ac secernendi essent; censebantque fermenta præcipitare ac disponere humores secernendos; id verò hodiè rejicitur, substituiturque à plerisque secretio omnium illorum humorum differentium, bilis, urinæ, sudoris, salivæ, per modum rationemque mechanicam certumque filtrationis modum.

Sed & hoc suppositò res difficultatibus non caret, cum & circa filtrationem diversa dubiaque occurrant phænomena, ratione transitus diversorum liquorum pro diversa humectatione aqua vel oleo facta; cribrorumque ac colatoriorum varietas observetur; ac denique alia ratio sit colatorii vivi ac organici, quale est glandula.

Quic-

Quicquid verò sit de omnibus istis subtilitatibus mechanicis, ac collationibus diametrorum ac figuratum, sufficit tam sapienter esse structa hæc colatoria à summo creatore, ut quodvis osculum suscipiat convenientem sibi liquorem eumque seorsim servandum transmittat quamdiu massa sanguinea rectè se habet, organonque benè constitutum est ac integrum.

Cumque ad aliquas glandulas plures nervi accedant, quam ad ipsarum videbatur requiri molem, concluserunt inde aliqui, eos spiritibus animalibus imbuere liquorem secretum ut vividior fiat efficaciorque, sed nec illo opus est, nec id præstare spiritus possunt, ostenditque Nukius eas spirituum copias impendi in structuras fibrarum glandulas constituentium ac motum humidi per illas promoventium.

Lymphatica vasa an Lympham per glandulas suscipiant, an eam ex fibrarum interstitiis absorbeant non liquet, ac reverà perinde est, ut controversia illa opus non sit; omnia verò tendunt per glandulas conglobatas ad cisternam seu receptaculum chyli lumbare.

Sanguis in omnibus visceribus amittit, ac deponit aliquid, quorum omnium structuram Anatomicorum scripta plenius tradunt, nonnulla circa istas secretiones etiam hîc adhuc monenda sunt, sequendo sanguinis cursum.

In pulmonibus fiunt quoque secretiones, non solùm in glandulis bronchiorum phlegmatis ibi extillantis, non solùm lymphæ per numerosa lymphatica vasa ablegandæ, sed cumprimis transpiratio larga ac halituum cum aëre excretio facta sub expiratione quæ abundanter ac perpetuò succedit, atque illo sensu sanguis hîc dici potest refrigerium accipere, dum halituosas, calentesque magno numero per viam hanc expellit moleculas, suis ex vasculis exsudantes ac protrusas sub rapida per surculos capillares circulatione.

Sed

Sed hoc non eſt præcipuum pulmonum officium ; eorum cum corde nexum arctiſſimum ; vi cujus unam quaſi machinam hydraulico - pneumaticam junctim conſtituant, autopſia docet, ac proin neceſſitatem pulmonum ſummam ad magnum circulationis Maſſæ ſanguineæ negotium, adeò ut hunc præcipuè in finem ſtructos eos, conformatosque eſſe, haud immeritò quis exiſtimaverit.

Adeò ut quemadmodùm ſanguinis circulatio dum vita durat penitus ceſſare haud poteſt, ita & actio pulmonum reſpiratoria, poſtquam ſemel inceperit, nonniſi cum vita plenè ceſſat ; nam in hoc diſtinguitur à circulatione ſanguinis, quod actio ſit mixta ex voluntaria atque involuntaria, celeriorque ac tardior pro lubitu poſſit fieri in corpore ſano, alia ratio eſt conſiderationis Pathologiæ, & cum quærunt curioſi : An homo pro arbitrio prorſus cohibere reſpirationem, aërem intra pulmonum veſiculas conſtanter conſtringere, ſicque mortem ſibi valeat adſciſcere atque accelerare?

Notanda cumprimis eſt mirabilis pulmonum ſtructura, aſperæ enim arteriæ ramulis ſive bronchiis ita adhærent veſiculæ membranaceæ eo artificio connexæ ut pulmonum forment ſubſtantiam, aëremque ex tracheæ ramulis admittant, atque ad alias ſibi connexas veſiculas innumeras transmittant, ſicque omnis pulmonum vaſta ſubſtantia elevetur expandaturque juxta omnes dimenſiones.

In reciproce verò iſta veſiculoſæ hujus ſubſtantiæ inflatione ac ſubſidentia cumprimis fundatur libertas tranſitus ſanguinis per pulmones, unde in fœtu aliam ejus rationem eſſe pulmonibus nondum ita plenè dilatatis, ac ſanguine proin parcius transmiſſo ſupra jam monitum dictumque eſt plenius, quî ſanguis compendia foraminis ovalis, atque canaliculi arterioſi ſequens, nec omnis pulmones, nec omnis utrumque cordis ſubintret thalamum.

Aliam prorſus in adulto eſſe rationem modumque in confeſſo eſt; cave tamen ne exiſtimes eandem eſſe aëris ac ſanguinis in pulmones admittendi rationem, eadem intervalla viceſque, ita ut ſecundum quosdam in inſpiratione hauriendo aërem vaſa ſanguinea comprimentur & ſanguis exprimatur, ac proin pulmones albeſcant, ex adverſo autem in exſpiratione aëre expulſo vaſa pulmonum dilatentur, recipiantque ſanguinem, unde magis rubeſcant pulmones; ſanguis enim non per hæc præcisè intervalla, ut aër, admittitur & exprimitur, ſed filo magis continuo fluit, propulſus quippe à corde ejusque Syſtoli parens, pulmonum varius utrinque color, ſi quis eſt, adſcribi debet vaſorum capillarium majori minorique in utroque, ſtatu viciniæ.

Omnis ſanguis cum chylo ipſi affuſo per ductum thoracicum ex dextro cordis ventriculo ad pulmones per arteriam pulmonarem protruditur, ac redit ad ſiniſtrum cordis ventriculum, per venam pulmonarem cujus capillares ſurculi, arteriæ ramulis frequentiſſima ramificatione reſpondent; ab his diſtinguendæ arteria ac vena bronchialis, nutritioni ac vigori pulmonum privatim inſerviens, non verò publico circulationis univerſalis negotio.

Ac hujus quidem circulationis promotio ac conſervatio, ſanguinisque vigor ac conſiſtentia ſunt præcipui fructus reſpirationis, ac principales conſequenter ejus uſus.

Obſervatum enim eſt, ſanguinem multò pulchriorem & floridiorem redire è pulmonibus ad ſiniſtrum cordis thalamum, quam quidem fuerat cum ex dextro ad pulmones per arteriam propelleretur.

Quanquam in hujus phænomeni aſſignanda cauſa haud æquè conveniant ſcriptores. Juxta quosdam ſubtilior aër, juxta alios etiam craſſior, ſanguini in pulmonum cellulis admiſcetur, ſeque in vaſa ejus inſinuat, unde vel ab ipſo vel ejus

ejus nitro derivant colorem vividiorem ſanguinis per pulmonarem venam reducis.

Hinc nonnulli ex his arbitrantur veſiculas pulmonum inſervire ſubtiliori particularum aërearum ſegregationi, quæ ſanguini intermiſceantur, rejectis iterum per exſpirationem particulis aqueis craſſioribus.

Hanc ſubtiliorem aëris portionem elaſticam dicunt habere vim globulos ſanguinis disgregandi, & à ſe invicem ſeparandi agitandique, motum ſeu fermentationem inteſtinam, fluiditatem, calorem vitalem & colorem purpureum producendi.

Quæ quidem ipſis haud difficulter largiuntur adverſæ fautores ſententiæ, aëri multum in his efficiendis tribuentes ejusque moleculis elaſticis, quas tamen non credunt ſubire ſanguinem in his pulmonum veſiculis, ſed cum chylo, & in chylo eas credunt deferri ad laticem vitalem illiquę immiſceri juſta proportione.

Ajunt ipſos illos qui hanc aëris ſtatuunt in pulmonibus ſubreptionem ad ſanguinis maſſam ſuſpectam ipſis reddere hanc aëris viam, cum ipſi craſſum, ordinariumque quem reſpiramus ex athmoſphæra aërem excludant, & ſubſtituant aerem mediæ naturæ, aerem ſubtilem, &c.

At verò ex mox dicendis clarum erit, requiri in ſanguine aerem verum, craſſum athmoſphæricum eademque ratione graduque cum illo compreſſum; & fruſtra præterea fingi aerem mediæ naturæ entibus præter neceſſitatem multiplicatis, atque adeò non dari aerem craſſum, & ſubtilem, uti non detur aqua craſſa, & aqua ſubtilis, ſed una & eadem aqua nunc purior nunc impurior, unus idemque aer, hæterogeneis nunc magis nunc minûs ſcatens, nunc magis nunc minus compreſſus ac validus ſeu elaſticus.

Huic aeri in ſanguinem cum chylo delato malunt adſcribere memoratos ſupra effectus, oſcillationem ſanguinis vitalis,

ejus globulorum divulſionem, juſtam conſiſtentiam, ſique venia ſit verbo, ſpirituaſcentiam, quàm incertis ejus minutiis quæ vaſa pulmonum ſubire qui poſſent, ratio comparet ipſis nulla, repugnantibus principiis mechanicis.

Et quando ipſis opponitur æquilibrium adeò neceſſarium inter externum internumque qui in ſuccis ac corpore eſt aerem, illud equidem lubentiſſimè agnoſcunt, ſed derivant ab aere non per pulmones, ſed cum chylo ſanguinem ſubeunte.

Cum enim vaſta Athmoſphæræ moles, ac oceanus iſte ampliſſimus, corpus humanum ambiat undique urgeatque omni ſua gravitate, neceſſe omninò eſt, ut ſit in ſuccis inque vaſculis carnium ejusdem elateris, roborisque aër, qui huic æquipolleat preſſioni, eamque ad æquilibrium deducat, ne corporis partes molliores arctius violenterque comprimantur, ab externo pondere ac correſpondente elatere, nec internæ nimis expandantur, dilatenturque, ſi interno prævaleret; requiritur ergò æquilibrium.

Utut enim æquabilis preſſio fluidi undiquaque eodem niſu urgens aliis hîc ſufficere videatur, certum tamen eſt requiri etiam reſiſtentiam internam æqui valentis elateris, imò majoris; unde & urinatoribus in fundo maris expreſſum ex naribus, auribusque ſanguinem legimus, non obſtante preſſionis in ambitu æquabilitate.

Sive verò aër in pulmonum veſiculis ingrediatur in vaſcula ſanguinea capillaria ſive non, id tamen non impedit quo minus repetita illa reciprocaque dilatatio & collapſio harum cellularum, aeris fluentis largiſſimè admittendo, expellendoque reverà, ut ſupra diximus, ſanguinem refrigeret halitibusque fervidis ſubtractis ventilet, uti viſum fuit multis authoribus, quibus tamen illi contrarii non ſunt, qui dicunt ſanguinem hinc potius calefieri, quia quò major ſit in-

inſpiratio, uti in motu & exercitio, eò major adſit calor; diſtinguenda ſaltem ſunt tempora & actiones, modique reſpirandi; refrigerabit auferendo halitus ferventes, calefaciet agitando, ſuſcitandoque globulos in venis prius torpidiores minusque agiles, ac jamjam cohæreſcentes inter ſe implicatosque.

De uſibus ſecundatiis reſpirationis non eſt quod dicamus, in juvando olfactu impellendo miaſmata in fibrillas narium membranæ nerveas, tanquam cuneolos appellentes cum fluentis impulſi aëris, in fæcibus excludentis, fœtuque in lucem edendo, ac cumprimis voce formanda.

Follis enim vices habet in formanda loquela pulmo, cum aëer inde protruſus in articulatam vocem non formetur niſi accedente modificatione cartilaginum caput aſperæ atteriæ formantium, linguæ imò, dentium, ac labiorum.

Modum reſpirationis ubique deſcriptum offendetis, muſculi ſane thoracem dilatantes incipiunt negotium illud, diaphragmate ad viſcera depreſſo, ſub iſta enim ampliatione aër externus eò ruit ubi minor eſt preſſio, ſcilicet in cavum pulmonum, eorumque veſiculas ſubitò replet expanditque ad plenam inflationem, ſed remittentibus muſculis, coſtis pondere ſuo tonoque fibrarum antagoniſtarum inſitum redeuntibus priſtinum aër hauſtus promptiſſimè expellitur denuò; mox iterum hauriendus eadem ratione.

Diſputant equidem quinam ille ſit ſtimulus qui infantem recens natum urgeat, ut atrollat coſtas & ſic allabenti nitentique aëri thoracis ampliet ſpatium pro reſpiratione plenè inchoanda, ſed fruſtra difficultatum nectunt nodos, cum ipſum aëris incumbentis pondus ſic ſatis urgeat fibras, cogatque formandi cum athmoſphæra æquilibrii neceſſitas ad inchoandos ſub novo vitæ liberioris genere reſpiratorios motus conatusque.

Dictum jam ſupra eſt, ſecretiones plerasque ſanguinem liberare à parriculis quæ graves ipſi ac pernicioſæ copia nimia eſſe poſſent, ita tamen ut non omne ſecretum habendum ſit pro inutili, pleraque enim proficua ſunt corpori, & quædam ſaltem ſecernuntur, ut reaffundantur Maſſæ, ſicque ejus toties ſeparatæ vigor ſubſiſtat, innoveturque aſſiduis iſtis colationibus ac divulſionibus partium.

Quidam tamen ex ſuccis ſecretis ita ſunt comparati, ut non poſſis non mirari diverſam eorum à tota ſanguinis maſſa indolem; cujus in bile potiſſimum ſuppetit exemplum, cujus amaritiei in ſanguine veſtigium eſt nullum, cum tamen in hepatis acinis glanduloſis, quos & aliter cum Ruyſchio poteris appellare ac deſcribere, abundanter & ex ſanguinis maſſa ſegregetur extilletque, in ductus bilarios, tum ad veſiculam, tum ad cholodochum immediatè ductum deſtillet, fluatque ex utroque fonte ad inteſtina tum aſſiduè, tum per vices, quod quidem hepatis officium præ aliis diligenter Bohnius deſcripſit illuſtravitque.

Hepatis officium manifeſtum cum ſit, aliter tamen res obtinet circa Lienem ejusque functionem.

Qui verò hodiè aſſerunt Lienem nihil ſecernere intelligendi ſunt de ſucco peculiari qualis eſt in hepate bilis, talem negant ſecerni in liene, non verò lympham, quæ largiſſimè in illo æquè ac in hepate per Lymphatica ſecernitur amandaturque vaſa ad receptaculum deferenda.

Interim ſingularem Lienis ſtructuram omnes & mirantur & agnoſcunt, conflatum ex innumeris cellulis, fibrisque unde plerique ex illis qui peculiare ipſi officium non aſſignant pro ſecretione, inferunt, ſtructuram hanc ad conquaſſationem, comminutionem, & intimiorem ſanguinis ſubtiliſationem multum contribuere.

Alii ſpecialius ſe exprimunt, exiſtimantes ſanguinem

nem in hoc cumprimis viſcere diſponi ad bilis in hepate dimiſſionem, ſanguine hinc per venam portæ ad hepar delato.

Ac ſingularem quidem venæ portæ ſtructuram, ramificationes, atque uſum eſſe nemo inficiabitur, cum recipiat omnem ferè ſanguinem ex abdominis viſceribus, illumque deducat ad hepar, non pro uſu illius viſceris privato, (ſanguinem enim illud ſuum ab arteria hepatica recipit, ac per venam remittit) ſed corporis dubio procul publico quæ quidem in pathologia potiſſimum attendenda ſunt.

De ſucco Pancreatico ſupra jam egimus, cum enim ille peculiari viſcere gaudeat ac ductu excretorio, vix illis aſſentiendum erit, qui eum nil niſi Lympham ordinariam, cum lymphæ vaſorum lymphaticorum prorſus coincidentem aſſerunt, ſingularis enim illa ſtructura ac habitudo viſceris dubio procul caracterem innuit peculiarem, utut non præciſè acidum, ſuo tamen modo ſpeciali à vulgari lympha diverſum.

Sunt qui cruſtam villoſam ventriculi atque inteſtinorum habent pro ſecretorio, ex minutiſſimis vaſculis & poris conſtante, ac ſeparante pituitam viſcidam ex ipſo ſanguine, quod quidem officium non admodùm videtur probabile; ac malent forſan alii pro colatorio chyli ad oſcula lacteorum ibi fluctuantia tendentis illam habere; nî Lewenhoekius nactus fuerit aſſeclas, aſſeverans eſſe hanc cruſtam muſculum, ſitumque ac rationem fibrarum ſibi viſarum deſcribens in operibus ſuis.

Glandulæ atrabilariæ ferè ſolæ abditum adhuc gerunt uſum ſuum; nec anatomicorum hactenus perſpicaciæ ſatis pro hoc ſcope innotuere; utut enim per microſcopia quidam ſe in iis vidiſſe glandulas minutiſſimas teſten-

ſtentur , nec de tali ſtructura dubitandum ſit, ingens tamen eſt quæſtio , an ſeparent liquorem alcalinum , infundendum retrogredienti à renibus ſanguini ad illius à congulatione præſervationem.

Renum verò officium ac ſtructura eò hodiè evidentior certiorque eſt , vi cujus largum à ſanguine ſerum per canaliculos ſuos ad pelvim plenis concurrentes faſciculis ſeparant filtrantque ; amandandum per ureteres fibroſos , facilèque dilatabiles ad veſicam , muſcularibus conſtantem fibris , ſuoque urinam ſphinctere pro lubitu detinentem , fibris verò conſtrictis pro lubitu urinam propellentem, niſi illa nimis diſtenta fibræ amittant tonum ſuum , cujus pathalogia exhibet exempla.

Teſticulorum ſecretio ſeminalis reſpicit conſervationem ſpeciei , ac negotium prorſus mirabile in circumſtantiis ſuis quibuscunque ; notum eſt tribui & viris & fœminis teſticulos, ſenſu autem prorſus diverſo, muneribusque admodùm differentibus.

Æquivoca ex putredine generatio per multa ſecula obtinuit circa inſecta cumprimis; donec modernorum induſtria promptam eorum in putredine excluſionem agnoſcens , generationem ipſam & productionem ex putredine prorſus oſtendit nullum, imò impoſſibilem, frequentiſſimis nixa experimentis , maximè Lewenhoekii recentiſſimis , adeò ut Bonanni, Jeſuita celebris fruſtra ſe operosè ingeſſerit negotio, cui par minimè fuit , victus à Franc. Redio & viſus & mentis acumine; nec plus effecit Sbaraglia, ac Triumfettus , ſatis clarè convicti à Valiſnerio , & Nigriſolio Ferrarienſi Medico.

Eò autem ſecurius pronunciatum dehinc fuit , omnia naſci ex ovo , iſtamque naſcendi ſortem eandem atque uniformem ex æquo ſe ad vegetabilia extendere atque animalia, poſt-

poſtquam cumprimis in plantarum ſeminibus rudimenta plantæ tam manifeſta, tam conſpicua facta ſunt; tranſiit mox analogia illa ad animalia, in quibus cicatricula ovorum idem animalis, eſſe rudimentum à diligentioribus deprehendebatur.

Sunt ergò teſticuli fœminarum ovaria, habentque in ſe ovula ſeu veſiculas lymphatico turgidas humore, in quibus eſt cicatricula ac rudimentum fœtûs, cætera teſticuli ſubſtantia fibroſo-carneo-glanduloſa eſt.

Quia autem generatio non fit ex liquore utriusque ſexus ſeminali in utero confuſo, uti viſum fuit veteribus; hinc ovula hæc ſe habent paſſivè, & expectant liquoris genitalis ſeu ſeminis maſculini, tanquam principii activi, ſubtilia miaſmata ovulum excitantia, turgere facientia, fœcundantia.

Craſſamentum enim ſeminis ad ovarium extra uterum in cavo abdominis ſitum penetrare non poteſt, ſed tenuior ejus atque ſpirituaſcens portio vel per tubas, vel per uteri poros, aut cum ſanguine ad ovula pertingit; ovarii tum alia fit diſpoſitio, tubæ turgent, illique ſuis dilatationibus appropinquant, ut ovulum turgens atque extruſum excipiant, ac per ductum ſuum utero inferant ibi fovendum firmandumque, in ovario autem ſuccreſcit ovulo exturbato fibroſo carnoſa maſſa ſeu caruncula.

Ex quo manifeſta eſt ingens differentia Teſticulorum utriusque generis, ſecretoria enim illa ſeminis maſculini alius planè ſunt ſtructuræ, quam alii dixerunt medullarem, cerebro analogam, alii glanduloſam, alii verò recentiores ad analogiam in gliribus obſervatam detexerunt ſtructuram canaliculoſam, eſſe nempe eos glomerem vaſculorum continuorum eleganti artificio complicatorum, totamque formantium teſtium atque epidydimidis maſſam, exeunte ductu excre-

torio vaſe deferente ac pergente ad veſiculas ſeminales pro infundendo illis ſemine aſſervando ad uſum.

Uti verò in ſexu maſculino poſt pubertatis tempus hæc obtinet ſecretio , ita in altero ſexu ſapientiſſimus creator aliam conſtituit ſecretionem illo tempore inchoandam , continuandamque per periodos menſtruas ad ſenium uſque, quanquam non ſine inſigni differentia ratione individuorum tum quà initium, tum quà modum, finemque.

Ita ut fœmina ſanguinem elaboret & pro individui proprii conſervatione , & pro fœtus nutritione , ſi eum utero gerat, extra hunc verò caſum , abundantem ſanguinem per vaſcula uteri dimittat.

Non tamen hoc præcisè ſanguine menſtruatim excernendo ſeu ſanguine menſtruo nutritur fœtus , ſed alluens ad uterum pleno rivo ſanguis partes ſuas blandiores ad eum transmittit mediante placenta ſeu hepate uterino , hinc ſæpe etiam in gravidis fluit ſanguis menſtruus ſine noxa.

Diſputant an ex vagina uteri , an verò ex ipſo utero eorumque vaſculis ſtillet menſtruus ſanguis , ad autopſiam anatomicam provocari utrinque videas , ſed cur diſputant , quid enim vetat quo minus pro circumſtantiarum diverſitate utrumque obtineat ac obſervetur ; quemadmodum & illa controverſia poſſent ſuperſedere , an ex arteriolis an ex venulis fluat; utrinque cum pateat via pro caſuum ac circumſtantiarum varietate.

Media quoque incedendum erit via, ſi quæſtio ſit de Lunæ in fluxum hunc menſtruum dominio ac directione univerſali; uti enim Luna haud parum influit in corpora noſtra, morborum exemplis innumeris id confirmantibus , ita nec omnem illi in periodicam hanc turgeſcentiam atque excretionem denegare vim licebit, plenamque verò illam certam-

tamque ac ſtabilem quaſi directionem ipſi adſcribere vetat experientia aliud quotidiè docens.

Nec eſt quod recurramus præcisè ad actum conſuetudinis, vi cujus natura per ideam certam ſibi impreſſam emittat ſuccum perfluum per uteri vaſcula, quibus ille copioſiſſimis gaudet evacuationi huic peculiari ſtructura convenientibus.

Sufficit enim abundare ſanguinem, ejus quaſi quandam fieri aggeſtionem, ac turgeſcentiam, ut inſurgant fibræ, propellantque id quod moleſtum eſt, per vias ad id omninò etiam ſine prævia idea diſpoſitas ac proin facilius conniventes.

Secundinæ ſeu hepar uterinum à quibusdam in principio non adeſſe ſupponuntur, primoque menſe, ac tum demum obſervari hepar illud, membranasque chorion & amnion.

Quod, ſiquidem intellectum velint demole ejus craſſa ac ſenſibili, ultrò ipſis largiri convenit; non item deſtaminibus primis ac mole ſecundinæ fœtui minuto proportionata.

Hæc ſanè in primordio mox adeſt, ac adeſſe debet, inque ipſo ovulo radices habet ſuas, uteri cavæ parti, laterive annectendas, agglutinandasque, ut ex illo hauriant nutritium ſuccum, fœtui per venas umbilicales tranſmittendum.

Primum enim nutrimentum ſuum habet in ovulo fœtus, ſed parum illud eſt ac à materno latice brevi reſarciendum, ut tenella fœtus ſtamina ac rudimenta capiant incrementum, in quo conſiſtit generatio ejus ac formatio; quam Carteſiani tam egregiè ut putant è principiis mechanicis regulisque motus derivant, rupta veſicula ac humore ad circumferentiam moto ar-

terias , reflectendo ad centrum venas formari , ſuavi ſomnio ſupponentes.

De eo autem plurimum diſputant , quænam animæ ſit origo , per traducem ne an creationem illa propagetur, Medicum ad minimum ſcopum haud attingit reſpicitve controverſia illa famoſa, qui animam jam in corpore præſentem ſtructo domicilio conſiderat , curatque ac præſervat à morbis cum corpore.

Unde nec controverſiam illam operosè tractat Medicus, an anima ſuam ſibi ſedem corpusque ſtruat , an verò legibus id mechanicis augmentatione ſola eveniat ; quanquam Modernos Mechanicos Medicos nimis parum animæ tribuere , eamque nimis circa corporea reſtringere oſtenſu haud ſit difficile.

Neque enim ab eo , quod ignarus actionum rerumque in corpore evenientium ſit homo , firmum eſt argumentum, quod oſtendat animam ad tales effectus haud concurrere, utpote quorum ſit prorſus ignara ; ſequela enim valeret , in rebus ubi anima concurreret immediatè ſine organis , in organica autem ſtructura , ac delineatione effectum etiam ignaro homine poterit producere vi ipſius cum corpore nexus & immeationis communionisque intimæ.

Phyſicis pariter relinquemus decidendum , an rudimenta prima hominum primæ matris ovario , an terræ gremio, atque Elementis, uti aliis viſum, ſint à Creatore ſummò indita , an verò in ipſa delineentur irradiatione imprægnatoria &c.

Medico ſufficit tenerrima illa ſtamina ad iſtam tandem molem benedicente domino increſcere.

Nec audire par eſt Lewenhockium ſomni autem de animalculis ſuis in Semine maſculino conſpectis , eaque ovulis

ovulis ſubſtituentem cum nullo argumentorum robore, vel hypotheſeos vero ſimilitudine iſta ſe hactenus eruditis potuerint vel probare vel commendare.

Primò igitur omnia in fœtu minima, tenerrima, mollia concipias oportet, fibroſa primùm ac ſenſim ad congruam parti cuivis conſiſtentiam progredientia, ad oſſa uſque è cartilaginibus, oſſificatione in centro incipiente, indurescentia.

Uterus ob cavitatem cavernoſam, ſpongioſamque, ac vaſorum abundantiam tempore imprægnationis ſuccis abundantiſſimè perfunditur, diſtenditurque ac incraſſatur; inter ejus verò vaſa ſanguiveha, & placentæ uterinæ vaſcula anaſtomoſin immediatam admittere nec ratio nec experientia hactenus permiſit, quidquid nonnulli opponant.

Fruſtra quoque diſputant an fœtus nutriatur per os. In principio enim aliquas ſecum habet nutrimenti guttulas, dehinc omne per intermediam placentam ex utero in venulas umbilicales recipit in proprio corpuſculo in ſanguinem convertendum, concoquendumque ſub perpetuo ad placentam refluxu per arterias, reditumque per venas.

Et ſiquidem ultimo tempore perfectior jam hauriat eum in quo natat liquorem, uti dubium vix ſupereſt, erit tamen, ni fallor, manifeſtum, id omne quod haurit à matre per placentam prius affluxiſſe, imò forſan, cenſente Bohnio, ex propriis prius mammis earumque glandulis exſtillaſſe, eò magis quod in amnio glandulas, conſpicere illi haud ſit facile, qui nihil dare imaginationi in rebus anatomicis conſuevit.

Ac licet humor fœtum ambiens ſit alimentaris, minusque talis verſus geſtationis finem deprehendatur, alium tamen inſuper ac præcipuum habet uſum, dum fœtui præbet ſedem, eumque ambit, fovet, tanquam ejus elemen-

tum in quo degit , donec apertum ſuſtinere aërem atque athmoſphæram queat compages ejus facta ſolidior.

Fœtus ſemper vivit atque animatus eſt , etiam in minutiis ptimis , anima ergò ſemper eſt præſens, motum tamen fœtus ordinariè matres percipiunt medio geſtationis tempore, quod tamen æquè ac terminus partus pro individuorum ac circumſtantiarum varietate latitudinem habet inſignem.

Partui anſam, dat & moles fœtus ac ſecundinarium & uteri partiumque illi contiguarum tenſæ ſeſeque reſtituentes fibræ , juvante poſtmodum conatu muſculorum ac cohibita reſpiratione depreſſio diaphragmatis , cui alii jungunt fœtûs concurſum activum.

Hepar uterinum ſecundum omnem ſuam latitudinem ſeparatur ab utero , cui ejus eminentiæ cotiledoniformes altius infixæ erant , ac proin plurima rumpuntur in cava uteri ſuperficie vaſcula , quæ pro circumſtantiarum ratione modoque plus minusve extillant effunduntque ſanguinis qui lochiorum nomine venit, cujusque excretio neceſſaria eſt ac ſalutatis poſt partum.

Ultima tandem quam conſideramus ſecretio fit in mammis , ſucco jam viam eò affectante poſt partum, quam jam quæſiverat ultimis geſtationis temporibus , ſubire tum incipit ductus lacteos mammarum , eos diſtendere , perque eorum in papillis continuationes lactis ſub ſpecie exſilire , accedente cumprimis preſſione, ac ſuctione infantis naturâ jam id artificium edocti.

Cap.VI.

Cap. VI.
DE MOTU, ET SENSU.

QUicquid hactenus de corporis functionibus, viscerumque secretionibus tetigimus, id omne & quicquid præterea in Microcosmica occurrit contingitque Machina, id inquam omne, fit cum motu & per motum; de motu verò jam supra diximus, monuimusque eum esse vel fluidarum vel solidarum partium, vel simplicem vel organicum seu per sua organa effectum.

Cumque à se ipsis partes moveri non possint, aliunde acquirant assumantque impetum necesse est; à fluidis nempe, iisque potissimum elasticis; fluidorum enim particulæ utpote incohærentes faciles ad motum sunt agilesque; fluidum præprimis nervorum, spiritus animales, liquidum subtilissimum, & ad motum edendum celerrimum aptissimum, ab his enim immediatè partium solidarum motus per nervos dependet, fluidarum verò magis mediatè per motum cordis inde pariter pendentem, humoresque omnes circumagentem.

Ista tamen spirituum animalium subtilitas, activitas, elasticitasque non est consideranda tanquam agens electivè, determinatè ad finem certum, sine respectu ad organa, sed modificatur, temperaturque juxta organicam partium structuram, agitque juxta illarum dispositiones ac mechanismos. Instrumentum autem quo mediante spiritus efficiunt motum sunt fibræ motrices, variè locatæ, implicitæ, ac combinatæ; quatenus quidem differunt à fibris membranaceis, ac quibuscunque aliis, quæ canaliculos spiritibus replendos non constituunt.

Quando hæ fibræ motrices ita magno numero ac spissus inter se sunt contextæ, ut extremitates duæ tendinem referant

referant formentque, media autem pars laxius cohæreat, multoque perfundatur per creberrima vaſcula ſanguine muſculus emergit, ac ita vocatur organon motus voluntarii.

Quanquam id perpetuum non ſit, uti nec fibræ motrices per ſeries & ſtrata ſibi ſuperimpoſitæ, ſeu tunicam muſculoſam aut carneam formantes perpetuò motus involuntarii unicum ſunt inſtrumentum; uti id cordis, è robuſtis formati muſculis, exemplum, & Sphincteres ani ac veſicæ, itemque ipſæ carneæ ventriculi & inteſtinorum tunicæ apertius docent.

Uti verò ventriculi, inteſtinorum, veſicæ urinariæ, bilariæ, ureterum muſculares tunicæ autopſia facilè confirmat, ita de omnibus arteriis ac venis idem aſſerere eadem evidentia vix forſan hactenus licebit iis qui ſine partium ſtudio judicant.

Spiritus animales mobili ac expanſivo gaudent indole, inflant fibras, muſculosque abbreviant, ut decreſcente longitudine annexas trahant rapiantque violenter partes.

Multum equidem diſputant, an id quod longitudini muſculorum decedit, accedat craſſitiei; atque an in muſculo tumeſcente & figura & moles, an verò figura ſolùm non moles mutetur; neque enim utilitatem habent iſtæ quæſtiones, ac facilè largiendum erit mutata figura molem ſimul augeri, ſed tantillum, ob myriades innumeras parvularum quaſi veſicularum, quarum in ſe invicem commiſſurasque ſecedentium intumeſcentia leviſſima vix obſervabilis eſt, parvamque ad ſenſum procurat molem.

Uti enim Anglico experimento veſica inflata aëre mediante attollit pondus ingens, ſic quoque per analogiam innumeræ potentiæ, veſiculæque & harum vectes in locis infinitis applicatæ ac ſimul agentes vim exercent ſtupendam, ac trahere valent annexa oſſa, aliasque partes movere.

Borel-

Borellus vim illam, omnemque motum hominis atque animalium ad calculum ingeniosè revocavit, an verò calculus per omnia justus, certusque sit ii viderint, qui fundamentalia his in rebus axiomata, ac suppositiones de fibrarum ac vesicularum structura formatas prorsus adhuc incertas fundamentoque destitutas sciunt.

Cæterum experimenta arteriarum ligatarum docent per inductam subitò paralysin, ad motum in musculis & fibris motricibus exerendum non solum requiri influxum sufficientem spirituum animalium, sed & ipsius sanguinis laudabilis, ac vivacis.

Quando fibræ musculares omnes ritè spiritibus turgent rectè se habet tonus partium, qui tamen non dicendus motus tonicus, sed est æquabilis ac vegeta tensio fibrarum parte non mota, sed antagonisticis fibris in æquilibrio ac quietæ constitutis, ubi motus succedit, si alterutri novæ spirituum ex cerebro affluant amandenturque copiæ; defectus paralysin, excessus Spasmodicos efficit motus, de quo in pathologia sermo est, hinc enim isto partium tono læso morbi oriuntur innumeri, turbanturque excretiones omnes &c.

Consuetudo in motibus facilè obtinetur per frequentes iteratosque actus, facilèque imprimitur idea certi motus ac determinati, quamdiu & exactè, certoque tempore ac mensura recurrentem observare licet, mallem tamen radices talis facilitatis, dispositionis, ac consuetudinis in organo quærere quàm in spiritibus nimis mobilibus, vixque ita tenacibus pristinarum impressionum.

Fibræ verò musculares spiritus à nervis recipiunt tanquam propriis eorum canalibus, organoque proin motus ac sensus omnis, anima per hunc ab objectis recipiente ac patiente impressiones, in motu autem per eosdem nervos ac

ſpiritus agente atque operante; ſemper tamen indiget nervis, undulantibusque in his ſpiritibus.

Nervus proin defert copias ſpirituum, ipſe verò non movet, nec conſtringit, ſed fibris id officii relinquit, quarum eſt movere ac ſtringere.

Hinc commercium intermediaque inter cerebrum partesque via nervorum debet eſſe libera, alias anima licet volentè nihil evenire poteſt motuum.

Ipſa cerebri ſubſtantia albicans, medullaris, eſt concurſus ac centrum quaſi ſpirituum per nervos antrorſum retrorſumque motorum ac undulantium tum pro ſenſu, tum pro motu.

An anima ſolum moveat corpus? an ea tanquam ſpiritus agere in illud poſſit? ac quousque quibusque concurrat modis Phyſicæ potius conſiderationis eſt quàm Medicæ, ſupra tamen jam id punctum tetigimus, multis ſuperſedere litibus liceret, ſi ſine præjudiciis homines agerent de rebus iſtiusmodi; jam verò cum quivis præ concepta imbutus ſit opinione vix poſſibile eſt tam diverſa & heterodita capita reducere ad eandem ſententiam.

Motus verò alios eſſe voluntarios, alios involuntarios, alios mixtos per ſe notum eſt; cordis, inteſtinorum ac ventriculi motus id docent, quos muſculos vocant qui non habent antagoniſtas; quod an de corde quoque dici poſſit, dubites; æquè ac de eo, an præciſè iſtæ partes nervos accipiant à ſolo cerebello; reſpirationis autem negotium pro lubitu accelerandum vel retardandum, in voluntariè tamen contingens, multam hîc meretur conſiderationem quà varias circumſtantias.

Animi pathemata etiam ſunt motus facti ab anima variè pro varietate objectorum, ſed non pertinent ad hanc claſſem motuum qui fiunt per fibras, niſi in quantum vis earum media-

mediatè efficaciter redundat in corpus ejusque functiones ſtupenda vi & celeritate.

Nimis hinc illi ſunt liberales in doctrina de paſſionibus, qui nervis præcipuas partes in formandis animi affectibus tribuunt, illosque putant ſtringere vaſa ſanguifera majora, ſicque ſanguinis motus moderari, de quo dicendi plura locus hîc non eſt.

Anima autem ad motus volendos & excitandos & ab internis & ab externis moveri objectis ſolet, variosque percipit ſtimulos, ac monitores habet, quorum nec ratio nec modus ullus ſatis eſt perſpectus hactenus atque determinatus.

Hinc eſt quod in ſanitate corporis conſervanda tantum habeat momenti animi tranquillitas, placidum ſpirituum atque imperturbatum ſupponens motum, ſub quo nihil turbatur in functionibus corporis.

Utut temperamentorum ratione varient motus ac paſſiones, cordi tamen ſedem illarum unicè transſcribere non licet, cum cerebrum potiſſimas ibi partes agat, vel potius anima, interim inter cor & cerebrum arctiſſimum eſt commercium.

Spiritibus autem, utut ſint naturæ mobiliſſimæ, puriſſimæ, nimium tamen tribuendum non eſt, cum eorum actio potiſſimùm pendeat ab organo ſeu fibra in quâ undulant fluuntque, quaque perculſa variè afficiuntur; dubites igitur an dici de iis poſſit, eos, ſi heterogenei quid ipſis admiſceatur, illud ſtatim motu ſuo inteſtino & elaſtico ad extremas partes propellere, non ſecus ac flumen motu vorticoſo gaudens heterogenea immiſſa pellat ad ripam; obſtat enim diſpar ſpirituum in ſuis nervis concluſorum ratio, qui non niſi determinatè ac pro canalium ratione ac motoris arbitrio moveri queunt.

Per fibras itaque earumque irritationes evenit, ut quando

illæ ſtimulantur à quacunque re aut materia, non ſolum concitatus ad partem eam fiat ſpirituum affluxus ac determinatio nova, verum etiam ſenſus ac perceptio quædam certa ab objectis ipſis imprimatur.

Cum ſpiritus animales non ſolùm moveant corpus, ſed & ſenſum præſtent, ita tamen ut & illa perceptio motui ferenda ſit in acceptis.

Non ſolùm enim ad nutum animæ ſpiritus partis cujuscunque motum per motrices fibras promptiſſimè & ipſo quaſi volitionis inſtanti efficiunt; non ſolùm, quod mirabilius ipſa conſtantia ſua videri queat, in voluntarios cordis, ventriculi, inteſtinorum, imò reſpirationis motus anima ne attendente quidem aut reflectente ſine interruptione conſtanter perenni ſuo influxu appulſuque excitant; ſed & viciſſim retrogrado quaſi motu tempore eodem recipiunt impulſus externorum objectorum, & quasdam, ut loqui amabant olim, ſpecies, quæ feriendo organon percellunt fibrillas nervorum in eo expanſas, perque illas oſcillare faciunt ac contremiſcere ſpiritus, & ab his cerebrum, ipſamque quæ eminenter ibi ſe præſentem exſerit animam afficiunt modo ſpecialiter non determinando, ita tamen à Deo corpus & animam uniente ordinato.

In ſenſu enim patitur recipitque corpus ab objectis extraneis, ita ut animæ id innoteſcat, dum illa percipit ac dijudicat impreſſionem in organo factam, dum in fibrillis certæ ſubtiles percuſſiones, vel perculſiones fiunt, & ex harum varietate pro varia diſpoſitione organorum, mens variè percipit rerum ſenſibilium differentias.

Hinc plerique moderni objectis, quæ in homine ſenſus movent nihil attribuunt, niſi poteſtatem, quæ ex varia figura, motu, & partium diſpoſitione fluit, variè organa & his mediantibus mentem afficiendi; aſſeruntque calorem, odo-

odorem, ſaporem, omnesque qualitates non eſſe in objectis externis, ſed eſſe varias ſenſationes in mente excitatas.

Ac nemo quidem vocabit in dubium, ſenſationem hanc fieri in cerebro, in mente; modò attendatur ad id, quod hæ qualitates ſenſibiles non ſolum dicent impreſſionem in organon, cerebrum & animam, ſed etiam in objectis certam determinatamque partium diſpoſitionem, cujus reſpectu iſtæ qualitates in objectis fundatæ ſunt etiamſi à nullo percipiantur organo; agit enim calor in corpora adurendo, ſive ſentiant ſive non ſentiant, ob illam partium diſpoſitionem motumque à nullo pendentem organo, ab organo tamen vividè percipiendum ſi illi explicetur ejusque attingat propius remotiusve fibras.

Senſus ergò omnis inſtrumentum & organon generale, in quod agit objectum ſenſile quodcunque, eſt nervus ejusque quà ſurculos minimos vel ramificatio, vel expanſio in tenerrimas membranulas, vel intorſio in ſubtiles papillulas, huc appellit objectum omne, ſuumque exerit impetum, aliquando fortiorem, ſæpiſſimè tamen leniſſimum, blandiſſimumque ac ferè ſpiritualem, qui tamen à tam prompto ad oſcillationes ſpirituum elatere ad ſenſorium commune animamque mira promptitudine transmittitur ad ſentiendum dijudicandumque.

Et ſic nullibi ferè tangi corpus vel moveri poteſt quin eo ipſo moveantur ſpiritus ubique, in minimis nervorum ſurculis præſentes, motusque ille ad commune ſenſorium undulando vel oſcillando deferatur quàm celerrimè imò ad ſenſum inſtantaneè.

Nullo igitur in organo fit ſenſus ſeu perceptio objecti, neque enim ibi abſolvi actio hæc poteſt aut terminari; fit equidem in organo impreſſio objecti, illaque impreſſio pro ſenſuum ratione variat, ita ut in viſu, imò & auditu vix

impreſſionis aliquandò mereatur nomen ob teneritudinem, in tactu autem, guſtu &c. ferè appropinquet ad continui ſolutionem, imò eam inferat; quicquid verò horum ſit ſenſus ipſe & perceptio in organo non fit nec abſolvitur ſed in communi ſenſorio cerebrique penetralibus ac medullari centro, aut ſi mavis in anima.

Hoc ſenſu latiſſimo ſenſus ad tactum omnes referri poſſunt, quia in omnibus fit quædam ab objecto impreſſio qualiscunque, & conſequenter quidam contactus nervi percellendi, vel ab aëre, vel à radio lucis, vel à tenuiſſimo odoris miaſmate, cum in genere debeat tangi percellique nervulus quispiam, quia alia niſi per hos & ſpiritus iis incluſos ad animam ſentientem non eſt via.

Quæ tamen eò extendenda non ſunt, ut omnibus ideò ſenſuum organis papillulas nervorum ad analogiam tactûs liceat tribuere, vel tactum vocare ſenſum univerſaliſſimum (niſi in quantum toto ferè viget in corpore) reliquosque ſenſus ejus ſaltem quasdam ſpecies, cum ſimilitudo extendenda nimium non ſit.

Eò magis, quod nec ipſe forſan ſenſus tactus propriè ac ſtrictè dictus ſemper ſupponat papillam ſeu eminentiam illam cutis nerveam à Malpighio inquiſitam; utut enim illam non deceat excludere pro tactu exquiſito & dijudicatione ſubtili lævis, aſperi &c. ita in omni eam tactu requirere ipſa tactûs univerſalitas ac præſentia in toto corporis ferè ambitu haud videtur permittere, percipiente, dolenteque quacunque, præter oſſa, corporis particula compuncta, ita ut vel ſola dolorum ratio ſuadeat in genere tactûs organon quærere in fibrilla quacunque nervea ſpiritibus animalibus perfuſa ac imbuta.

Præ-

Præſtantiſſimus omnium ſenſuum dicitur communiter viſus, nec licet inficiari mirabilem ejus præſtantiam, quanquam ſi rem æquè ponderemus ſane nec reliqui ſenſus ipſi quidquam concedent ; eſt enim in quovis ſenſu quod imperſcrutabile nobis atque admiratione dignum meritò videatur.

Objectum viſus eſt lux, ſubtiliſſimum corpus, aëre innumeris vicibus ſubtilius tenui niſu, radioque quaqua verſum à lucido corpore ſparſum; lux autem per diaphanum diffuſa medium lumen dicitur, colorem autem varia ſua modificatione conſtituit.

Radius enim ejus (ſub hoc enim ſchemate concipienda lux) vel directè ad oculum tendit, vel reflexus ab opaco, vel refractus incurvatusque in medio diverſo.

Ad colores autem ex parte corporis requiritur ea diſpoſitio, quæ vel refringere ſub certo angulo ſicque transmittere ad oculum queat radios pro coloribus formandis quos vocant apparentes, vel talis diſpoſitio reflectentis ſuperficiei, quæ vel plures vel pauciores, debiliores, vegetioresve ad oculum remittat, repercutiatque radios

Nec contraria his exiſtimanda ſunt, quæ ex mente Chymicorum de Salium, ſulphurumque ad colores formandos efficacia dicuntur, horum enim concurſu ipſa illa ſuperficiei corporumque diſpoſitio mirè variat, cujus colorum per admixta ſuccis corporibusque aliis Salia contraria ac reagentia phænomena teſtimonium perhibent evidens.

Organon viſus eſſe oculum per ſe patet, ſpeciale verò organon oculi pars eſt ac tunica, non quidem quod Mariotto atque aſſeclis nuper viſum, choroides, ſed retina ; tunica ſingularis, molliſſima; mucus ferè dicenda.

Ordinariè ſupponitur tunicas eſſe à nervi optici involu-

volucris, ab extima tunica ſeu dura meninge corneam, à pia matre uveam, à medulla nervi expanſa retinam viſus organon.

Quæ ſuo quidem ſtare loco queant, modo non nimium prematur, urgeaturque ſimilitudo, cum vel ſola retina difformitatem ſuam à medulla nervi & candore, & conſiſtentia, & ſtructura abundè teſtari queat; ejus verò cum illa medulla continuitatem nemo facile in dubium vocare fuerit auſus.

Oculum ubivis advertes dici cameram obſcuram, pupillam foramen, cryſtallinum lentem, retinam papyrum recipientem imagines pingendas, nec iſta quidem malè, modò advertas, picturam ipſam, ſi quidem fiat, ad viſionem nihil conferre (anima enim non ſedet ad latus cryſtallini nec aſpicit chartam hanc depictam imaginibus) ſed ſubtilem illum rediorum in ejus fibrillis appulſum, qui ſpiritus commovet, ut ad animam deferant ſubtiliſſimas & incomprehenſibiles iſtas impreſſionum minutias, diſtinctiſſimos tamen & ſummi Creatoris ejusque ſapientiæ lucidiſſima ſpecula ac teſtimonia.

Pupillæ ad lucem conſtrictio, dilatatio in tenebris, humorum oculi mirabilis ſtructura, ac ſubminiſtratio per propria vaſa, cæteraque plura hîc merentur conſiderationem apud anatomicos quærenda, cum locus hîc non ſuppetat omnia luſtrandi penitius.

Auditus objectum ſonus fundatur in aëris percuſſione & motu tremulo, non excluſis tanquam medio pariter apto ſolidis corporibus, cum tot experimenta id clariſſimè evincant hîc non alleganda.

Sonus ergò ſeu commotus aër appellit ad tympanum illudque percellit, quo tremente tranſit tremor ad internum aërem, eumque pari imbuit tremore, qui terminatur in expan-

expanſione nervi auditorii mollis organon auditus Labyrinthum, & cochleam obtegente & inveſtiente.

Mollis enim nervi portio huc inſumitur, dura portione ad externas magis muſcularesque auris partes tendente ac abſumta; nec opus eſt hîc ſumma & ferè affectata quorundam modernorum ἀκριβεια, ac ſubtilitate in hoc nervo ad cerebrum iterum derivando ac nova ſpirituum circulatione ſtabilienda.

Mireris enim poſt Schelhamerum du Verney aliosque Valſalvam nova organo auditus augmenta procurare voluiſſe novamque illuſtrationem, qui tamen aliquid egit, Simoncellius autem, anatomicus Romanus nimium ferè factus eſt ſubtilis mirum hinc auditorii nervi circuitum reditumque ad cerebrum tot ambagibus deſcribens adſtruensque.

De tremulo hoc aëris motu, ejusque propagatione convenientes decet formare ideas; communiter dicitur Motum hunc aëris debere communicari oſſiculis illis famoſis tribus, vel quatuor, quæ ita ſint conſtructa, ut motum à tympano acceptum propagare, aërique in concha contento imprimere valeant, ut is tandem motus mediante illo aëre ad nervos penetret acuſticos in organo expanſos, ſonumque ſic producat

Sed nimiæ iſtæ videntur ambages, oſſicula ad hoc non adſunt, ut tremant, tremendaque motum illum propagent, ſed ut tendant tympanum, in cujus tenſione multum ſitum eſt in formando auditu.

Sine juſta enim ejus tenſione propagatio undulationis illius fieri non poſſet; Cæterum externa auris colligit aërem derivatque ad meatum anfractuoſum, qui obliquè & per flexus ad tympanum fertur, ut externa & heterogeneæ, æquè ac per cerumen ex ejus glandulis ſtillans, ab ingreſſu impediantur.

Non verò ut aër percuſſus meatum illum copioſius ingredi, & per tot ejus anfractus variè reflexus & quaſi in tuba auctus tympani membranam eò validius percellere poſſit ; curvitas enim meatus ad ſoni collectionem haud confert , uti nec ad ejus intenſionem , cum reflexio frequens non augeat ſonum ſed imminuat, tubaque ſonum augeat non per reflexiones ſonorum radiorum , ſed per eorum aliâs diſperſorum collectionem & unionem, ut vis unita fiat fortior.

Utut igitur tota auris & externa & interna ad organon auditus pertineat, ſpecialius tamen nomen organi acuſtici meretur oſſis petroſi mirabilis ſtructura nervum mollem ſuper expanſum gerens , ac conſtans præcipuè cochlea ac Labyrintho , eorumque concinna admodum intorſione ac flexura.

Olfactûs organon nares inſigne monſtrant ſtructuræ ac concamerationis artificium , in iis potiſſimum animalibus, quæ acutiore gaudent hoc ſenſu, uti Barthol : obſervavit in heliciformibus lamellarum cartilaginearum intorſionibus , quas depingit & canibus venaticis ſagacioribus hoc ſenſu pollentibus.

Iſtas verò nariùm lamellas ſuccingit ſpecialius organon olfactus, membrana nervulis creberrimis à primo potiſſimùm nervorum pari ac ramo paris quinti oriundis conſperſa intertextaque, utut illos in papillulas elevatos hîc nemo forſan viderit uti in lingua evenit.

Madet iſta membrana ut ſua nervulis flexilitas , ſenſilitasque conſtet , quibus alliſa ſub inſpiratione miaſmata fortius tanquam cuneoli admoventur, ita ut ſine inſpiratione functio illa fieri haud queat.

Aer ergò odorum vehiculum eſt , ſubtiliſſima eorum effluvia ex corporibus exhalantia deferens cum impetu quodam ad membranæ iſtius nervulos.

Indo-

Indolem odorum, atque effluviorum ſive mechanicorum ſive Chymicorum ex principiis declares, vix tamen probabiliter expones, niſi ſulphuri, cujus partes præcipuæ ſunt, Salinum aliqua ex parte principium jungas ſaltem in caſibus ac circumſtantiis multis.

Uti viciſſim in ſaporum indole declaranda ſal ſolum, utut principales teneat partes, phænomenis explicandis non ſufficit, niſi & ad ſulphureas, & terreas aqueasque ſubinde recurras particulas.

Quarum equidem in caſibus multis menſtruum quodammodò fit ſaliva, non tamen ſemper, cum & domeſticam multa habeant humiditatem ſuasque mox particulas offerant organo primo inſtanti ſine nova ſolutione partium ſuarum.

Organon guſtus lingua eſt, ac ſpecialius furculi nervorum ex quinto nonoque potiſſimum nervorum pari derivandi, ſive in papillulas illi, quæ ex fibrillis nervorum naſcantur abeuntibus in ſuperficie linguæ in rotundas papillulas, ita ut ubi plures ſint papillulæ magis quoque vigeat ſapor, ſive in ramulorum ſimplices expanſiones ac diſperſiones terminentur in linguæ ſuperficie.

Exacto enim guſtûs de ſaporibus judicio facilè iſtas ſervabunt papillas, modo guſtum univerſum iis non auſint alligare, cum is ad areolos linguæ iis pleniores non videatur reſtrictus.

Quando autem obſervant authores, olfactus organon multum ſimul facere ad guſtum, hinc naribus obſtructis vel olfactu læſo, veram eſſe non poſſe ſaporum dignotionem, notandum eſt, in coryza equidem lædi cum olfactu guſtum ob narium acrimoniam linguæ etiam nervulos ſtupefacientem; cæterum verò naribus obſtructis vel olfactu læſo, imò deſtructo, guſtum non amitti; & conſequenter magis indirectè, remotèque hæc intelligenda eſſe, quàm propriè, directè, ac tanquam perpetuæ obſervationis.

Nullus igitur in ſenſorio organo abſolvitur ſenſus aut perceptio, ſed organon agit in cerebrum motibus in ipſo impreſſis eò mox translatis oſcillatorio ſpirituum motu per ramulos nervorum in quibus concluduntur.

Juxta ſuperius dicta iis vix accedere poſſumus qui per ſolidas nervorum fibras uno momento contremiſcentes uſque ad ſuum principium quo in ſurculis extremis tanguntur motum illum transmitti exiſtimant, cum continui equidem ſint illi ſurculi origini ſuæ, ſed cum tenſionis gradum, eam chordarum tenſarum analogiam in mollitie ſua non habent, nec eum ſoliditatis gradum, qui ad iſtum requireretur propagandi ſenſationum undulationis modum; ut proin præſtet recurrere ad elaſticorum ſpirituum oſcillationem, à palpabili ac craſſiori fluido pariter non expectandam.

Sæpius jam indicavimus, cerebrum eſſe organon ſecretorium horum ſpirituum quà partem corticalem medullarem verò & albicantem excretorios quaſi ductus ſeu nervorum medullares canaliculos ſubminiſtrare.

In hujus igitur tenera ſubſtantia oblongatam formante medullam terminari ſenſuum impreſſiones vix cuiquam erit dubium, qui emanantes inde proteuntesque pulchro ordine nervos attentius luſtraverit; is ſanè nec de pineali præcisè glandula, nec de centro quod vocant ovali erit ſolicitus, ſed in iſta cerebri humani baſi ſenſorium commune ita collocabit, ut de ſedibus ſpecialibus litem nulli vel controverſiam moveat.

Determinare enim, ubi phantaſia, ubi memoriæ ac ſenſus communis ſedes ſit ſpecialiſſima conatus eſt vanitate non deſtitutus ac fruſtraneus, adeò ut nec D. Lapeyronie per inductionem læſionumque partium cerebri enumerationes ſatis rem potuerit extricare plenæque luci ſiſtere.

Utut enim negandum non ſit fieri aliquam in cerebro

pro

pro ſenſu communi, pro phantaſia, & memoria impreſſionem, quæ veſtigia hactenus impreſſa dicuntur, difficultate tamen illud negotium hactenus non caret, ſi ſtupendam nonnullorum memoriam, innumeram rerum varietatem, diſtinctos idearum conceptus probè penſites, multò magis difficile erit ſedes aſſignare velle cuivis ſpeciales, ſi generalis ſubtiliſſimæ rei ratio tam ſit intricata.

Ac quamvis cerebrum hominis vaſtiſſimum ſit reſpectu aliorum animalium, ſicque veſtigiis plus videatur relinquere ſpatii, tamen nec id minuit difficultatem, quin potius probabilius eſt, non excluſis impreſſionibus in delicata illa medulla, potiſſimam internorum ſenſuum ſedem in ipſa eſſe quærendam mente.

Hujus ſanè cum ſpiritibus commercium quà rem ipſam evidentiſſimum, quà modum obſcuriſſimum eſt; ſufficit divino atque immutabili decreto in ſe invicem agere res noſtro judicio adeò diſformes & ad mutuum commercium ineptas, ac quidem eſt ſpiritus ac corpus, mens & materia; adeò ut vel in hoc confundat ſuperbiam ſtultæ ac cœcæ noſtræ rationis optimus creator efficaciſſimè, oſtendendo ipſi cœcitatem ſuam in ſe ipſa & rebus ſibi maximè propinquis atque unitis per totam vitam ſine interruptione.

Interim Cerebri diſpoſitio, fibrillarum tenſio, conſiſtentia, flexilitas, humectatio gradibus differens, temperies humorum, ætas maximè inſignes hîc variationes inducunt; neque enim quævis organorum iſtorum diſpoſitio animæ apta eſt cum qua ſuum exerceat plena libertate commercium.

Aëri in ventriculis cerebri contento plurimum tribuunt in propellendis ſpirituum copiis per ſuos nervos; per nos id licet, modò non nimium ipſi tribuatur, loci enim ea diſpoſitio non eſt, ut ille aer ſuum ibi elaterem exerceat, nec ita concluſus ille eſt, ut aliud ferè circumſtantiæ loquantur.

Quantum Meningis duræ tribuendum fibris, tenſioni earum ac oſcillationi in hoc negotio, id quidem pleniorem meretur inquiſitionem, ſunt enim pleraque phænomena cerebrum concernentia, ob ſubſtantiæ ejus teneritudinem adhuc ſatis incerta, quicquid aliqui evidentiæ videre illic ſibi videantur.

Spiritus verò admodum pati ab aſſiduis cogitationibus vel ii docere poterunt, quorum agiles, tenerique ſunt ſpiritus, atque ultra modum cogitationibus exerciti, illi ſanè debilius circumferunt caput, ſtaſesque circulantis per ἐγκέφαλον ſanguinis, ejusque turgeſcentiam moleſtiſſimam patiuntur.

Anima ergò agit in cerebrum, cerebrum in animam transfundit ſenſum ſuorum motuum illique eum communicat, vel offert, de modo fruſtra ſumus ſoliciti, cum certi ſimus de re, ac præterea, ne quidem alias harum rerum circumſtantias ſciamus, ut proin æquo animo ignorare debeamus magis abſcondita, phyſicisque ſpeculativis relinquenda, ut vitam ſuam in iſtis terant, ſiquidem mereri ipſis videantur tantam attentionem, quam collocare rectius anima in Deo ſuo fruendo poſſet.

Diſputent igitur quo ſenſu verum ſit: Nihil eſſe in intellectu quod non prius fuerit in ſenſu, cum mentis ideas juxta corporis impreſſiones formari cenſeant; nobis perinde eſt; videntur tamen confundere intellectum & imaginationem, in hac nihil eſt quod in ſenſu non fuerit externo, in illo quin alia eſſe poſſint dubium eſt nullum, quanquam de eo nihil attinet hîc dicere, cum perceptiones intellectus, à ſpiritualibus maximè objectis affecti, à paucis intelligantur, vel curentur, omnibus ferè demerſis in ſterilibus phantaſiæ ideis.

De Phantaſia, memoria, ac ſenſu communi plura non dicemus; hæc enim omnia magis noſtro concipiendi modò diſtin-

distinguuntur quàm re ipsa, ut frustra de modò quo spiritus animales hæc efficiant dicamus, cum tot aliæ lateant circumstantiæ quæ prius nobis deberent esse cognitæ, quàm ad ista clarior pateat accessus.

Difficile enim est imò impossibile determinare quid cerebro competat quid spiritibus, quid animæ, hæc enim efficit illa omnia sed organis materialibus utitur, modo abscondito, cui non lubet immorari.

Interim stupenda res est memoria quorundam, sive naturæ beneficio debita sive culturæ, ipsaque ejus præstantia, rem hanc conceptu reddit adhuc longè difficiliorem; imò magis adhuc judicii firmitas sagacitasque profunda mirabili ordinataque idearum combinatione commendabilis.

Somni ac vigiliarum notissimum negotium multum tamen habet, si rationes phænomenorum requiras obscuri, unde nec eadem omnibus sententia est.

In *Vigiliis* sanè palàm est attentam esse animam ad ea quæ corpori eveniunt, fibras partium tensas, spiritus ad motum promptos, agilesque; at qui in somnum fiat transitus dictu haud ita facile est; concidere in se cerebrum sicque poros claudere, spiritibus quasi absumptis facilè dicitur, sed quo fundamento nititur illa concidentia, cum structura vix conveniens; si sulphur ligans accersas, unde illud venit; poros verò cerebri humiditate scatere eousque naturaliter non possunt, ut somnus sequatur; alia ratio est somni præternaturalis, qui tamen etiam naturalis genesin explicat; Certum est spiritus minus influere, non moveri ab objectis quæ probè aliás percipiunt; & quàm facilè aliqui optimè constituti prolabuntur quoties volunt in somnum, aliis quovis adhibito nisu tamen vigilantibus.

Cap. I.

Cap.I.

DE PATHOLOGIA, REBUSQUE PRÆTER NATURAM, AC IN SPECIE DE MORBIS.

PAthologia nititur fundamento Phyſiologico, cum is demum vitia Machinæ ac defectus quoscunque cognoſcere queat ſolidè ac penitius, qui ſtructuram ejus genuinam, partiumque ſtructuram ac combinationes exactè noverit; proin impoſſibile eſt morborum indolem veram ſeriemque nôſſe, niſi naturali corporis diſpoſitione, ſeu quæ ſecundum naturam eſt, probè cognita & quà circumſtantias omnes exactè perſpectâ.

Quæ igitur ſupra de vita atque integritate Machinæ humanæ, ſeu ſanitate dicta ſunt ad illuſtrandam morbi indolem machinæque læſionem plurimùm pariter conferent.

Hoc ſenſu dicunt ſcriptores, quod, quemadmodum vita & ſanitas conſiſtat in debito actionum vitalium exercitio, ſic morbus in exercitio illo depravato vel imminuto, mors autem in illo totaliter ceſſante conſiſtat.

Ac tum dicunt adeſſe morbum, quando actiones corporis vitales, quæ verſantur in motu, ſenſu, & nutritione Machinæ humanæ, læſæ ſunt, ac conſequenter præternaturalem corporis conſtitutionem.

Cum verò actiones iſtæ ex vita ac ſanitate fluentes immediatè quà integritatem illam ſuam dependeant à motu laudabili ac æquali partium fluidarum quà craſin & conſiſtentiam probè diſpoſitarum, tum ſpirituoſarum, tum humoroſarum, & à juſta conformatione ſolidarum partium, hinc & neceſſariò imminutio earum vel depravatio originem ſuam habet ab illa

illa humorum laudabili disposition ac motione læsa, ac desciscente à recta partium solidarum conformatione.

Mors consequenter ex totali destructione justæ illius humorum temperiei, consistentiæ, ac motus partiumque corpus constituentium solidarum conformatione, cohæsione, ac structura destructis, non poterit non evenire, juxta eorum analogiam quæ in Physiologicis supra circa hæc dicta sunt.

In pathologiæ fundamentis exponendis ordinariò prolixi sunt authores in accurata distinctione rerum præternaturalium, morbi, causæ morbificæ, ac Symptomatis & rectè quidem, cum & doctrinæ ratione, & in ipso medendi actu, haud parum interest an probè quis ista novit distinguere, justamque eorum sibi formare ideam.

Nec tamen negare licet aliquos, & plerosque ævi superioris scriptores nimios ferè in hoc ad superstitionem usque ac superfluitatem fuisse; quorum tamen exemplo non debebant alii recentiores absterreri ab hac doctrina, eamque rejicere tanquam inutilem, supervacaneam, inanemque subtilitatem, hac enim ratione in alterum de lapsi extremum peccant in defectu, uti priores in excessu, cum & hîc medium tenuisse sit prudentiorum, qui pernicioſas in discenda, faciendaque medicina ex rerum istarum confusione oriundas sequelas intimius perspexère, atque alienis sapere ex erroribus in tempore didicerunt.

Humanum itaque corpus, non quà naturale, sed quâ vivum at in functionibus suis non rectè se habens, quà morborum subjectum, hîc consideratur.

Utut enim cujuscunque temperamenti, sexûs, ætatis, ac vitæ generis homines morbis sint subjecti, tamen rerum istarum varietas insignem in morbis efficiendis, augendisque ac constituendis valorem ubique exerit, variantibus secundum earum differentias præternalium rerum speciebus ac gradibus.

De anima multum deprehendes disputari an & illa subjectum morborum sit, an verò corpus solùm patiatur morbum; frustra autem disputant, cum certum sit atque evidens vinculum arctissimum, quod intercedit inter animam atque corpus & utriusque actiones.

Ac proin læsis organis, cerebro, spiritibusque affectis præternaturam, anima non potest non inde affici, licet per se tanquam spiritus à causa morbifica non afficeretur, aliud tamen accidit intermediis organis.

Ut taceam frequentissimorum morborum causam esse animam, si passiones, affectusque, & eorum in corpora evertenda vim attendamus; imò omnium morborum origo ex labe animæ primæva neminem latet nisi stupidum.

Et quis ignorat quàm dejecta sit anima à morbis, à doloribus, quàm turbata, miserrimèque pro circumstantiarum morbosarum ratione affecta non rarò.

Et quid est quod sentiat morbum in homine, vel molestiam morbi, si anima non est? corpus certè sibi relictum nihil unquam sentiet percipietve molestiarum, nisi illæ per nervulos perculsos, spirituumque turbas transeant ad animam per cerebrum ac sensorium commune, inque illa ultimatò terminentur.

Ne quid dicam de anima sensitiva, cum disputent adhuc an ea peculiaris in homine anima sit, an facultas animæ rationalis; nec de Archeo fabro morborum, quia ista nomina rem non declarant, sed potius adhuc magis implicant & involvunt.

Sive enim sub archei nomine animales spiritus intelligant, sive aliud quoddam ens, certum tamen manet fluidum nervorum præcipuas hîc agere partes, tum agendo tum patiendo.

Sunt enim spiritus & humores frequentissimæ morborum causæ, sed & morborum subjectum alio sensu modoque; cum enim pravè sunt dispositi labem suam partibus inferunt, affricantque, & ab iis pariter patiuntur malè affectis.

Hinc

Hinc Mortoni hypotheſis cautè admittenda de vitiis humorum à ſpiritibus turbatis unicè derivandis, hæc enim promiſcuè contingunt ac per vices, ut nunc ſpiritibus turbatis, affectisque humores in conſortium rapiantur, contrahantque vitium, nunc verò pravè diſpoſiti humores ſpiritibus communicent demum vitia ſua & ataxias eosque inquinent; quod de ſolidis quoque certum eſt partibus, quæ & ſpiritibus & humoribus poſſunt vitium inferre, ſed & ab iis recipere pravas impreſſiones, cujus tota die exempla cernimus.

Omnes ergò partes ſuo modo ac proportione vel potius diſproportione ad cudendos morbos concurrunt, & diverſo reſpectu omnes itidem fiunt ſubjectum morborum atque ab illorum labe afficiuntur, eamque ſuſtinent.

Quo tamen non obſtante pars una præ altera & frequentius & gravius poteſt laborare, nidumque ac fomitem morbis præbere; hinc reſpectus ad partes principales & minus principales ſeu nobiles, internas & externas.

His enim reſpectibus una pars magis agit, altera magis patitur, dum una cum altera connexionem aut conſenſum habet arctiorem, vel gaudent vaſis communibus, aut communi functione, inque ſe invicem agunt magis minusve.

Exempla partes nobiles ſuggerunt, ſi v. g. cor non ſubminiſtret partibus laticem vitalem, vel ſi cerebrum non ea qua par eſt proportione diſpenſet ſpiritus animales.

Hinc iſta viſcera adeò abſolute neceſſaria, adeò nibilia ſunt, eorumque influxus perpetuæ neceſſitatis eſt, in qua conſiſtit illa ipſa viſceris talis præſtantia, ab utilitate menſuranda, hinc morbi harum partium ac læſiones ſunt periculoſiores.

Conſenſus verò partium hîc maximè attendendus, non ſolùm quandò ad certam partem à principio nervorum neceſſariæ ſpirituum copiæ non affluunt, aut quandò vellicata parte irritataque tranſit illa commotio ad ſenſorium commu-

ne , ſed potiſſimùm cum ab eodem nervo partes diverſæ ramulos ſuſcipiunt, indeque contingit, ut motus qui excitantur in una, transfundantur facilè in alteram.

Partes enim omnes conſiderandæ ſunt, æquè ac totum corpus morboſum , tanquam vita adhuc præditæ, tanquam ſentientes moleſtias, ac ſtimulos, ac ſub illorum impreſſione annitentes ad amolienda moleſta , reagentes ſuo modo , nec merè paſſivè ſe habentes, utut enim ſuſtineat corpus objectorum omnium impreſſiones, ita tamen eas patitur, ut & ſentiat moleſtiam, & conetur excutere ut loquuntur veteres, vi ipſius illius conſenſus de quo modo dictum eſt, quique efficit ut ſentiente uno nervulo moleſtiam facilè totum ſyſtema nervorum rapiatur in conſenſum niſumque explosivum ut ſic loquar.

Providit verò natura nobilioribus partibus ipſo ſitu interno ac abſcondito, ut læſionibus minus exponantur, unde ferè coincidunt , illæ diviſiones inter partes nobiles & ignobiles, internas & externas, non tamen omninò, cum etiam dentur internæ partes externis non magis nobiles, externæque ignobiles haud dicendæ.

Interea tamen ab externis ad internas tranſit ſæpè malum, à circumferentia ad centrum non ſine periculo, ſi cum repulſione & impetu invita fiat natura ; rectius ab internis ad exteriora non rarò atque à centro ad circumferentiam propellitur id quod noxium eſt , extimas partes minore periculo occupaturum ; quam internas nobiliores, in quibus non ſine ſummo periculo ſtaſes humorum vel aggeſtiones fiunt.

Solet etiam moveri quæſtio circa diverſitatem ſubjecti cauſæ , & ſubjecti ipſius morbi ; ſed ſubtilitate plerumque majori quam utilitate; aliquando enim nimia in his incertitudo eſt , aliquandò minus neceſſarium eſt ea ſolicitè diſtinguere; alio in caſu una & eadem pars eſt ſubjectum & morbi & cauſæ,

in

in alio distinctæ partes ab utroque occupantur, participantes tamen inter se, vel communicantes, aut per nervos communes, vel ob communia vasa.

Prout verò malum vel transitorium in parte, facilèque discutiendum, vel magis fixum est, ita & morbi inde pullulantes magis in parte subsistunt, vel diffunduntur ad alias quoque, ac sensim in consortium trahunt viciniam.

Plurimi ex modernis in ventriculo universalem morborum omnium sedem, vel si mavis causæ morbificæ subjectum quæsiverunt, ita ut non solùm Helmontius eò duum viratu suo respexerit (illi lienem, suoque modo jungens uterum non inepte) sed & hi prætendant ex fomite ac cruditate in ventriculo genita vel collecta omnes derivandos esse morbos, qui sua ibi agnoscant habeantque stamina.

Quod ut de plurimis est evidentissimum, cum vitia primæ illius coctionis rarò in sequentibus corrigantur, ita tamen adeò universaliter enunciandum non est, nec universale censendum, cum etiam non rarò in praxi noxia suggerat, quà emeticorum aliorumque minus tutorum remediorum usum vel abusum potius præjudicia, quorum non rarò exempla licet iis observare, qui liberi à studio partium incorruptè de rebus judicant.

Diximus verò jam supra morbum esse læsionem quæ observatur in constitutione corporis, vi cujus ejus actiones non ut decet fieri ac succedere possunt, læditur ergò corpus, non se habet ut in statu naturali, patitur, ægrotat.

Cum igitur ægrotat homo, læsio est in ejus actionibus, quæ non ritè fiunt, sed concurrunt hîc plura in hac præternaturali ac turbata corporis dispositione quæ ab invicem probè sunt distinguenda, causa scilicet morbi, morbus ipse, & quæ eum insequuntur velut umbra corpus Symptomata seu accidentia.

Cum integritas fluidorum in mixtione, craſi, conſiſtentia, & temperie hinc enata, ac ſolidorum in juſta diſpoſitione ac combinatione partium ad ſanitatem conſtituendam requirantur facilè patet origo diſtinctionis morborum in morbos intemperiei, læſæ conformationis, & ſolutæ unitatis, ad quas claſſes morbi omnes non ineptè ſolent referri ac reduci.

Quid ſit intemperies ex ipſa temperiei laudabilis indole manifeſtum evadit, cum ſcilicet excedunt qualitates anteà inter ſe temperatæ, ac prædominantur illæ quæ antea erant ſubjugatæ partibus mixtionis ſuæ leges ordinemque deſerentibus.

Intemperiei igitur morbi magis ad fluida pertinent, atque à fluidis transferuntur in ſolidas partes quas iſta perfluunt, imbuuntque proin qualitatibus ſuis, nunc excedentibus, & intemperatis, cum ſanguis fit e. g. calidior, orgaſticus, viſcidus, lentus, ſpiſſior, aquoſior, acrior &c. cum in ſtagnatione plena in pus degenerat, variasque alias ſubit præternaturam mutationes.

Uti verò ſupra jam monitum eſt pars ſolida à fluidis ſuam recipit temperiem eam perfluentibus, ſed ita tamen ut viciſſim contracta ab humoribus in parte ſtagnantibus labes demùm tranſeat in totam humorum maſſam; cum verò ſolida pars intemperie laborat ſemper jungitur vitium conformationis potiſſimum tum attendendum in obſtructione tubulorum ac circulatione impedita, hæcque fit cauſa illius intemperiei, uti certo reſpectu etiam effectus eſſe poteſt.

De Intemperie cum materia & ſine materia non amplius multus in libris Medicorum ſermo eſt, cum moderni breviter rem abſolvant, ſimpliciter dicendo intemperiem ſine materia eſſe figmentum; notandum tamen veteres tam ſtupidos non fuiſſe ut illam intemperiem ſine omni materiali concurſu natum exiſtimaverint, ſed reſpectivè hoc intellexiſſe,

cum

cum apertè in intemperie cum materia id obſervetur, quo in ſenſu etiam mitius explicari & ſi lubeat ab àbſurditate vindicari poterit illa intemperies ſine materia, quanquam nihil attinet ſine neceſſitate entia multiplicare, & diſtinctiones augere, unde ſæpius in Medicina confuſio quàm illuſtratio naſcitur.

Idem monebimus circa antipraxiam viſcerum, quam Moderni amant vocare antiquum Medicorum commentum, eo potiſſimùm nomine, quod intemperies in partes ſolidas non cadat, niſi quatenus dependet à partibus fluidis; notandum enim etiam hæc mitius poſſe explicari, cum non eadem neceſſariò omnium partium in ſtatu præternaturali temperies ſit, ob ſpeciales ac pravas ſæpe partium obſtructiones aç morboſas diatheſes, particularem facilè parti intemperiem inducentes; uti & in naturali ſtatu non eadem quantitate ſanguinis perfunduntur viſcera omnia, ſed eo imbuuntur juxta proportionem ſuorum vaſorum eorumque ramificationum, uti v. g. ventriculus ſatis in ſe calidus, eam tamen calentis ſanguinis copiam, & conſequenter eum caloris gradum in ſe ſuisque vaſculis non continet, qualis in hepate obſervatur atque abundat, cum tamen viſcus utrumque nihilominus proportionato ſuo juſtoque gaudeat calore, quô in alterutro manente ſalvo, alterius temperies quin particulariter vitium contrahere poſſit vix dubitandum erit.

Quando dicitur, partes fluidas ex variis ratione molis, figuræ & ſitus particulis conſtare, & ſi volatiles, fluidæ, ac ſpirituoſæ cum fixis, terreis, mucilaginoſis ritè invicem ſint mixtæ, & in æquilibrio poſitæ adeſſe temperiem, & vice verſa, ſi mixtio hæc ſit inæqualis, emergere intemperiem; notandum, hæc intelligenda cum quadam latitudine, ac tale innui æquilibrium, quod in proportionata heterogenearum partium miſcela conſiſtit non inæquali quà ſingularum particularum quantitatem, quæ temperies potius foret intemperies.

In-

Intemperiem ad duo præcipuè genera Moderni referunt, ita ut vel particulæ mobiles, volatiles, ſalinæ, ſulphureæ in ſanguine & humoribus prædominentur; tumque intemperiem iſtam vocari calidam, ſalinam, acrem, vel forticulæ mucilaginoſæ, acidæ, fixæ prædominentur, & tunc intemperiem reſultare frigidam, acidam & melancholicam.

Obſervandam tamen duos iſtos ſtatus negotium illud non exhaurire, nec ſatis eſſe diſtinctos, ob gradus & combinationes innumeras, quæ adhuc alias pravæ diſpoſitionis parturiunt ſpecies his adjungendas.

Quo ipſi ſcriptores moderni intendiſſe videntut digitum, quando negant ſanguinem & humores peccare primis qualitatibus, ſed dicunt tum peccare calore, ubi tenuia, ſpirituoſa-ſalina corpuſcula præ aqueis & ramoſis habeant prædominium; delinquere autem frigiditate, ubi terreſtres, aquoſæ, fixæ, vi ſcidæ particulæ partes volatiliores ac mobiliores ſub jugo detineant; ſiccitate verò tum humores peccare dicendum eſſe; cum refecti ſint ſalinis, rigidis, fixis particulis, deficiente humido ſufficiente ac diluente.

Humiditate autem peccare, cum abundant particulæ aqueæ, lubricæ, tenues, vappeſcentes, minusque ſpirituoſæ, atque activæ.

Morbi conformationis dicuntur conſiſtere tum in quantitate vitioſa ſecundum numerum ac magnitudinem, tum in qualitate vitioſa ſecundum figuram in longitudine, latitudine vel ſuperficie.

Cum verò ad morbos ſolutæ unitatis non ſolùm referant vulnera & ulcera, ſed etiam contuſiones, fracturas, luxationes, mireris cur tres iſtas formârint morborum claſſes, cum conformationis & ſolutæ unitatis morbi poſſint omninò ſub eadem comprehendi claſſe, nec ſolvi unitas poſſit, aut partium vel continuitas, vel contiguitas, aut qualiscunque combinatio

con-

conjunctiove poſſit tolli, quia ſimul lædatur conformatio partium ; ſic enim commodius morbi duplicis generis partium fluidarum ac ſolidarum, ad duas claſſes, illarum ad intemperiem, harum ad vitium conformationis reducerentur absque ambagibus, non ſine litium præciſione variarum.

Sic enim non haberent in quo ſibi crucem figerent ii; qui dicunt, malè referri ad morbos ſolutæ unitatis dolores, cum potius debeantur nervorum & membranarum contractioni ſpaſmodicæ ; primò enim hæc ſe invicem non tollunt, nec contraria ſunt ſed ſubordinanda, quia præcedit niſus continui ſolutorius, ſequitur demum nervulorum criſpatura ut ſic loquar & irritatio, perficienda ac percipienda demum in cerebro ; ſecundò dolores non ſunt morbus ſolutæ unitatis, ſed Symptoma ſenſationis læſæ fundatum tanquam accidens in niſu unitatis ſolutorio tanquam cauſa.

Quod eo notandum exactius, quod per conformationis vitium & unitatis ſolutionem non intelligenda ſolùm ſint vitia incurrentia in oculos, ac palpabiliter, lædentia partes, ſed vitia quoque ſubtiliora, intimiora, in ſuperficie non hærentia, ſed in intimis viſcerum, partiumque receſſibus, in ipſis oſculorum ac vaſculorum, glandularumque minutiis obſervanda, ſi non oculis corporis, mentis tamen oculo manifeſta.

Huc pertinet obſtructio, de qua tam frequens in ſcriptis Medicorum occurrit mentio ; utut enim eam ex Modernis ii potiſſimùm velint explodere, qui Mechanicis Mathematicisque omnia ſuperſtruere amant principiis, eam ipſi conoidali vaſorum ſtructuræ, figuræ oſculorum rotundæ cæterisque circumſtantiis arbitrantes contrariam & cum iis incompatibilem, ea tamen firmo nihilominus talo ſubſiſtit, ac proh dolor nimis crebrò præſentiam ſuam Medicis à partium ſtudio alienis etiam invitis obtrudit atque offert.

Scilicet huc laxum & ſtrictum toties in ſcriptis Medicorum allegatum referendum eſt, humorum motus variè modificans, in glandularum vel patularum apertione prompta, vel ſtrictiorum occluſione obſtinata, in tono ac tenſione fibrarum intenſiore, quin & ſtricturis ſubinde ſpaſmodicis, atque ex adverſo in laxitate fibrarum, tonoque remiſſiore, ac concidentia oſculorum tubulorumque ad humorum varias ſtaſes efficiendas.

Poſſibilitatem ergò obſtructionum fruſtra quis negaverit in iſtis infinitis vaſculorum tenerrimorum mæandris ac ambagibus in extricabilibus, inque iſta qua gaudet ſanguis glutinoſitate, ac gelatinoſitate domeſtica, facilè ad majorem incraſſationem, corpuſculorumque cohæſionem tendente, inque iſta ejusdem ad orgaſmos promptitudine, quâ ſibi ipſi viam facillimè præcludere ſtaſibusque præbere anſam valet.

Hinc obſtructiones dicuntur morbum vel præcedere vel ſequi, cum unus produci ab alio poſſit ac frequenter ſoleat morbus, ſintque crebrò ex infelici trunco numeroſi rami, enaſcentesque ſurculi morboſi.

Utut verò obſtructiones vaſorum inæqualem efficiant motum ac circulationem humorum, non tamen id ita intelligendum, ut ſolent nonnulli, quaſi, dum in parte obſtructa motus eſt imminutus, eo ipſo in tubulis apertis magis creſcat & incrementum ſumat, hæc enim neceſſariò non cohærent, cum motus circularis imminutio in uno loco non præciſè reſtituatur in alio, ſed maneat inæqualis ad proportionem vaſculorum obſtructorum.

Licet ergò obſtructiones dici poſſint tollere æquilibrium motus, id nolim tamen ita intelligere, ut quando vaſa ſanguiveha & minutiſſima obſtructa ſint motus ſanguinis tam inteſtinus quàm progreſſivus in reliquis vaſis augeatur, indeque deducantur, inflammationes, ebullitiones, febres, calor

lor præternaturalis, ruptiones, diſtenſiones venarum, hæmorthogiæ & catarrhi.

Utut enim motus inteſtinus in ſanguine ſtagnante augeatur, isque incaleſcat ſub inflammatione, id tamen non eſt ex vi talis æquilibrii ſuppoſiti, ſed ex ipſa inteſtina heterogeneitate ſanguinis, ejus partibus ſe evolventibus; poſſuntque fieri ſtaſes, & rumpi vaſcula, etiamſi circulatorius motus in aliis vaſis non augeatur, ipſa enim aggeſtione & tardiore promotione tenduntur, tandemque rumpuntur vaſcula.

Ex eodem fundamento non auſim facere cum iis ex modernis, qui ſtatuunt, neceſſe eſſe, ut, quando in ſyſtemate nervoſo tubuli quidam ſint obſtructi, per tubulos reliquos apertos intenſius moveantur ſpiritus animales, quo motu expandantur partes, & cum dolore contrahantur, ſicque fieri ſpaſmum.

Spaſmus enim vix hanc admittit ætiologiam, quippe non ortus ab obſtructione aliorum nervulorum, ſed ab irritatione quacunque facta in illis ipſis nervis qui contrahuntur, ſtringunturque ſpaſmodicè.

Rectè tamen iidem dicunt plurimos morbos oriri à ſpirituum animalium & ſanguinis per minutiſſima vaſcula inæquali & impedito motu, ſenſu ſcilicet ſupra dicto, non hoc ultimo in præcedenti theſi non immeritò rejecto.

Quin & id largiendum ultrò, obſtructiones non ſolum fieri à particulis lentis, viſcidis, & motu humorum tardo, ſed etiam á motu nimis aucto, & impetuoſiori; ac frequenter quoque acria, ſalina, ſubtilia corpuſcula, fibrillas irritantia ac pungentia cauſam fieri affluxus majoris & ſtagnationis humorum, ſi maximè ad ſpaſmodicas uſque fibrarum ſtricturas increverit irritatio, quo ipſo mirum quantum aggeſtio ſtagnatioque humorum augetur.

Ac dum ſub ſtagnatione, ſi non plenaria ac totali, ali-

quali tamen, ac motu tardius progrediente humores ex mora corrumpantur, & induant diſcraſiam peregrinam, eo ipſo evadunt in fermentum, quod integram maſſam ſanguineam in ſua mixtura admodum turbare aptum eſt, cum humor qualitate peregrina ac eminentiori gaudens, reliquos facilè trahat in conſortium atque indolem eandem.

Dum vitium conformationis in parte eſt, ejusque pori ac meatus ſunt diſtorti ac vitiati, humores non ſtagnant ſolùm, ſed & vitium contrahunt, evolventibus ſe ſubjugatis antea moleculis, quod ulcerum, tumorumque variorum, cumprimis qui mali ſunt moris exemplo patet; quo ipſo collectæ illæ deſciſcentesque particulæ diſtendunt latera cavitatum quibus continentur, formandisque ac elevandis tumoribus, excreſcentiis, hydatidibus &c. anſam præbent.

Cap. II.

DE CAUSIS MORBORUM.

CAuſarum morbos producentium ampliſſima doctrina eſt, paucis quoque declaranda cautelis; ſunt enim illæ admodùm variæ, tum accedentes aliunde, tum collectæ genitæque in ipſis machinæ humanæ penetralibus; ſtimulant variè, movent, irritant, agentes quantitate, qualitate, impetu, & quibus non impreſſionum modis.

Unde ſtrictè loquendo actio in diſtans hîc concipi non debet, requiritur enim contactus quidam licet ſubtiliſſimus ac mediatus, quacunque ille ratione contingat, ita ut ad ſenſuum teſtimonia ac perceptiones reſpiciendo actio in diſtans dicenda videntur, utut in ſe talis non ſit.

Nam in omnibus iſtis caſibus ubi cauſa in diſtans videtur agere, obſervari queunt, vel effluvia, halitusque inſenſibiles,

biles, in corpus agentes insensibiliter, vel communes vasorum rami, aut nervorum communicantes plexus, aut affines aliæ causæ.

Agit verò causa morbifica in corpus ejusque partes, sed ut supra jam monitum est in corpus vivum, reagens suo modo ac resistens activè vi organicarum suarum functionum, per spiritus, humores & solidas partes, quatenus istæ sunt sub regimine generali animæ, unde veteres expultricem facultatem laudant.

Adeò miserè comparatum est cum homine, ut si quæras, quænam res fiant morborum causæ, omnia in ipsius perniciem conspirare post lapsum, etiam illæ quæ ipsius sanitatem maximè conservant, abusu & applicatione incongrua morborum evadere causas & occasiones.

Et quemadmodùm ab invidia Satanæ malitiaque peccatum homini illatum est, ita & præter causas ad naturæ ordinem referendas, ab hoc pernicioso invidoque hoste plurimos pendere ac produci morbos sacræ potissimùm literæ, & ipsa quoque loquitur testaturque experientia.

Quicquid impudenter garriat Bekerus, videatque hanc Satanæ vim, ea tamen tot exemplis tristibus obsessorum, fascinatorumque, ac Morbis Magicis detentorum confirmantur, ut ratiunculæ ejus atque assectarum commiserationem potius quàm assensum mereantur.

Sive immediatè in corpora talium infelicium agat Satanas, sive per instrumenta ac sagas, modus agendi est occultissimus (uti ipsa, quo spiritus agant in corpora, ratio specialis) fit verò id vel per actionem in ipsas partes, movendo eas torquendoque ut in obsessis, vel per venena etiam naturalia, licet occulta; & quàm stupenda ac diuturna est malorum spirituum experientia, quanta perspicacia eorum cum dominari in aëre dicantur in sacris? quàm scitè igitur scient applicare

activa passivis, eaque efficere quæ hominibus non possunt stuporem incutere, eosque rapere in admirationem tanquam prodigiosa, naturæque viribus minus convenientia aut tribuenda.

Freno tamen à Creatore optimo compescitur hostis truculentus, ut ultra divinam permissionem agere nec valeat nec audeat, ubi tamen occulta sunt domini judicia.

Id animum, si sapiat homo, studio omni aget, ut huic placeat domino, vivaque coràm ipso fide ambulet, sicque divina ejus gaudere protectione possit contra agmina ista hostium formidanda iis, quorum in corde Christus non habitat. Paucis divina providentia, voluntasque Dei sanctissima in morbis omnibus eorumque ortu potissimùm respicienda, cum alia Christiano fortuna non sit attendenda, qui casui fatoque nulli subest, sed derectioni divinæ.

Ex hoc quidem fundamento non malè Hippocrates τὸ θεῖον in morbis allegavit, illudque toties adhuc hodiè allegant Medici (quanquam non pauci illud ignorantiæ & inadvertentiæ asylum quoque faciant non rarò) reverà enim ea sæpè Medicis occurrunt, quæ θεῖα occultaque sunt, nixa occultis providentiæ viis in diverso morborum eorundem decursu, circumstantiis miris, modò terminandi, eventu &c.

Cujus quotidiè praxis attendentibus offert exempla, si attentius, ut par est, omnia & æqua lance ponderentur.

Præter istas Medici præcipuè considerant causas morborum derivandas à rebus naturalibus, non naturalibus, & præternaturalibus; cum etiam res nobis naturalissimæ occasionem ac dispositionem ad morbos possint subministrare.

Ecquid enim magis ad temperiem laudabilem & naturalem sanguinis ac fluidi nervei constitutionem ipsamque proin sanitatem facit, quàm nativitas, parentes, solum natale, ætas,

ætas, ſexus, vitæ ratio &c. & quid magis tamen ex adverſo contribuit ad ſanguinis intemperiem, & morborum generationem quàm iſta omnia ſuis modis, abuſibus, ac variis circumſtantiis.

Quanti morbi à diſpoſitione hæreditaria inſenſibiliter quaſi pullulant, ut non malè alicubi dicatur : Quemadmodum intervallum rectarum inter ſe mutuò inclinantium linearum, quod vix ſenſibile eſt in appropinquationis puncto, vaſtiſſimum complectitur ſpatium ſi ulterius hæ lineæ producantur : Ita exigui à ſtatu naturali receſſus in utero, incrementum inſigne accipiunt infans dum adoleſcit.

Pandit ſe ſcilicet hîc campus latiſſimus cauſarum progumenarum & procatarcticarum ; quarum illæ dicunt diſpoſitionem corporis certam ac ſpecialem, vi cujus illud ad certas dyſcraſias, morbidasque habitudines aptius eſt ac quaſi inclinat per individualem quandam inclinationem & aptitudinem ad hunc potiùs quàm illum morbum.

Quæ verò antecedens cauſa inſtar ſeminis diu latere poteſt occulta, donec incrementa inſenſibiliter capiens, vel vigorem acquirens, vel excitata aliunde ſe prodat effectibus ſuis, atque à procatarctica cauſa moveatur, ſuſciteturque, unde & res eadem utramque ſiſtit cauſam diverſo reſpectu.

Idque modis, temporibus, circumſtantiisque variis, prout robur naturæ, tonus partium, vigor ſpirituum, eorumve debilitas, elater, activitasve &c. variant, ac humorum diatheſis, partium idioſyncraſia, ac ſtructura ſingularis, teneritudo major, vel ſenſilitas promptior, ipſaque conſuetudinis, modique vivendi ratio ſpecialior.

Poteſt verò illa antecedens cauſa ac diatheſis præexiſtens ante morbum in corpore vel radicata eſſe in ipſis vitæ ſtaminibus ac nativa impreſſione, vel poteſt demum à matre, à nutrice, conſuetudine, rebusque naturalibus, non natura-

li-

ralibus, & præternaturalibus & vario earum concursu ortum trahere, sicque res eædem, ut modo monitum, nunc antecedentis seu præegumenæ, nunc procatarcticæ causæ diverso respectu ac tempore habere rationem.

Uti verò antecedens illa dispositio causalis ab astris, vitio hæreditario, educatione, ætate, vitæ genere, patria, victus ratione, similibusque debetur causis, ita res eædem alio respectu pleræque procatarcticarum, ut modò dictum subeunt rationem.

Præprimis verò res non-naturales dictè probè hîc sunt attendendæ; cum earundem ineptus perversusque usus, culpæ & errores in illis admissi sanitati cumprimis nocere soleant frequentissimè ac gravissimè.

Quantum aeri subsit atque exponatur corpus nostrum in propatulo est, per quem ipsa quoque astra vim suam in illud exserunt; ut enim nihil hîc demus famosæ controversiæ de influxu astrorum, & de astrologiæ veritate vel vanitate, id saltem monemus breviter, nimios esse plerosque modernos in rebus illis omninò explodendis, licet forsan ne centesima quidem istarum prædictionum influxuumque pars fundamentum aliquod in re ac veritate habeat.

Ad minimùm de Solis efficacia nemo facilè dubitaverit, qui lucem ejus caloremque senserit; De luna res tam manifesta non est ac sensibus obvia, experientia tamen infallibili dudum confirmata; adeò ut pro utroque hoc luminari satis loquantur Æquinoctia, Solstitia, Novilunia, pleniluniaque & quadraturæ ipsæ non rarò; dubitantibus aliis an ad eclipses res sit extendenda, cum ad minimum ingens ibi maneat incertitudo, ob coincidentiam illarum cum noviluniis & pleniluniis in quorum tempora incurrunt.

Medici verò curationem morborum intendentis parum interest sive morborum Epidemiorum causam ab astris, occultoque

toque inde ad terram radiante veneno , ſive à cauſa propinquiore tempeſtatumque ac athmoſphæræ viciſſitudine ac ataxia varia libeat derivare , eadem enim utrinque manebit methodus curandi , dirigenda quippe contra ipſam pravam corporis diſpoſitionem.

Anni tempora variorum morborum fiunt cauſæ , unde dicitur verè illos morbos eſſe frequentiores qui ex multis fiant humoribus, autumno illos qui fiant ex corruptis ; utut iſtiusmodi axiomata non exactè veritati conſonent ; in genere tamen certum manet variare pro temporum anni ratione non ratò morbos , eorumque & tempeſtatum mutationes , mutationes quoque inferre in morbis , uti notum eſt frigore epidemios ſiſti morbos, calore æſtivo fover ac augeri.

Hinc à ventorum quoque mutatione corpus humanum varias percipit mutationes atque alterationes, quia aeris, adeò nobis neceſſarii conſtitutio multum dependet à ventorum agitatione , ſive illi rigidas , glaciales, acutasque particulas acie ſua nocentes inferant aëri , uti Boreas; ſive mollibus , lenibus, humidis, quin & calidis ſubinde ſcateant partibus , uti auſter & zephyrus, ſicque frigoris , caloris , humiditatisque exiſtant authores.

Aer frigidus (qui tamen non ideò ſtatim particulis craſſis , acidis, ſalſis repletus ſupponi debet vel poteſt ut faciunt nonnulli) circulationem & excretionem humorum retardat, tranſpirationem inſenſibilem impedit , reprimit , humores incraſſat , ſtaſes & inflammationes excitat , fibras nerveas graviter affligit ; ac ſi nimium intenſo frigeat gradu adurit partes, gangrænamque ac ſphacelum tandem inducit.

Calidior autem juſto aer orgaſmum, atque abullitionem humorum excitat & auget, effuſiones , partim & ſtagnationes humorum efficit , humiditatem ſanguinis ſeroſam abſumit, ſiccitatem corpori inducit, dolores ſæpè, atque ſic dictas putredines infert.

Quandò humanum corpus dicitur paſſim nunc thermometrum, nunc barometrum, nunc hygrometrum, id non ita intelligendum ſtrictè, certum tamen eſt aërem craſſiorem ac tenuiorem, magis minusve gravem, calidiorem & frigidiorem, humidiorem & ſicciorem admodum afficere humani corporis fluidas ſolidasque partes, quo penitior ſcilicet aeris ad intima corporis admiſſio eſt; quæ tamen impreſſiones variant pro ſubjectorum quoque varietate ac differentia.

Non enim illa ſolùm graviter ab iſtis variationibus aëreis afficiuntur, qui in parte aliquando læſa ſub quavis mutatione moleſtiam, dolores, vel tenſiones aliumve patiuntur per intervalla ſenſum; ſed omnia corpora debiliora, quorumque nervoſum ſyſtema tenſum magis, tenerius, aut ſenſibilius eſt à quibusvis, quæ in aere ſibi ſuccedunt mutationibus haud leviter afficiuntur, tempeſtatesque aliquando prænunciare poſſunt, uti priores, qui perpetuum dicuntur circumferre calendarium.

Imò vel robuſtiores eorumque durata magis aſſuetaque variationibus externis corpora à ſenſu moleſto immania haud manent, ſi inſigniores illæ ſint ac ſubitaneæ magis mutationes, utut tantas illis inferre non valeant moleſtias, quales excitant in corporibus teneris, ac delicatis, tot eo ipſo variationibus ac moleſtiis perpetuis obnoxiis.

Cum moderamine verò quodam aſſumendum eſt illorum effatum, qui ab aëris conſtitutione non modò ſpirituum animalium tenuitatem, mobilitatem, itemque fixitatem, ac craſſitiem, torporemque, omnesque penè animi actiones ac motus dependere exiſtimant, indeque derivant variantes juxta regionum varietatem populorum genios.

Utut enim magna aëris vis ſit, tantum tamen illi tamque vaſtam in animos quoque imperium haud promiſcuè

lice-

licebit adſcribere , cum tot alia ad iſtam hominum varietatem pro regionum varietate obſervandam concurrant , ut ſolus ille eò evehendus allegandusque non videatur , de quibus tamen concurrentibus cauſis alia occaſione diximus ſupra.

Quantum tamen reverà & in ſe aëri debeat humani corporis conſtitutio vel ex eo evidens eſt , quod mutato aëre , ſeu regione magni ſæpe morbi obſervati ſint evanuiſſe ; quanquam in iſto caſu varia concurrant præter aërem ejusque alia corpuſcula & miaſmata, ſcilicet victus, vitæ ratio alia & forſan quietior , motus in itinere corpori proficuus , libertasque animi ac ſerenitas major &c.

Ita verò eſt , aer potiſſimum in pathologia conſiderari debet tanquam athmoſphæra , tanquam receptaculorum effluviorum omnis generis è terra marique exhalantium , atque ex ipſis innumeris animalium mirè variantium (quorum quodvis ſua gaudet athmoſphæra atque tranſpiratione) corporibus.

Iſta effluvia omnia replent aërem mira varietate ac miſcela undiquaque ; Hinc & morbi contagioſi propagantur per aerem , inque illius maſſam diffundunt ſuos halitus venenatos; aliis dehinc corporibus facilè inferendos, dum ſe ſuccis corpus ſubeuntibus non poſſunt non admiſcere atque ſub iis latete.

Aer enim non ſolum qualitatibus primis , humiditate, ſiccitate , calore & frigore lædere poteſt corporis humani ſtructuram partesque quascunque, ſed & pro heterogeneorum iſtorum miaſmatum ipſi innatantium varietate inſignem acquirit efficaciam immutandi craſin ac temperiem humorum.

Unde cuivis ferè regioni , locisque particularibus paſſim familiares ſunt certi morbi , propter variam aëris conſtitutionem , ubi tamen ſimul altero oculo reſpicien-

dum ad alias loci circumſtantias concurrentesque morborum eorundem cauſas.

Secundum regionum ergò varietatem participat aer de ſingulis terræ, locique effluviis, unde in locis maritimis, ſcorbuta teſte, ſale acri non deſtituitur, nec facilè negaveris alicubi nitroſas ei moleculas innatare, utut univerſale nitrum, ſpiritumve nitro-aëreum ipſius maſſæ univerſæ terræ noſtræ circumfuſæ tribuere non audeas, paucis nunc purior nunc impurior tenuior, craſſiorve eſt aer pro halituum varietate.

Hinc & Endemii & Epidemii derivantur potiſſimùm morbi, eorumque propagatio; hinc loca quædam præ aliis audiunt inſalubria; hinc pericula in fodinis metallicis, & lithanthracum; metallurgorum, chymicorumque, & Mercurium variè tractantium morbi ac tremores.

Duplici ergò ex capite metuendæ ſunt ac ſanitati vitæque minantur cellæ in quibus fermentatio agitat muſtum copioſius, putei quidam diu collapſi ac renovati, ſpeluncæ variæ naturales ac artificiales, locaque calce recenter dealbata.

His enim in caſibus partim noxia ac minus proportionata miaſmata ſanguinem inficientia corpori evadunt gravia ac perniciosa, partim ipſa aëris ſpiſſitudo, craſſities, auctus ultra modum Elater vitæ ſtruunt inſidias.

Quemadmodum animalia quæ in pneumaticæ antliæ exhauſto recipiente vitam protrahere non valent, pari ratione occumbunt ſi degere cogantur in aëre ejusdem Recipientis factitio, ac condenſato, vitam pariter opprimente.

Et quid non poteſt in morbis ipſum circa aërem ægros ambientem regimen, vel calidius, vel frigidius, quod in legitima adminiſtratione maximi ad recuperandam valetudinem momenti eſt, in perverſa verò applicatione periculoſiſſima poſt ſe trahit ſymptomata ipſamque mortem.

Mul-

Multum verò tribuendum eſt conſuetudini, educationi, aëri nativo, uti e.g. calidior aër locorum magis meridionalium infenſiſſimus eſt ſanitati eorum qui auræ magis ſeptentrionali ſunt aſſueti à juventuræ, cum alii eorum loci incolæ iſto non lædantur, ſed benè commodèque in iſtis ardoribus vivant; & ſic de cæteris reciprocè dicendum erit.

De cibo ac potu vix eſt qui non agnoſcat vim ſummam in deſtruenda corporis ſanitate, hinc enim ſanguinis pendet temperies ac conſtitutio, cum qualis eſt cibus talis quoque ſit chylus, qualis chylus, talis, qui ex eo gignitur, ſanguis & qualis ſanguis, tales evadant ſpiritus, talisque ſit ipſa ſanitas ejus craſi laudabili potiſſimum debita.

Hinc intemperies ſanguinis quæcunque, ſive calida illa, frigidave ſit, ſive acres, bilioſæ, agilesque prædominentur partes, ſive acidæ, viſcidæ, humidæve, à ratione victus, ciboque & potu aſſumpto potiſſimùm dependet.

Calidi enim cibi, acres, aromatici, ſpirituoſi, orgaſmum humoribus inducunt, motusque excitant efferos, ac proin anſam præbent febrilibus ebullitionibus variis, inflammationibus, doloribus variis, effuſionibus ſanguinis &c.

Frigidi ex adverſo cibi, viſcidi, acidi, duri, ſale muriatico ſcatentes, fixi, lentum viſcidumque ſanguinem, ac vigore deſtitutum, vappeſcentemque tandem inferunt, unde non febres ſolùm variæ, ſed potiſſimum obſtructiones paſſim variæ, hypochondriaci ſcorbuticique morbi, cacochymiæ, cachexiæ, hydropesque ipſi, ac alii morbi chronici enaſcuntur magno numero.

Non rarò tamen quantitas ciborum plus infert noxiæ quàm quævis perverſa qualitas, quàm robuſtior ſubigat ventriculus, moli tandem ac quantitati ingeſtæ toties, ſuccumbens; unde qui cibis ſe onerant, colligunt ſibi perniciem, utut

lentam, certam tamen & inevitabilem, materque cruditatum ac morborum dehinc est voracitas.

Nihil verò hoc in genere magis attendendum est Medico quàm insignis illa differentia, quæ deprehenditur inter eos qui vinum ordinariò ac per omnes vitæ dies hauserunt, eosque qui cerevisia sunt usi, horum enim & in Æthiologia morborum, & in eorundem Therapia insignis est omnique consideratione ac attentione digna differentia, cujusque neglectus non paucis esse solet fatalis.

Non est quod hîc specialius ista deducamus, alibi recurrentia; notum verò est Cerevisias tenues, facilè acescentes, junctas victui crasso ac duriori ad chronicos morbos, cacochymias, cruditates, atque affectus hypochondriacos disponere; inebriantes verò cerevisias, magisque spiritibus fœtas, acutos potius morbos producere juxta eorum observationem qui inter zytopotas agunt.

Utrique verò & Zytopotæ & Oinopotæ experiuntur frequentissimè quid vini abusus in destruenda valetudine possit, quantæque à calidis vinis æstuationes, febres, hæmorrhagiæ, dolores &c. oriantur; ab aliis verò, tartaro magis fœtis & dicta modò mala, & calculosa, arthriticaque symptomata metuenda sunt.

Vini verò spiritus adhuc pernicioſior fit abusu; ac dubites meritò an tantas in roborando ventriculo, ac servanda sanguinis spirituascentia mereatur laudes, quantas nonnulli ipsi tribuunt; abusu autem fit deterrimus, ac non solùm intempestivè sumptus chylum præcipitat, sed & ventriculu, viscerum tonum, humorumque crasin pessundat, ac disponit quàm maximè ad cachexiam ac Hydropem, aliaque mala gravissima, potissimum apoplectica &c.

Aqua & potui destinata, & ciborum præparationi pro insigni sua ratione locorum, variatione sanitati periculosas admo-

modùm ſtruit inſidias, unde & endemii & alii graviſſimi frequenter morbi pullulant, ac inſenſibiliter ſuccreſcunt, ob occultam liquidi in ſe ſatis limpidi clarique viſi labem ac moleculas noxias.

Immoderatas vigilias ſpiritibus debilitatem ac diſſipationem, fluidis intemperiem, perverſos motus, atque acrimoniam, ſolidis verò languorem ac atoniam defectui languoriſque ſpirituum adſcribendam inducere, vel ex eo evidens eſt, quod copiæ ſpirituum nimis, aſſidua iſta agitatione, diſſipentur, fatigenturque confirmante rem indies experientia.

Somni verò exceſſum ſpiritibus torporem, tarditatemque ac ineptitudinem ad motum, humoribus lentorem ac viſciditatem, ſtaſesque, ac ſolidis denique partibus fibrisque inertiam atque ad motus vel ineptitudinem vel torporem inducere eadem experientia evincit ratione fulta; quanquam plus noceant citiusque vigiliæ excedentes quàm profundior ac protractus ſomnus, quibusdam diu etiam ſatis innocuus ac commodus, tandem tamen nimio abuſu eò graviorem inferens perniciem.

Unde limites juſti probè attendendi, cum pro temperamentorum varietate ſomni eadem ratio & utilis & noxia diverſis hominibus eſſe queat, prout calidior, frigidiorve ipſorum temperies fuerit, calores enim, agitatique illorum ſpiritus ſomno ac quiete multa (frigidis noxia futura) corrigi non rarò ſolet.

De quiete motuque idem occurrit monendum, novimus enim quid valeant in valetudine conſervanda, ſed & in aprico eſt quantum exceſſus noceant ſanitati, quantum enervent corpus abſumantque immoderati motus, quantumque undique torporem inferant quibuscunque partibus nimiæ ac intempeſtivæ quietis pernicioſa otia.

Excretorum & retentorum proportionem ſublatam eſſe corpori fatalem tot indies morbi loquuntur ut plenius hic deduci

duci non debeat ; maximè verò hîc ad tranſpirationem inſenſibilem , ſudorem , urinam , hæmorrhoides, menſes , feces alvinas , reſpiciendum.

Animi Pathemata quin omni jure hunc in cenſum cauſarum morbificarum veniant , ii non diffitebuntur , qui experientiam conſulere vel obiter voluerint, conſentiente ſimul rationum pondere, cum tanta iſtorum animi motuum in ſpiritus animales, ipſosque dehinc humores , imò ſolidas partes vis impreſſioque ſit , quæ non poteſt non frequentiſſimè pernicioſa evadere corpori ejusque functionibus hinc pendentibus ac patientibus.

Cuivis enim advertere facilè licet, quàm confuſos , intenſosque ſubinde motus concipiant ſpiritus ac per illos humores ab iſtis pathematibus , nunc eorum elaterem , agilitatemque ſtimulantibus , augentibus , nunc verò eos dejicientibus, ligantibus, ſuffocantibus, nunc denique in ataxias ſingulares , mixtasque eos agentibus , uti eques ineptus equum vivacem calcaribus ultrà modum urget, ſtrictis ſimul eum retrahens habenis , quo ipſo in confuſionem furiasque equus agitur.

Sic ſpiritus tam abſurdis animi motionibus nunc incitati, nunc ſimul dejecti ac ligati , confunduntur , fatigantur, peſſundanturque ſenſim , nunc nimio diſſipati , furentesque elatere, quos alii accenſos vocant, nunc retracti, oppreſſi, nimiumque in ſe retroacti , ut minus vividè queant radiare per vias canalesque ſuos.

Non tamen eum preciſè ordinem ſervant affectus animi in cudendis morbis, ut neceſſariò per ſpiritus prius fluida, & per hæc demùm ſolidas partes lædant afficiantque ; Solida ſæpè graviter patiuntur antequam in fluidis labes ſit ; ſpiritusque fibrillarum tenſionem variè lædendo, immutandoque tonum partium labefactare queunt fluidis nondum deſciſcentibus

ac

ac poſtea demùm in ataxias tuentibus ſub continuatione confuſionis, ſi diutius oſcillationes iſtæ irregulares, partium & impetum facientium, & ſolidarum fibrarum perdurent, altioresque agant radices.

Et iſta fibrillarum ab affectuum in æqualitate motibusque oſcillatio tumultuaria ac confuſa efficit, ut tantæ pulſus ataxiæ intempeſtivos ſequantur affectus; & conſequenter nihil intimius, potentius, ac celerius ſanguinem alterare, ejus craſin deſtruere, ſpiritusque & eorum functiones enervare queat, quàm ira, terror, triſtitia &c.

Nihil enim magis accendit ſpiritus, hoc eſt, eorum elaterem, oſcillationemque auget & confundit, quàm ira & amor, uti ex adverſo nihil ipſos potentius atque ultrà modùm compeſcit, ligat, atque figit, quàm mœror ac triſtitia, anxiæque curæ.

Quo ipſo nihil magis ad vitam diſponit breviorem, miſeramque, & morborum agmina ſubrepentium occultè, quàm pathematum iſtorum motus irregulares, immodici, præpoſteri atque intempeſtivi.

Ira furor brevis eſt, ac juxta nonnullos parva Epilepſia, cum ſpiritus aguntur in furias; mirum in modum agitetur ſanguis, fibrarum paſſim enormes eccentricæque contingunt, exoriunturque ſtricturæ; hinc palpitat tremitque cor & artus, pallet rubetque reciprocè facies, urget dyſpnæa, ſpumant agitata fauces ſaliva, bilis effuſiones, motusque immoderati, diarrhææ Colicæ, ſimiliaque ſequuntur crebrò ſymptomata.

Et quanquam ii ad iram ſint procliviores quorum ſanguis ſalitus, activisque particulis abundat, ita tamen ex adverſo non minores iracundiæ motus ſtimulosque percipiunt ſanguine fixiore, Melancholico præditi, manifeſto indicio labem iſtam, ſedemque furiarum in anima magis quàm cor-

pore quærendam esse, utut in hujus se partibus funestis exserat effectibus.

Hinc iram cumprimis efferam maligni aliquandò morbi sequuntur, ob fortissimum qui in illa accidit spirituum humorumque motum, & violentas fibrarum structuras, omne pravum, quod in ullo corporis latet angulo fermentum, excutientes sanguinique inferentes ad turbandam profundissimè ejus mixturam.

Hinc quando legimus iram frigidis esse remedium mirabimur haud immeritò mirabile remedium, quod aliquem quidem spiritibus torpidis impertit stimulum, sed non simul suggerit vires, quin potius stimulus ille ad ataxias eos avocet, magisque sensim pessundet, fibrarumque tonum intimius labefactet satis per se debilem.

Nisi illos velis excipere, quorum lenta, acerrimaque bilis continua delectatur iracundia, quique ad instar salamandræ in infernali illo igne vegetiores vivunt, & quandam quasi sentiunt refocillationem, spiritus per flammantia illa ultrò citròque vestigia agitantes continua inquietudine; quæ tamen & tandem fatalis evadit ipsis, etiamsi diu illam spirituum sustinuerint impunè ferociam, Cachexia plenum bilis satis adustæ lentorem ac vappescentiam presso insequente pede.

Ex dictis verò illatu facile est, quisnam spirituum in Terrore status sit, affinibusque illi affectibus; eadem etiam ibi confusio est, sed non item tumultus, non eadem ferocia, debilior fit motus sanguinis circularis, spiritibus ligatis, torpescentibus, nec fibras solito actuantibus vigore, unde parvitas, frequentia, & inæqualitas pulsus sublequitur unde & ingentes subinde hæmorrhagias terrore sublatas novimus experimento vel pueris mulierculisque noto.

Paucis affectuum omnium excessus, spiritibus infert motum

tum perverſum, turbatum, inquietum, eorumque vigorem brevi dejicientem, humorum motum circularem atque inteſtinum mirè alterat ac infringit, intemperies, obſtructionesque paſſim efficit, ac proin omni jure inter præcipuas, frequentiſſimasque morborum cauſas refertur, cum experientia teſte nulli morbi Medico plus faceſſant negotii, ac pertinacius remediis reſiſtant, vitæque inſidientur occultius, quàm ii qui ab affectibus oriuntur.

Cap. III.

DE CAUSIS MORBIFICIS E REBUS PRÆTERNATURALIBUS.

REs verò potiſſimum præternaturales in claſſem cauſarum morbificarum retulerunt Medici jure optimo, cum una corporis indiſpoſitio experientia teſte frequentiſſimè poſt ſe trahat alteram, unaque functione læſa in alias brevi tranſeat labes, cum læſio partis efficiat læſionem functionis parti competentis, ex qua læſione plures mox pullulant ataxiæ.

Genealogiæ ſanè morborum, & ſucceſſiones eorundem ſunt & prolixæ, & intricatæ, eadem re præternaturali nunc cauſæ, nunc effectus rationem habente diverſo reſpectu, ac ſeſe diffundente in ramos funeſtos, uno vitio aliud poſt ſe trahente; latent ſæpe tales diſpoſitiones, inſtar ſeminii occulti, donec occaſione ſe offerente incredibiliter ſe, triſtique fœcunditate multiplicent, novaque malorum fomenta, occaſionesque morborum præbeant.

Intricatam verò diximus hanc morborum Genealogiam, ob mirabiles, omnemque vel exactiſſimi etiam calculi analytici ſubtilitatem ſuperantes, combinationes in ſe mirificè recurrentes, novisque ſurculis luxuriantes; cujus exempla affectus

ctus hypochondriacus in dies offert, numerosa symptomatum, novorumque emergentium sobole fœcundus, & quem alii toties allegant, illi frequentissimè implicatus, scorbutus; ut taceam Luis Venereæ occultissima, ampliſſimaque seminia, per omnem se latè symptomatum classem diffundentia, & morbificarum causarum ambitum mirum in modum ampliantia atque extendentia.

Quicquid enim viribus corporis, tonoque partium vel è longinquo insidiatur huc referendum est, ubicunque etiam lateat, vel qualecunque sit; licet enim talia positivè non videantur concurrere, nocent tamen, exhauriendo, absumendo, depauperando spiritus, fluida, humores; uti immodicæ liquorum quorumcunque, maximè utilium, excretiones.

Causarumque per accidens familia eo ipso fit ampliſſima, cum licet indirectius paulò, efficaciter tamen ad cudendos morbos concurrant; sic cum crebra inebriamina, calidique potus cachexiam, hydropemque inferunt, efficaciſſimè id agunt licet per accidens, cum nil impediat quò minus calidiſſimæ rei, tam frigidus sit effectus atque à calore admodùm remotus & alienus.

Sed non attinet istis immorari, quæ per se patent, supra enim jam monitum est, quam nam Christiani Medici fortunam respiciant, providentiam scilicet ac voluntatem divinam, ut quæ casu sæpe videntur accidere directione ejus occulta, nobis licet cœcutientibus eveniant.

Sic vel ipsa remedia applicatione perversa fiunt venena, vel hæc securius tanquam remedia assumuntur aut exhibentur à quibusdam, ut sæpè loco effectus laudabilis atque sanitatis sequatur ex perversa medendi methodo, remediisque incongruis, vel intempestivè datis, vel inutiliter, tempus cujus tam pretiosa sunt momenta, perdendo, adhibitis, labescente interim in deterius Machina.

Li-

Lites eruditas de cauſa immediata, proxima, & continente huc non libet trahere, cum nimis ſint Scholaſticæ illæ controverſiæ & Tironibus haud æquè utiles, qui equidem ignorare non debent differentias & convenientiam harum cauſarum, ita tamen ut ſubtilitatibus non indigeant, parumque illis interſit an detur aliqua cauſa proxima & immediata quæ tamen non ſit continens, cum omnis continens ſimul ſit proxima, eo ipſo quia morbus poſita illa vel ſublata ponitur tolliturque; atque an continenti ſublata tamen aliquid reſidui præternaturalis manere poſſit &c.

Cæterum cauſæ morbificæ ratione conſiſtentiæ commodè dividuntur in ſpirituoſas, humores, ac ſolidas, quæ potiſſimum hærentes in corpore, illud præternaturaliter graviſſimeque afficiunt, nocentes peccantesque, ut Medicorum libri ubivis loquuntur, ſubſtantia, quantitate, qualitate, loco, motuque non omnibus quidem modis omnes ſimul, ſed nunc uno ex illis, nunc pluribus.

Ad ſpirituoſas pertinent vapores varii, halitus aſcendentes veteribus cumprimis crebrò accuſati etiam in illis caſibus ubi moderni conſenſum nervorum ſubſtituerunt, flatus paſſim hærentes, aer oberrans in anguſtiis corporis, imò & ipſe qui intimus ubique in penetralibus corporis eſt æther.

Æther ſcilicet peregrinus Carteſianorum potiſſimùm ſcripta replet, quem undique permeantem noſtrisque humoribus eorumque poris non ſatis convenientem conſiderantes accuſant in omni exæſtuatione febrili cauſam ejus proximam ſeu mixtionis in ſanguine turbationem unicè inde ac principaliter derivantes.

Uti verò æther potentiſſimum penetrantiſſimumque fluidum eſt, ac nullibi, ne in ſolidiſſimorum quidem corporum poris anguſtiisque excluditur, ita haud adeò conceptu eſt facilè, qua ille ratione vel dici vel fieri poſſit in corpore noſtro

ſtro peregrinus, quod pleno ſemper perfluit pervaditque undiquaque flumine, partesque exagitat etiam in ſtatu naturali omnes, utpote author gravitatis, motionumque ferè omnium.

Si dicas eum aliunde infici prava peregrinaque qualitate; id quidem dicitur facilius quàm probatur, quoniam de aëre equidem novimus quod poſſit heterogeneis infici, pervertique in qualitatibus ſuis ac corrumpi, de æthere autem id aſſerere haud æquè licet ulla vel leviſſima probabilitate, quippe qui in ſumma ſua fluiditate ſemper ſibi ſimilis alienam qualitatem non induit, ſed eodem omnia perfluit tenore limpidiſſimo fluxui.

Quo ipſo nolim eum excludere è cauſarum morbificarum cenſu, utut enim ipſe non mutetur, ſed æquabilis ſemper per noſtri poros corporis transfluat, noſtros tamen & liquores, & poros non eodem ſemper in ſtatu deprehendit, ac proin inæquali in illos incurrit impetu, pro obſtaculorum diverſitate, quæ quidem facilè ſuperat, aliquam tamen in illa vim exerendo, ſicque aliquam illis ſubinde mutationem inferendo; ea tamen minimè frequentia, intimaque affectione, qua iſti Carteſii aſſeclæ rem concipiunt, ætheremque univerſalem quaſi morborum conſtituunt cauſam.

Aer potiori jure accuſabitur iſtique claſſi inferetur, quippe qui non ſolùm extra corpus conſideratus, de quo ſupra occaſione cauſarum procatarcticarum diximus, ſed & intra illius ambitum ubique minatur elatere ſuo æquè, ac moleculis heterogeneis ſecum illatis in Maſſam ſanguinis.

Debet enim internus aër æquilibrium cum externo exactè ſervare, ſicque æquabilem partibus tenſionem, humoribusque conſiſtentiam conſervare juſtam, quod niſi fiat undique turbæ, malaque oriuntur graviſſima & ſæpe ſubitanea; ineſt enim omnibus & ſolidis & fluidis partibus copia inſigni intimaque ſuarum ſpirularum undique diffuſarum præſen-

tia

tia, quæ nunquam ſunt quietæ, & in Microcoſmo tot ludere ſcenis, tot quaſi varietatibus poſſunt ſe exerere in agitationibus fluidorum, atque oſcillationibus ſolidarum fibrillarum, quàm in macrocoſmo tempeſtatum excitare viciſſitudines potentiſſimè ſolent.

Inæquali enim tenſione, ac oſcillatione, Elatere fortiore vel remiſſiore, externo vel potior vel inferior ſemper dabit in corpore turbas, ſui maximè ſi fiat juris, nimiumque extricetur à compedibus partium aliarum, calore favente intenſiore, aut aliunde oborto orgaſmo, cujus in tot paſſim morbis exempla frequentiſſima occurrunt.

Turbæ verò illæ eminentiores fiunt gravioresque, cum non ſparſæ ſolùm liquidisque intertextæ paſſim aëris ſpirulæ aucto elatere tumultuantur, ſed cum earundem plures coeunt, propriamque quaſi formantes ſphæram extra orbitam vagantur, & graviſſimas paſſim moleſtias, tendendo, premendo, urgendove inferunt, ad analogiam phænomenorum obſervandorum in animalibus, quorum venis aër fortius, leniusve pro anatomici lubitu inflatus, lipothymias, ſpaſmos, imò mortem ipſis infert ſubitaneam.

Et quid ſunt famoſi illi corporis humani per omnes ferè partium ordines, tutores frequentiſſimi, flatus, niſi iſtiusmodi aër, qui liberior juſto, ſuique juris factus, propriamque in ſphæram collectus gravis eſſe corpori modis, ſolet innumeris, in primis præcipuè viis ſuas ludens tragædias, ſed nec ibi uti optaremus ſæpe, ſubſiſtentes, finiendasque.

Anſam aëris iſtiusmodi flatulenti emerſioni ac liberationi præbent cruditates, fermentationes heterogeneorum aſſumptorum, calor, & cumprimis toni debilitas, inſufficiens digeſtio, cibus non potenter ſatis ſubigens, inque ſubtiliorem redigens chylum, ſed viſcidiorem, flatuumque tenacem mineram, à flaccidioribus non ſatis diſſipandam, propellendamque fibris, quo ipſo ſub mora extricare ſe valet incluſus aër. Hinc

Hinc Hypochondriaci tot tantasque è flatibus detentis moleſtias patiuntur, ſubitò ſæpe flatibus liberatis ceſſantes; graviſſimisque ſubinde doloribus flatuum dimiſſione ac diſſipatione ſolutis; quam circa rem intricatiſſima in dies Medici phænomena ac ſymptomata obſervare queunt, quantum flatuum vel incarceratio ac detentio, vel dimiſſio ac diſcuſſio in mutanda valetudine valeat.

Flatus enim potiſſimum niſu, motuque ſuo, ac elaſtica expanſione, copia ſua ac incluſione moleſtias excitant, vi cujus tenſionis graviſſimos ſæpè dolores, truculentos ſpaſmos, ſummasque partium ægritudines, ſolent frequenter inferre corpori, quales à flatibus vix expectare quis poſſet, niſi id experientia, ipſaque ſæpe per emiſſionem paucorum flatuum ſolutio & alleviatio ægri cauſam graviſſimi mali genuinam proderet, certumque redderet Medicum &c.

Quo ipſo tamen negandum minimè erit, poſſe & qualitatis vitium in flatibus accuſari, quatenus mineræ ſuæ fomitisque referant indolem, ac vi illius laceſſant acriter fibras, prout ex cruditate exſurrexerint vel acida, vel bilioſa, vel nidoroſa, vel tenaci viſcida qualicunque; licet forſan præcedens nocendi ratio frequentior ſit graviorque & Medico magis attendenda.

Ad alios verò halitus & effluvia quod attinet, multa de iis eorumque ad caput aſcenſu moleſto apud veteres occurrit, quæ ab aliis ridentur; utut negari non poſſit, percipere haud rarò ægros aſcenſum auræ vel vaporum, vel ad minimum tale quid percipiunt quod aſcenſum vaporis ipſorum ſenſui offerat.

Licet verò vix ſit credibile id quod hac ratione aſcendere ex partibus inferioribus ad ſuperiora prætendunt, reverà eſſe vaporem, ſed potius phænomenon illud videatur adſcribendum conſenſui nervorum, ſpaſmodicæque fibrillarum communi-

municantium oſcillationi ac tremori ; attamen nemo negare auſit, eſſe ad analogiam ſani corporis exhalationes frequentes imò frequentiores in morboſa diſpoſitione , atque adeò tales vapores etiam poſſe huc illucve quà patet via deferri , lædere, ac irritare.

Ex claſſe verò ſpirituoſorum ſeu halituoſorum κατ' ἐξοχὴν allegandi ſunt ſpiritus animales, tot morborum cauſæ ; hi autem quà fluidum Elaſticum , valdè tenue ac mobile ſi conſiderentur, haud conceptu erit difficile quibus modis lædere, atque à naturali deficere ſtatu poſſint ac ſoleant.

Supra jam diximus de controverſia illa famoſa , an ſpiritus ab humoribus demum pervertantur , an verò primariò & immediatè peccent , & ſuas demum ataxias humoribus inferant ; diximus tùm pro caſuum diverſitate id fieri diverſimodè ac reciprocè , cum æquè ſpiritus ab humorum vitio, ac humores vitio ſpirituum poſſint deſciſcere à ſtatu naturali.

Certum enim eſt vel ex ſolis animi pathematum excœſſibus , quàm graviter ſpiritus pati poſſint , antequam labem contrahant humores , uti illa ſatis promptè eò ſaltem quà aliquam primò motûs ataxiam , transfunditur atque communicatur.

Ex adverſo ſæpè ſpiritus rectè ſe habent, humoribus jam graviter turbatis atque affectis, ac proin vitio non niſi ſenſim ac ſenſim illis communicato, quippe à quo affici patique poſſunt, æquè ac à perverſo fibrarum ſuarum nervearum motu ac perculſione aliunde facto, aut irritatione qualicunque illato.

Poſſe verò particulas heterogeneas halituoſas ſeſe immiſcere ſpirituum purioribus copiis , easque inquinare nullum eſt dubium , licet elatere eorum ac mobilitate vel aucta , vel ligata potiſſimum videantur ac frequentius peccare ; neque enim ſemper adeò aptè dicuntur fermento peregrino inquinari, ac morbidam recipere qualitatem.

Nisi id intelligamus de elastica eorum mobilitate vel aucta vel imminuta, quæ enim delucida & tenebricosa eorum dispositione toties dicuntur, alio vix sensu possunt accipi vel explicari, quàm mobilitate eorum magis minu ve libera, vi cujus œconomia spirituum variè quà gradus pervertitur.

Et quid obstat eos, quandò in febribus vocantur accensi, tanquam nimio elatere exorbitantes concipere; cumque explodi dicuntur in convulsivis affectibus, nimis agitatos eos furentesque compedibus solutis statuere; eodem enim ista recidunt, æquè ac si inflammati in certis morbis vocentur, nomina enim non semper variant rem.

Hinc etiam tenebricosi, stupidique erunt in variis cerebri affectibus, quin & in aliis Hypochondriorum vitio adscriptis, ubi & crudos, flatulentosque eos dici audias, quatenus in omnibus istis casibus vigorem suum, libertatemque, ac vitalem elaterem exerere liberius haud valent; Cum tenebras, lucemque propriè dictam spiritibus tribuere nulla veri specie liceat, ipsa lucis indole refragante.

Humores in corpore nostro subire rationem causæ morbificæ quàm frequentissimè per se evidens atque extra dubium positum est; de modo saltem non conveniunt diversæ Medicorum sectæ & scholæ; illi cumprimis, qui ut paulò ante dictum est, disputant quo ordine inficiantur peccentque tum spirituosæ tum humorosæ partes, quos optimè conciliaveris, si reciprocam unius generis fluidorum in aliud actionem admittas, ut nunc spiritus labem in humores transferant, nunc ab iis vicissim eam recipiant patianturque.

Neque enim sentire cum illis possumus, qui cum Mortono spiritus primùm statuunt desciscere, neque cum iis qui ad Baglivi imitationem non tam ad humorum respiciunt labem, quàm ad fibratum motricium perversas oscillationes,

quæ

quæ humorum quidem etiam ſubinde poſt ſe trahant ataxias ac turbationes ; Semper enim ad reciprocum mutuumque inter partes impetum facientes , contentas , & continentes ſeu ſolidas commercium, influxumque efficacem tum in phyſiologicis tum & in pathologicis eſt reſpiciendum.

Unde omninò frequens eſt , ut eadem pars nunc primatiò afficiatur , nunc ſecundariò , adeoque ordinis ratione malum nunc ab aliis recipiat , nunc in alias easdemque transmittat , qui reſpectus influxusque mutuus, ac nimium ſæpe efficax in ſpiritibus æquè ac fluidis , ſolidisque partibus frequentibus innoteſcit comprobaturque in dies exemplis.

Inter modernos , eosque cumprimis qui Carteſii placita Medicinæ intulerant ea invaluerat hypotheſis , omne humorum vitium eſſe ab acido, incraſſante humores & viſcidiores reddente, indeque omnes derivandos eſſe morbos, quod humores ob craſſitiem per tubulos partium ac vaſcula liberæ circulari ac fluere non poſſint.

A quibus alii quodammodo diſcrepant , utut idem ferè ſtatuentes , ita tamen , ut acidum viſcidumque conjungant magis , conſiderentque non humorum nudam craſſitiem , ſed & ſpiculorum acidorum frequentem in fibris excitandam irritationem , & viſcidi paſſim in tubulis hærentis , atque ab ipſo craſſiore ſanguine diſtincti , & jam ſecreti obſtructionem ubivis pro cauſa allegandam.

Utrisque alii magis à partium ſtudio alieni inſufficientiam hujus morborum ætiologiæ ſatis ſuperque demonſtrârunt, oſtenderuntque non his ſolùm modis peccare humores corporis noſtri.

Cum & ſanguinis humorumque ſtatus detur huic contrarius , nimis ſcilicet fluxilis , ac fuſionis ſtatus , alcalino potius ſulphureoque ab aliis tributus principio ,

ejusque prædominio ; quin & fusio Cachectica ac vappescens sanguinis ab illo statu coagulationis pariter alienus ac diversus.

Non quod acidum , frequentem morborum causam, velint excludere, aut illud insons cum Baglivio aliisque proclamare , sed quod mediam tutissimè viam teneant , & de distinctis loquantur distinctè , nec deceat ea confundere, quæ ægri vera commoda solicitè distinguenda esse monent.

Sanguis ejusque tota massa est Oceanus microcosmicus, ad illum fluunt omnia quæ assumuntur , in illo conjunguntur omnia corporis nostri fluida , ex illo omnia , quæcunque in quibusvis corporis emunctoriis excernuntur.

Humores verò præternaturaliter dispositi sunt, & peccant modo non uno , quantitate quippe, qualitate , & motu peccare solent, quidam verò ipsa substantia.

Chylus ex cibo potuque assumpto confectus variæ indolis evadit , pro primarum dispositione viarum , tum ratione roboris concoquendi ac chylificandi, tum ratione cruditatum, fecumque inibi repertarum chylumque depravantium; de quibus vitiis testari solent ructus variis saporibus adversis , nunc acidis , nunc nidorosis, nunc quasi insipidis, &c. imbuti vel infecti.

Sanguinis verò vitia plurima esse solent. Deficere illum posse, ac peccare quantitate deficiente vix quisquam inficiabitur; quod verò abundare is possit , & quantitate nimia peccare à quibusdam pertinaciter multoque argumentorum apparatu negatur.

Illa verò argumenta id non probant quod debebant probare , neque plethoræ impossibilitatem satis clarè ostendunt, quæ potius pluribus phænomenis , documentis, & molestiis evidenter satis probata ab aliis, imò percepta est ; nec inanes de plethora ad vires & ad vasa lites ac distinctiunculas libet con-

conſectari, cum ſufficiat nihil impedire, quo minus ſanguis quantitate etiam excedat, gravisque evadat corpori, quod ipſa indies loquitur experientia, ac inſtituta toties cum Euphoria in iſtis caſibus venæſectio abundè ac in ipſo ſæpè inſtanti confirmat.

Alia verò quæſtio eſt, an non ſolùm detur plethora ſanguinis, ſed etiam ſeri & lymphæ, atque adeò plethora non venæſectione ſola, ſed purgantibus etiam, diaphoreticis ac diureticis tolli poſſit.

Quis enim de illorum quoque humorum poſſibili exceſſu atque abundantia dubitet, qui maximam ſanguinis conſtituunt partem, totiesque etiam mole ſua, ſtaſibusque corpori ejusque partibus evadunt graves, graviterque illis incumbunt, ac ſanguineæ ſtricte dictæ portioni nimis prævalent.

Ex ipſa verò plethora, ſanguinisque abundantia, ac nimia vaſorum turgeſcentium repletione, obſtructiones, ſtaſes humorum, vel remoræ ſaltem motuum, intemperiesque ipſa ſæpe oboritur; vaſisque minoribus ob tenuitatem tunicarum facilè ruptis à plethora quoque variæ ſanguinis ac ſeri effuſiones poſſunt contingere.

Deficientem verò humorum quantitatem pariter morborum frequentem evadere cauſam ii non ignorant, qui triſtes fluxuum ſanguinis immodicorum effectus ac ſequelas obſervarunt, graves ſcilicet chronicosque, ac non rarò fatales morbos inde preſſo ſubſecutas pede.

Qualitatis verò vitium in ſanguine adeò non excludimus, vel extenuamus cum modernorum quibusdam, ut potius cumprimis attendendum ſeriò moneamus, non excluſis tamen aliis concurrentibus plerumque vitiis.

Taliumque vitiorum ac aberrationum ſeries prolixa poſſet allegari, ſi res id neceſſitasque poſtularet, ſcilicet ſecun-

dum combinationes varias qualitatum illarum celebrium, quas primas vocant, ac temperamentorum in productione ac varietate cumprimis attendunt ii, qui, ut ſupra dictum, doctrinam temperamentorum multiplici ex capitè ſolicitè tractant.

Sanguine enim multo craſſiorique ſero perfuſus dicetur pituitoſus, ubi verò ſero parcius præſente calidiores prædominium tenuerint partes ſanguis bilioſus, calidusque dicetur aut cholericus, ubi cum fixitate partium ſpiſſitudo quædam connectetur Melancholicus dicetur ſanguis, quoties verò ſeri actioris, ſalſi præſentia irritans gravis eſt, mixtus erit ſanguinis ſtatus, pro illius abundantia, partiumque vel ſulphurearum, vel acidarum fixarum admixtione, varius, aliudve qualitatis vitium, quorum ſanè innumeræ dantur & mirabiles ſæpe varietates ac combinationes.

Præter verò quatuor illas primas qualitates earumque exceſſus ac combinationes, natasque inde intemperies, reſpiciendum potiſſimùm eſt ad conſiſtentiam ſanguinis, ad craſſitiem, coagulationem, vel etiam his contrariam nimiam diſſolutionem, fuſionem, ac tenuitatem, quam licet ex modernis quidam auſi ſint rejicere ac vocare in dubium, ipſa tamen morborum phænomena, ac hiſtoriæ adeò ſtabiliunt, ut nullus dubitationi ſuperſit locus, cum & ratio conſentiat.

Ut prætereamus hîc varias alias qualitatum in ſanguine mutationes vitioſas ac noxias, turbationes mixtionis variarum ſpecierum, prout nunc hæ, nunc aliûs generis particulæ heterogeneæ ſeſe evolventes prædominantur, nunc ab interno, nunc ab externo principio deſciſcentiæ origine derivanda.

Loco peccare ſanguinem dicimus, non ſolûm cum ex vaſis emanans effunditur præter naturam, vel cum ad loca ſolita non ritè defertur vel per illa non debitè excernitur per quæ ſolebat excerni, ſed & cum per partem non promptè ſatis promo-

motus largius videtur advenire, eamque obruit & gravat ſtaſi ſua indeque oborientibus moleſtiis.

Motus vitia in ſanguine pariter ſunt frequentiſſima, tum inteſtini, tum circularis; circularis enim motus tardior, languidior, turbatus, vehementior, tumultuans, inæqualis, citatior, impetuoſiorve evadit pro circumſtantiarum diverſitate, licet ex celeritate e. g. pulſus celeritatem circulationis non æquè liceat inferre.

Inteſtinus motus miras ſubit variationes in ſtatu præter naturam, tot quippe agitationibus, orgaſmis, exaltationibus, turbis, fermentationibus, vel ut alii loquuntur effervescentiis, ebullitionibus obnoxius, unde tot ataxiæ ejusdem, depreſſiones, impedimenta obſervantur, varias ſanguini diſpoſitiones, incraſſationes, turbationes, & dyſcraſias inferentes.

Cum enim ſanguis ſtaſin patitur tardiusve movetur, ac proin quiete peccat. motuque imminuto alia preſſo pede vitia inſequuntur deſciſcentia ſanguinis, mixturæ turbationes, ſeri feceſſiones, partium inflammationes, variæque ſub ſtaſi corruptiones.

Cum ex ſanguine ſecernantur paſſim pro viſcerum diverſitate ſucci varii, nemo dubitaverit, varia inde vitia oriri in partibus diverſis, pro ratione diſpoſitionis præternaturalis iſtorum ſuccorum; prout illi ſecernuntur vel copioſiores, ſicque ſanguini nimium ſubducunt, & partibus evadunt graves; vel ſupprimuntur, parciusve ſecedunt, ac proin & inquinant ſanguinem in quo retinentur, & partes quibus deſtinabantur, deſtituunt.

Hinc ſanguis ex ſuis exundans vaſculis in partibus mollioribus ſub inflammatione à feceſſu partium ejus heterogenearum oborta abit in pus, aut pro partis ſuccique varia diſpoſitione in ſaniem & ichorem ſeu ſuccos putredine ſua & acrimonia metuendos; neque enim eadem omnis ſtagnationis eſt ratio, ſed

ſed & ſuccorum & partium varietas eſt ; unde ex vulneratis partibus nervoſis , ligamentoſis , effluit Lymphatica portio ſanguinis ſub notiſſima ſpecie ſynoviæ (des Glied-Waſſers) moleſtiſſimæ in vulneribus illarum partium.

Contingunt verò variæ Metaſtaſes & translationes puris ab una ad aliam partem, quarum rationes videntur occultiſſimæ & ad ſtuporem uſque mirabiles ; fieri verò id per venas , & reſorptionem talis putridi ſucci ac ejus in ſanguinem delationem vix erit dubitandum, certumque eſt in ſtatu præternaturali invenire naturam vias , iisque frequenter uti, quas nemo antea pervias, poſſibilesque credidiſſet, adeò ratiocinia noſtra firmiſſima ſæpe in Phyſiologicis viſa à Pathologia crebro revocantur in dubium , reddunturque vacillantia.

Sic recipitur tale pus in ſanguinem reſorbendo, & in alia rurſus parte criticè dimittitur excerniturque mirabilique occultoque Mechaniſmo , miro divinæ providentiæ nutu illum dirigente , noſtramque toties confundente ſapientiam putatitiam.

Novum igitur non erit redire ea in ſanguinem per iſtiusmodi vias, ejusque inquinare maſſam ac puritatem , quæ ab ea jam ſeceſſerant , defecerantque à nativa craſi ac ſtructura modis plurimis paſſimque in corpore hærent.

Exempla horum ſcabies , lues venerea , phthiſis, varia paſſim ulcera, ſtaſesque exhibent frequentiſſima, licet omnium æquè adducere ætiologias modosque tam perſpicuè non ſemper valeamus , labem vero ſanguini reipſa illatam & in illum reſorptam non poſſimus non agnoſcere , qui tot exemplis docemur ſecretos jam humores redire in ſanguinem ac reſorberi poſſe, &c.

Ad analogiam horum ſerpunt , ſubeuntque ſanguinem venena varia, etiam extus corpori illata; huc viperarum morſus, ſcorpionumque & Tarantulæ , ac rabidi canis læſiones, qua-

quarum omnium miaſmata activa admodùm ſanguinem, omnemque dehinc corporis ambitum mira agilitate pervadunt, occupantque receſſus maximè etiam reconditorum locorum ac fibrillarum, quod triſtes eventus innumeraque loquuntur exempla, teſtantia de mira venenati talis fermenti efficacia.

Sive enim venena iſtiusmodi magis acida ac coagulantia, ſive alcalina ac fundentia, ſive denique narcotico ſulphure infamia ſpiritibusque infeſta ſint, ſive ſanguinem magis, ſive nervorum ſyſtema adgrediantur, impetantque violentia ſua, via tamen eadem ſubrepunt ſuccosque ſubeunt demorſi corporis.

Adeò Volatilis eſt veneni indoles, mobilisque ac in minimo efficax, licet admodùm quà ſpecialem agendi modum occulta, nec clarè ſatis à Dn. Mead detecta, nec ab ullo alio hactenus plenè ſatis pertractata; unde in iſta doctrina difficillima aqua adhuc Medicis cumprimis hæret.

Adeò variis humores deſciſcere poſſunt à craſi ſua modis, adeò diverſis in locis, labe contracto vel in primis mox viis, ubi plurimorum & plerorumque radix & ſedes originaria morborum eſt (licet non omnium, uti viſum eſt nonnullis) indeque in ſanguinem illata ac derivata, vel in ipſo ſanguine pravi ſucci evolatio contingit & contractio vitioſæ diſpoſitionis, vel denique labes ſanguini poſtliminiò à partibus in ſanguinem refunditur & regurgitat.

Cauſas dum ratione conſiſtentiæ diſtinctas conſideramus, ſolidæ excludi non debent; de quibus tamèn probè notandum, talia ſolida in corpore hærentia, & actiones ejus lædentia diverſo reſpectu omninò conſiderari poſſe ac debere tanquam cauſas morbificas, ſed poſſe tamen magnam partem ſimul alio reſpectu haberi pro morborum ac prægreſſæ diſpoſitionis præternaturalis productis.

Solidæ morborum cauſæ vel ad corpus pertinent, vel in

corpore demum ſunt generatæ, vel aliunde corpori illatæ vel allatæ quacunque ratione; modus verò ſi inquiratur quo lædant, is non unus vel ſimplex deprehenditur.

Aliquando enim ſolida laceſſunt, irritant, quaſi pungunt, ac ſtimulant; aliquando hærent in cavitate, eamque replent, diſtendunt, obſtruunt, imò rumpunt; aliquando verò partem premunt, urgent, comprimunt, conſtringunt; aliquando verò modi plures concurrunt, præprimis verò irritatio ſenſilium admodum ſpirituum per fibras ſtatim jungitur reliquis modis.

Hoc ipſo autem ſolida non poſſunt non laceſſere naturam, irritare, atque gravare, ſicque occaſionem illi præbere, inſurgendi contra iſtas Lancinationes, vim illam conatu quocunque amoliendi, removendique in quô aliquando proſperum experitur ſine artis ope ſucceſſum, aliquando verò turbas ſaltem majores doloresque ſibi accerſit atque excitat reactione ſua diſproportionata.

A fibris enim nerveis irritatis oritur propulſio ſpirituum fortior in muſculares fibras, unde varii naturæ moleſta amohentis conatus, hæ enim excitatæ in ſpiritibus turbæ in fibris illis excitant ſpaſmos, ac ſtricturas, partium; majores minoresve, quatenus fibræ ſunt qua tonum vel laxiores vel ſtrictiores, magis minusve tenſæ, qui earum morbus eſt his cauſis debitus, trahensque poſt ſe varia ſymptomata.

In humorum verò motum atque circulationem potiſſimùm ſe exſerit vis iſtiusmodi irritationum in nervis & inde ſequentium ſpaſmorum in fibris, nam ſub iſtiusmodi ſtricturis (quæ ſæpe ſine dolore ſunt) variè turbatur circuitus ſanguinis, alicubi impeditur, alibi fortior evadit, ubique ataxias patitur & confuſiones.

Quando verò monuimus, ſolidas cauſas eſſe aliquando in ipſis corporis partibus, eorumque numero quærendas, reſpeximus

ximus potiſſimùm ad oſſa, quæ tot modis ac circumſtantiis ad hanc pertinent claſſem.

Oſſa luxata quantas preſſiones, tenſiones, vellicationes efficiunt, fracta verò quas punctiones, lacerationes, inflammationes, tumores, dolores, tenſiones &c. producunt; utrinque graviſſima ſymptomata offert triſtis quotidiè experientia.

Vertebrarum in ſpecie ſitus incommodus, inordinatus, diſtortus, quas in figura thoracis, in reſpiratione, corporis habitu, imò augmentatione ac nutritione perverſitates & moleſtias efficiat palàm eſt; ut de luxatione earum magis vel minus plena taceamus, quam tot graviſſima mala partium nervis inde recipientium, paralyſes, ipſaque mors ſequuntur.

Quò etiam oſſium rhachiticorum incurvationes, indeque oriundæ corpotis partiumque diſtorſiones, ac graviſſima mala referenda omni jure ſunt.

Fiſſuras oſſium cranii, ejusdem depreſſiones, feſtucas, ſeu fragmenta ab eo verſus cerebrum declinantia ejusque matres graviſſimè toties afficientia, ipſamque non rarò ejus ſubſtantiam turbantia in iſtum referre cenſum omni jure poſſumus, ob enormes inde ortas irritationes, inflammationesque.

Oſſa ipſa carioſa, productum morboſum, cauſa itidem fiunt morbifica, impediuntque ulcerum, fiſtuloſorum conſolidationem, quæ ſcilicet coire, carneque laudabili claudi non poſſunt, dum iſta oſſis ulcera durant, vicinasque depaſcendo carnes fœtidumque producendo pus impediunt ſtabile curationis fundamentum; unde tot diuturna ulcera oſſa carioſa ſubinde propellentia ex ſinubus ſuis; ut taceamus, quæ huc pertinet pædarthrocacen, ſpinamque ventoſam.

Si ad ea attendamus ſolida, quæ in corpore humano producta cauſæ fiunt morbificæ, calculus primò ferè ſtat loco, tortor hominum crudelis; non ſolius veſicæ incola, ſed & aliarum, quod hiſtoriæ, obſervationesque teſtantur, partium; præ-

primis veſiculæ bilariæ calculi, renalibus ac veſicalibus longè leviores, concretaque ferè bile conſtantes.

Renum tamen & veſicæ calculi frequentius affligunt, duritie, numero, magnitudine, figuris, aſperitate, angulo-ſitate, mirè variantes & periculoſè ludentes; nunc magis quieti, nunc motu, ſtimulo, tranſituque partibus graves, ipſoque diſtincti loco, dum vel in renum ſubſtantia, vel eorum pelvi, vel ureterum canalibus, vel veſicæ cavo, vel collo ejus, aut in ipſa hærent urethra, variisque hujus regionibus, rem mirè ac non ſine dolore variantibus graduali.

Hinc dolor incipit plerumque à regione renum, pergitque deſcendendo per has ſucceſſivè partes uſque ad exitum; quanquàm dolor non ibi ſemper maximè urgeat, ubi hæret calculus, cum per conſenſum nervorum & fibrarum ac membranarum inſignem hæc admittant latitudinem, miræque fiant tenſiones atque actiones, ut ſic loquar in diſtans, teſte frequenti glandis, remoto etiam admodum inde calculo, dolore.

Horum verò calculorum plerumque in renibus principium eſt, in quibus concreſcunt primæ minutiæ, & quaſi nuclei calculorum, quibus in ulteriori itinere nova apponuntur ſenſim ſenſimque, nunc plura, nunc pauciora ſtrata ad diverſam uſque magnitudinem.

Calculus enim requirit aliquam cui accreſcat tartarus baſin, uti vel adhærens metulæ cruſta docet; vel potius exempla immiſſarum in veſicam rerum brevi tempore calculo incruſtatarum, cujus experimenta paſſim leguntur.

Urinæ enim contenta ad concretionem prona ſunt, ob ſalini, terreique principii, ac mucilaginis copiam, quæ principia in iſtis viis admodùm ſtrictis atque anguſtis facilè coire ac concretionem quandam duriuſculam, ſenſim ac ſenſim dein augendam, formare poſſunt.

Pa-

Patiuntur verò ab iſtiusmodi tortore calculo non iſtæ ſolùm viæ ac partes ſecretioni ac excretioni Urinæ dicatæ, dum urina ſupprimitur, cum ardore ac doloribus enormibus prodit, ſanguis extra vaſatur vaſculis laceratis ac ruptis, indeque inflammationes, ulcera, graviſſimæque iſtarum partium oboriuntur læſiones.

Sed & per conſenſum partes aliæ, imò totum corpus graviter compatiuntur, ventriculo frequenti vomitu tentato, dolentibus pedibus, utero in conſenſum rapto, paucis ſpaſmorum ab irritatione tam truculenta oriundorum quaqua verſum facta communicatione, triſtique conſenſu ac commercio, &c.

Polypi his tortoribus ſuccedunt inter ſolidas exiſtentes genitasque in corpore cauſas; utut verò illi non æquè inferant atroces uti calculi dolores, moleſtiæ tamen ab illis natæ his vix inferiores mitioresve poterunt dici, ob angores, imminentemque ab illis ſuffocationem, hoc enim non eſt ægrotare, ſed animam agere, cum polypi viam ſanguini præcludant.

Non autem quævis concretio aut cohæſio ſpiſſioris muci poſt mortem reperti, aut ſanguinis grumoſi dicenda eſt polypus, hic enim eſt maſſa fibroſa, membranoſa, imò & lamellata, ſtratis ſibi ſuperimpoſitis ſerie quadam pellicularum.

Huic analogi ſunt narium polypi ac faucium, utut non per omnia ſimiles, nec unius generis, cum alii carneæ magis ſint indolis, alii membranoſæ, alii aquoſi ſint, & aqua repleti, qui tamen ſunt minus frequentes.

Qua effectum conveniunt cum Polypo cordis valvuloſæ texturæ arteriarumque in ſenibus oſſificatio in vicinia cordis (ad analogiam oſſis de corde cervi, vel & bovis ætate provectioris) æquè enim turbat impeditque promotionem ſanguinis ac circulationem per iſtos anfractus ac viarum efficit tum anguſtias nimias tum ineptam rigiditatem.

Si in utero aliquid ad polypi analogiam excreſcat, id quidem huc pertinebit mola verò dici non poterit; Molarúm verò geneſin non eadem à modernis ratione deſcribi notum eſt.

Notum eſt quid D. Ruyſchius circa retentionem ſecundinarum poſt abortus, in molas abeuntium ſcripſerit, habebuntque etiam iſtiusmodi conglobationes analogiam quandam molarum, licet molæ propriè dictæ appellendæ forſan minimè ſint.

Convenietque omninò diligentius quàm ſolet ab obſtetricibus fieri abortus rejectos contemplari, ac obſervare, an ſecundinæ vel integræ, vel fruſtulatim in utero adhuc hæreant, morenturque quoties enim hæc negliguntur? quoties grumi coagulati ſanguinis pellicula in ſpeciem obducti habentur pro ſecundinis, vel molis &c. præſtabit ergò fieri de iſta re certiores quàm fieri vulgo amat & Medicos & adſtantes ob ſequelas magni momenti.

Eodem ergò jure inter has ſolidas cauſas referuntur ſecundinæ retentæ; imò fœtus ipſe, à quo tanta matri imminent ac numeroſa mala, vel ab effero ejus motu ac gyrationibus ſæpè ſpaſmodicis, ab ejus mole immodica, ab ejus morbis ac debilitate, maximè verò ſi in utero eum contingat mori.

Utut enim non deſint exemplo fœtuum mortuorum feliciter editorum in lucem, aut feliciter etiam extractorum, multum tamen ſuperant exempla triſtia ac infelicia numerum eorum quæ feliciter ac ad vitam ſucceſſiſſe deprehenſa ſunt.

Vermes ad has quoque cauſas morbificas ſpectant de horum generatione non eſt quod diſputemus prolixius, generatione æquivoca hodiè dudum valdè deſtructa & quaſi in nihilum redacta à Redio, Lewenhockio ac aliis, ut nec Bonanni Jeſuita, nec Sbaraglia quidquam valeant pro ea ſtabilienda atque ex orci faucibus revocanda.

Ex

Ex ſuis ergò univoca generatione ovulis generantur vermes, utut non æquè ſit evidens quî illa & unde veniant ad inteſtina, ad inteſtina equidem cum alimentis facilè pervenient, ſed ad alias abditasque corporis Partes quî pertingant ovula vix æquè perſpicuum eſt, uti patet exemplo vermis in ſinu frontali teſte Hiſtor. Reg. in Gall. Acad. latentis & inde ſternutatorio pulvere extuorbato.

Quousque novæ Valiſnerii hypotheſes habeant locum, ac quousque corpori vermes ſint naturales ulteriori induſtriorum naturæ ſcrutatorum diligentiæ relinquendum, commendandumque eſt, ac conferenda quoque aliorum animalium vermes patientium analogia ad exemplum Redi, & Lewenhoekii, qui faſcias latas piſcibus communes oſtendit.

In inteſtinis verò vermes triſtiſſimas ludunt tragœdias, ne quidem ibi frequenter terminandas, ſed per conſenſum ſpaſmosque fibrarum ac nervorum univerſum ſæpè corpus in conſortium miſerè trahentes.

Dum rodendo fibras acutiſſimè vellicant ac mordendo, vel ſi mavis ſugendo, pro diverſa proboſcidis ſtructura; vel etiam ſubtrahendo corpori ſuccos nutritios ac chylum abſumendo; aut etiam eundem impurum & quaſi purulentum, putreſcentemque reddendo ſi eorum mortuorum cadavera in inteſtinis corrumpantur diffluantque in tabem.

Miræ verò circa hæc omnia, aliaque animalcula analoga, etiam majora, hiſtoriæ paſſim, maximè verò in Ephemeridibus Nat. Cur. leguntur, huc jam non trahenda.

Et quid dicemus de animalculis in putredine diſpoſitionum morboſarum à tot ſcriptoribus quæſitis, an cauſas illa dicemus, an producta morborum? utrumque obtinebit pro diverſitate caſuum.

Tranſeant quæ de peſte & animato ejus miaſmate alii, alii de animalculis in variolis, Lue Venerea, ſcabie,

ſcabie, aliisque affectibus pro cauſa genuina allegandis, hisque eorum morſibus, ac puncturis, ſeu roſionibus adſcribendis operosè æquè ac ſpeciosè ſolent deducere; id ſaltem caret controverſia, non repugnare rationem illorum experientiæ, qui in ſanie, pure, cruore, ſed vidiſſe animalcula atque obſervaſſe proin putredinem talem animatam aſſerunt, cum ferè nullibi non inque ipſo dentium muco Lewenhoekius detexerit myriades animalculorum, qualia vel in acerrimo piperis infuſo vitam & acquirere & protrahere prolixè docet, qui omninò videndus.

Et quid de animalibus extra corpus obviis dicemus, quorum morſus ac noxæ omninò etiam ad ſolidas ſpectant cauſas, ſaltem ex parte, ac dum diſputatur, quid dentibus, ipſique ſtimulo illorum & aculeis, quidque ſucco inde vulneri illato tribuendum ſit.

Tales enim morſus, puncturæ, ſtimulationes, & infixæ quaſi ſpinæ duplicem habent reſpectum, tum ad ſuccum virulentum inde ſanguini illatum, tanquam fermentum venenatum ſe multiplicans ac propagans, inficiensque maſſam atque exagitans eam, commovensque ad turbationem uſque mixturæ intimam.

Tum verò reſpectus etiam eſt habendus ad cauſam pungentem, ſeu alio lædentem modo ſolidam, acutamque illi conjunctam, vel etiam ſolam, quia vel ſimplici, vel duplici illo ſolido fluidoque ſtimulo concurrente, fibræ, nervi, membranæ graviſſimè irritantur inque ſtricturas aguntur dolorificas æquè ac ſpaſmodicas.

Ubi enim venenata ſtimulo fermenta junguntur fatalis læſio ubicunque fiat, ſive carnem occupet, ſive aliam partem, modò ſanguinis attingat vaſcula ac ſuccos, at verò ſi ſimplicior ſit ſtimulus in partibus ille nervoſis tamen graviſſimos excitare motus ac enormes valet irritationes.

De

De Magicis morbis, ubi ſolida etiam miris excernuntur è corpore modis, miraque ipſi inferunt tormenta, non eſt quod dicamus, cum & circumſtantiæ mirè varient, & modus, quo iſta contingant nimium adhuc ſit intricatus atque obſcurus; ulterior igitur experientia majori in luce iſta etiam ponet phænomena ac mirabiles morbos, in ſe ſatis certos.

Cap. IV.

DE SYMPTOMATIBUS IN GENERE, AC MORBIS QUIBUSDAM IN SPECIE.

NOn eodem ſemper accipitur ſenſu vocabulum ſymptomatis, nec clarè ſemper ejus explicatur ſenſus quo ſumatur, hinc multæ in ſcriptis Medicis confuſiones oriuntur, uno morbos & ſymptomata confundente, altero nimis ſolicitè ac Scholaſticè multo cum apparatu diſtinguente.

Medium tenuiſſe prudentiorum eſt, qui hæc diſtincta eatenus diſtinctè conſiderant atque tractant, quatenus commodum inde in praxi diſtinctamque affectuum præternaturalium Ideam ſibi formare didicerunt, earumque ſubordinationes juſtè inter ſe diſcernere ac diſpertiri.

Propriè enim Symptoma eſt id, quod morbum, id eſt, læſam corporis, vel in ſolidis, vel in fluidis, conſtitutionem, ſequitur, & ſic ab eo differt, aut ſaltem à Medico diſtinctè omnia conſiderante, diſtinctè quoque conſideratur & attenditur pro clariori ægritudinis & formanda idea, & medela certiori.

In Læſione autem actionum non ſolum vitium ſolidæ partis in ſe conſiderandum eſt aut ſtructuræ depravatio, ſed & quatenus illa pars perfunditur in tubulis ſuis ſpiritu ac ſucco

vitali, adeoque partes ſemper conſiderandæ ut vitales, ut jugi fluxu partium fluidarum circulantium, impetumque facientium perfuſæ ac animatæ.

Rectè verò Symptomata dividuntur in tres claſſes, actionis læſæ, excretorum & retentorum, ac mutatæ qualitatis. Actiones verò omnes, cujuscunque ordinis poſſunt augeri, depravari, imminui, aboleri; ad iſtas enim claſſes quicquid eſt Symptomatum revocari poteſt ac debet, quanquam & liberum ſit aliter ea diſtribuere ſi cui libeat.

Cum verò ad Symptomata perventum eſt pertractanda, non omnes eadem utuntur methodo, quidam & morbos & Symptomata promiſcuè conſiderant, ſecundum ordinem functionum naturalium, atque animalium, atque adeò omnia miſcent; alii verò ſolicitè Symptomata diſtinguunt, ipſosque etiam illis certis reſpectibus interſerunt morbos.

Perinde verò eſt quamcunque ſeligas viam, modò diſtincta diſtinctè tradas, methodus enim relicta eſt cujusvis arbitrio; unde fruſtrà eris ſi ea in re fueris ſcrupuloſior; nobis verò antequam de ſymptomatibus dicamus plura, de morbis, ac febribus in ſpecie, hoc capite agere libuit.

Admodùm verò generale eſt febris nomen, latiſſimè ſe diffundens, quanquam & non rarò iis tribuatur affectibus quibus non competit, interim tamen certiſſimum eſt, eam præ aliis morbis eſſe frequentiſſimam, aliisque creberrimè jungi affectibus præternaturalibus.

Alii verò febrim magis ut morbum, ut turbatam in ſanguine mixtionem, ad naturæ deſtructionem tendentem conſiderant, alii potius ut conatum naturæ moleſtam ſibi infeſtamque rem excuſſuræ, unde audias dici: Spiritum, qui regat Machinam microcoſmicam, potentia motrice, electiva tamen inſtructum, contra illud, quod inſenſum & contrarium vitali motui eſt, impetuoſo motu inſurgere ad illud amoliendum.

Cer-

Certum verò eſt, eſſe febriles quandoque ac mitiores deſpumationes, quæ ſalutares quaſi corpori ſint, & firmiorem poſt ſe relinquant in juventute præprimis ſanitatem; certum quoque eſt naturam conatus febriles non rarò ad moleſta amolienda excitare; ſed non æquè certum eſt. omnem febrem, motusque febriles univerſos eſſe tales naturæ ſibi proſpicientis conatus.

Numeroſa eſt febrium familia, nec facilè eſt omnes enarrare differentias; præcipua diviſio eſt in continuam & intermittentem; continuæ ſunt vel benignæ, vel malignæ, vel cum vel ſine exanthematibus &c. intermittentes ſunt vel quotidianæ, vel tertianæ (hæque nunc ſimplices, nunc duæ, nunc duplices, nunc benignæ, nunc malignæ) vel quartanæ, etiam ſubinde duplicatæ.

Febris dicitur vel Idiopathica ſeu eſſentialis, vel Symptomatica ſuperveniens alii morbo, vulneri, ulceri, doloribus, arthritidi &c. interim tamen etiam Symptomatica febris tamen eſt morbus licet alii morbo ſuperveniat, aliterque hîc ſumitur vox ſymptomatis quàm in ſtricta Affectuum præternaturalium diviſione.

Febris quoque dicitur vel critica ſeu cum criſi, vel ſine criſi (uti in Semioticis quoque alio ſenſu criticum opponitur Symptomatico, ſeu illi quod non vi naturæ cum euphoria, ſed vi morbi in ægri perniciem fit) ac ſine ſeparatione, aliis fientibus cum criſi ac ſeparatione, uti in podagra, pleuritide, eryſipelate, bubonibus &c. evenit, eſtque talis etiam critica febris vel benigna vel maligna &c.

In febri pulſus celer ac frequens eſt, quoniam turgeſcens orgaſmo febrili ſanguis cor obruit, ac tendit, ſtimulatque ad frequentiores contractiones; non verò ideò, quod ſpiritus animalis (ut loquuntur quidam) omnem ſuum contra cauſam morbificam motum in muſculis peragat, cor

verò ſit muſculus principalis, neque enim iſta electicè & quaſi ſcienter agit ſpiritus animalis contra morbificam cauſam ipſi ſane non cognitam, cum deſtituatur cognitione, utpote materialis.

Nec procedit ſemper illa analogia, quâ dicunt, quod, uti motus cordis & arteriarum naturalis dependeat à particulis elaſticis ſubtiliſſimis tàm ſpirituum animalium, quàm ſanguinis, ſic quoque præternaturalem, & qui in febre fiat, ab eodem fonte eſſe derivandum; alia enim eſt ratio ſanguinis in mixtione turbati, alia ſani; ac in ſtatu præternaturali cordis ſanguinisque motus non à ſolis pendet ſpiritibus, ſed ab ipſa quoque ſanguinis turbatione, conſiſtentia ac craſi, ac ſolidarum partium irritatione &c.

Mixtionem ſanguinis turbatam omnia in febribus teſtantur, ſed quæritur, an rectè dicatur, motum cordis auctum præternaturaliter mixtionem ſanguinis turbare, & tam circulationem, quàm inteſtinum ſanguinis motum reddere inæqualem; cum potius videatur à mixtione turbata oriri turbationem illam motus cordis ac circulationis, inteſtino ſanguinis motu ſimul jam antecedenter cum ipſa mixtione depravato ac deſciſcente.

Ad turbationem mixtionis in ſanguine ſufficit, cum vinculum ac proportionata miſcela heterogenearum particularum ſolvitur, earumque ordo naturalis (qualis ſaltem in fluidum cadit) ac ſitus inter ſe invicem immutatur, facto earum paſſim receſſu à ſe invicem inæquali ſub orgaſmo inde enato, licet particularum magnitudo, ac figura non ſtatim immutetur.

Carteſiani uti calorem ſanguinis naturalem inteſtino particularum ætherearum in poris ac interſtitiis ſanguinis motui adſcribunt, ita præternaturalem atque fortiorem à violenta & celerrima ætheris per eosdem trajectione deducunt; verùm

ſupra

ſupra jam monuimus ætheri vix iſta poſſe adſcribi, potiori tamen jure aëri, ſed nec illi ſoli.

Neque credendum impulſu cordis fortius vibrantis ætherem in ſanguinis poris hoſpitantem in motum celerrimum circularem excitari, qui deinde demùm inordinatè corpuſcula ſanguinis exagitet, fluidas & mobiles diſſipet, maſſam inſpiſſet &c.

Æther enim partim in poris ſanguinis non ita habitat aut hoſpitatur, ſed jugiter per ſanguinem celerrimèque fluit, nec à motu cordis in motus iſtiusmodi circulures atque ataxias rapitur, quæ demum pervertant ſanguinis moleculas, utpote quæ jam turbatæ ac perverſæ illum cordis fortiorem motum ſuo orgaſmo impetuque excitant & afficiunt.

Turbis igitur illis, æſtuique Vigiliæ, ſitis, urina tincta, pauca, delirium, ingentes capitis dolores adſcribi debent, non tamen ætherearum in ſanguine particularum effero motui atque attritioni cum moleculis ſanguinis vehementi.

Fermentationem alii quærunt in febrili ſanguine, alii negant atque explodunt; ſtrictè dictam fermentationem & in naturali & in morboſo ſanguinis ſtatu excludunt multæ circumſtantiæ, latè verò dictam fermentationem, quam non aliter ac mixtionis turbationem ſolent deſcribere, liceret ipſis facilè largiri atque admittere, in verbis enim faciles erimus, modò conveniamus in re.

Intemperiem in febribus alii maximè conſiderant, alii eam nec attendunt nec admittunt, dicentes, calidam intemperiem nihil facere ad naturam febrium, nec in quartana ſanguinem acida, nec in quotidiana pituitoſa, nec in tertiana biliosa laborare intemperie.

Poſſent verò illi facilè conſentire ſi vellent; illa enim omnia cum grano Salis accipienda ſunt; cum ad minimum intemperies in febribus probè ſit attendenda, & non eadem

ſit ratio turbationis in mixtione ſanguinis ſub quavis febri, unde bilioſam magis in tertiana calidamque diſpoſitionem, quàm in quotidiana aut quartana ipſa illorum morborum ſymptomata ac circumſtantiæ docent.

Nec obſtat, quod intemperiei aut turbatæ mixtionis reliquiæ etiam febre curata ſuper eſſe poſſint ac ſoleant; unde etiam tam faciles, frequentesque recidivæ; non tamen idem gradus eſt turbationis, ſed quædam potius reliquiæ, ne quidem ſemper relictæ; uti pauciſſimi morbi curantur, ut nullas poſt ſe reliquias relinquant.

Cum citò ſæpè, promptiusque curentur febres, in eam aliqui opinionem devenerunt; non latere in tota maſſa ſanguinea cauſam febrium materialem; ſed nec prompta hæc curatio impedit, quo minus totum labes iſta occupet ſanguinem, neque enim illa in ſimplici febri ad eum ſe habet modum uti in cachexia, ſed potius conſiſtit in turbis excitatis in maſſa iſta tot heterogeneis conſtante particulis, quibus ceſſantibus haud difficulter priſtinam in ordinem pacatumque motum redeunt confuſæ prius partes, ſin vero profundior ſit ſanguinis labes, nimiaque ad Cacochymiam, inclinatio, tum ſanè non raro febres ſatis imò nimium ſunt diuturnæ, imò ſæpe vix ullis cedunt remediis.

Cum autem ſanguis intemperatus & viſcerum obſtructiones diuturniores, & curatu difficiliores reddere febres dicuntur, id de obſtructionibus viſcerum radicatis, proprièque ſic dictis nemo diffitebitur, de intemperato autem ſanguine res non æquè evidens eſt, qui reverà in omni febri intemperatus cum ſit, non poteſt vel diuturnitatis, vel difficultatis in tollenda febri cauſa eſſe, niſi, uti prius dictum, nimia acceſſerit cacochymia, quo caſu non ſola febris conſideranda ſed conjunctum majus malum cachexiæ. Cæterum curationis difficultas non eadem erit reſpectu diverſorum remediorum, ſupponendum enim congrua atque adæquata adhiberi.

Uti

Uti dubium eſt nullum, glandularum inteſtinalium & meſeraicarum obſtructiones poſſe remotiorem febrium cauſam conſtituere, ita tamen eam perpetuam omnis febris cauſam eſſe omni caret probilitate.

Multa dicuntur de fermento ſui multiplicativo, quod in minima quantitate inficere queat ſuccos vitales, certoque tempore agat, deinde quieſcat, ſicque febrium cauſa ſit; ſed nota ſunt in genere fermentorum fata; olim non niſi fermenta inter Medicos audiebantur, nunc ea alii, quibus antea arriſerant proſcribunt planè; res videtur in æquivocatione quadam tanquam cardine verſari; ſi fermenti vox ſtrictè ſumatur, nemo hypotheſin talem facilè tueatur, ſi verò latiori in ſenſu pro omni ſucco vel miaſmate peregrino ſanguinem turbante ſumatur, haud video quî adeò metuendum ſit à modo loquendi ſatis innoxio; rem ipſam enim etiam negantes fatentur.

Obſtructiones vaſculorum & glandularum cutanearum ſive à cauſis internis, ſive externis, ſi enaſcatur inde tranſpiratio impedita non infrequens febrium cauſa evadunt, frequentiſſimam nemo facilè dixerit, ſi innumeras quaſi turbandi ſanguinis occaſiones cauſasque penſitaverit; in impedita verò tranſpiratione conſideranda quoque humorum nunc laxior, nunc ſtrictior diatheſis, probèque pori à glandularum oſculis vaſculisque cutaneis ſunt diſtinguendi, ac ſudor à tranſpiratione.

Quemadmodum verò aliqui in poris vaſculisque cutis à viſcida materia obſtructis, fibrisque nerveis inde ad ſtricturas ſpaſmodicas irritatis atque excitatis quærunt cauſam febrium, ita alii malunt eam in primis viis, viſceribusque infimi ventris collocare, neutri vel ſibi vel aliis ſatisfaciunt, ob ingentem quæ in his obtinet varietatem cauſarum nec eidem parti, nec agendi modo eidem facilè adſtringendam.

Eſt omninò in horrore & rigore febrili conſtrictorius fibrarum atque concuſſorius motus, ac tenſio peculiaris, creberrimis

ſpaſti-

ſpaſticis tractionibus cutaneas quoque fibras laceſſens; verum ille non extimas modò illas ſuperficiei cutaneæ partes occupat, ſed per omnem nervoſi ſyſtematis ambitum ſuas paſſim exerit ſtricturas celeres, frequentes, citatasque, ſive ab externa fibræ laceſſantur cauſa, ſive ab interna acri, premente, tendente, aliâve quacunque; nec debet confundi frigus ipſum cum motu ſtrictorio vago illi accedente ac juncto,

Febrile frigus in paroxyſmorum acceſſione maxime viget in febribus intermittentibus, potiſſimum tertianis quarum intenſius eſt frigus ac diuturnius. In continuis varium nunc intenſum, nunc leve, imò in malignis obſcurum ſæpe ac fere occultum; atque ut tota morbi ratio ac mos ſubdolum. Magnum ſæpe in Eryſipelate.

Alia eſt refrigeratio corporis & artuum cumprimis in morborum fine, triſtis ſane ac fatalis ſi ab inflammatione interna oriatur, qualis ſupervenit herniæ incarceratæ, aliisque affinibus affectibus in ſphacelum tandem abeuntibus; alia quoque certarum partium refrigeratio, ſeu ſenſus frigoris in illis perceptus, qualem hyſtericæ in vertice frequenter percipiunt.

Cauſa frigoris in ipſa aliquando ſanguinis ſeroſa, vapidaque diſpoſitione quærenda, non tamen ſemper, cum calidior etiam ſanguis ſub ſtaſi, motuque tardiore, ac ſub circulo per minima & circumferentiam minus vivido frigoris imprimere ſenſum ſoleat privative quaſi.

Quæ calorem præcedunt Symptomata, pandiculatio, corrugatio cutis, dolores artuum, dorſi, vomitus, ſuppreſſio ſudoris, urinæ, rigor, frigus, concuſſiones, ac tremores partium, cutis & muſculorum cuti ſubſtratorum ſpaſmodicæ contractioni deberi videas aſſeri; notandum tamen iſta non omnia hanc agnoſcere cauſam, quæ potius inter effectus aliûs communis cauſæ ſit referenda, cum & illa cutis connexarumque

que ac vicinarum partium ſtrictura ſpaſmodica derivanda ſit à fomite ac fonte reliquorum ſymptomatum, ſanguine ſcilicet turbato, cordis gravante fibras ac laceſſente, indeque tanquam ex centro ad omnem corporis partem transmittente per conſenſum illum ſummè ſenſilem, ac notiſſimum ſimiles ſtricturas ſpaſmodicas, per connexos arctiſſimè nervorum plexus facillimè propagandas.

Quærunt inter alia Medici, quonam febris tempore vel ſtatu moriantur ii, qui febribus intermittentibus moriantur; non admodùm vel neceſſaria, vel utilis videtur quæſtio; ſi enim de intermittentibus malignis ſermo ſit, vix obtinebit tempus quod allegari, atque accuſari audias; dicunt enim in ipſo frigore, convulſionibus adductis mori, cum tamen in malignarum exacerbationibus vix niſi in principio frigus enorme ſentiatur; benigniorum mos ille eſt, qui crebriori ac vehementiori frigore concutiunt quaſſantque corpuſculum ægrotans; ſed in illis rarior eſt mors, & ſi ex febris diuturnitate conſequatur tandem, non tam febri debetur, vel in frigore continget, quàm contractæ ſub mora febrili cachexiæ ac vappeſcentiæ erit adſcribenda.

Non igitur frigus occupat corporis ambitum, quod extrema corporis vaſcula ſpaſmo conſtringantur, ac ſanguis ex iis exprimatur ac retrocedat, quin potius accuſandus interiorum partium labor gravior, ac turbati ſanguinis ſpiſſior confuſio, internos ſpaſmos excitantes cauſæ, qui ad cutis quoque ambitum diffunduntur, ibi non nati vel primitus producti.

Eadem ratione circa caloris febrilis originem ſubducendus eſt calculus quem non audemus deducere ab æthere compreſſionis impatiente quique intra ſanguinis concitati particulas conſtringi ægrè ferunt, indeque vi ſua elaſtica amplius affectans ſpatium, ſeque in priſtinum reſtiturus ſpatium, poros ſan-

guinis perrumpat , ejus particulas in circulum gyret , unde motus augeatur , pulſusque fiat celerior , indeque intenſiſſimus naſcatur calor; hanc ſanè ætheris indolem non audemus allegare , quam aliam novimus , nullibi certè intra talis fluidi moleculas ita coercendam, comprimendamve, ut eluctandum ipſi ſit, cui vel ſolidiſſimorum liberè patent pori univerſi corporum, qui nullis eorum repagulis coercitus liberrime per ea fluxu ferri à nullo non philoſophorum ſaniorum ſupponitur.

Non dubitamus equidem ſanguinem turbatum , aggeſtumque ob ſpiſſitudinem circà præcordia cordis muſculos & gravare & gravius laceſſere , ſpiritusque ſub iſtis laboribus fibrarum provocare ad vividam ſanguinis conquaſſationem, indeque naſci calorem fluidi ſanguinei , particulis jam ad aliquam criſin, feceſſumque tendentibus ac properantibus; verùm id non eſt à ſtricturis cutaneis ſanguinem retrò ad cor pellentibus, ſed à domeſtico ſanguinis vitio, turbatione ac craſſitie , fontibus ſpaſmorum ad exteriora ab internis tendentium ac communicatorum.

Non idem omnes circa ſanguinis in paroxyſmo febrili circulationem conſentiunt , quibusdam eam tum auctam ſtatuentibus , cum fortius crebriusque pulſet cor cum arteriis; rectius tamen ii loquuntur, qui laborioſam potius dixerint circulationem ſanguinis confuſi ac ſpiſſioris , minusque qui per tenuiſſima promptè ſatis feratur vaſcula apti, unde major cordis, frequentiſſiorque, niſius ac celerior ab irritatione pulſatio; celeritas autem pulſus non infert celerem ſanguinis ſub circulo ſuo promotionem , quam indicium potius oneris , obicisque libero motui poſiti, dixeris, quàm vigoris ac promotionis indicium &c.

Neque verò ſemper vehementia & plenitudo pulſus adeſt, ſed ſæpè pulſus debilis & parvus eſt; quanquam non in iſto tantùm ſtatu tardior ſit ſanguinis per cordis thalamos promotio

tio, ſed & in forti celerique pulſu, ut dictum modò, quoniam aſſiduo ob ſtimulum, onusque labori non reſpondet æquè larga fluidi vitalis promotio, propulſioque, quæ celerior extra illas ſanguinis turbas ſub tardiore contingeret eveniretque pulſatione ac Syſtole.

Solutionem paroxyſmi tum fieri cenſent quidam, cum circulatio ſanguinis, quæ in paroxyſmo fuerit inæqualis, ad æquabilitatem priſtinam redeat, apertis ſcilicet rurſus vaſculis antea obſtructis; Utut verò vaſculorum tempore paroxyſmi obſtructiones omninò adſint, formalem tamen ejus rationem non abſolvunt, neque exhauriunt, ſed ad turbas quæ in mixtione ſanguinis exurgunt, luctamque partium fluidi Vitalis heterogenearum potiſſimum in aſſignanda illa cauſa erit reſpiciendum; ſive enim vaſculorum obſtructionem per infarctum particularum ſpiſſiorum, ſive per conſtrictionem ſpaſmodicam ſupponas, eamque vel in cutaneis, ſaltem, vel in internis quoque viſcerum tubulis ac vaſculis, ſemper tamen effectum potius allegabis, aut Symptoma concomitans, quàm cauſam paroxyſmi.

Major verò in inteſtino ſanguinis motu eſt inæqualitas, quam in circulari, cujus molimina quidem ſunt longè ob turbas conſiſtentiamque mutatam operoſiora ac moleſtiora, plerumque tamen ſatis æquabilia, utut naturalem rhitmum non referentia, ſed auctis, citatisque conatibus facta, fortiusque arteriarum latera pulſantia, inteſtino motu planè confuſo exiſtente.

Hinc in declinatione paroxyſmi non tranſpiratio ſolùm præcedit largior, ſed & ſudor manat copioſus, ſolvens paroxyſmum, turbis jam in ſanguine quodammodo ceſſantibus, ac impuris moleculis, ſub quadam quaſi maſſæ fuſione ac colliquatione ſecedentibus, perque oſcula cutanearum glandularum excretis.

Imò quemadmodùm in ſtatu rigoris, frigorisque febrilis ſolent allegari ſtricturæ ſpaſmodicæ, ſive cauſæ, ſive effectus ac Symptomatis habentes rationem, ita & inexcretionibus iſtis declinante paroxyſmo, vel per ſudorem, vel per urinam, ſalivamque factis non ſola ſanguinis fuſio ſeu colliquatio quædam excipiens præcedaneam confuſionem, ſed & conſtrictiones ſpaſmodicæ, & laceſſitarum fibrarum oſcillationes, iſtas nunc viciſſim urgentes excretionum ſucceſſus conſiderandæ ſunt accuſandæque, quò ſic à moleſta mole fibræ liberentur, antea à partium detentarum, tardiusque motarum ſub confuſione onere preſſa.

Quod verò annotatum legimus; in omnibus affectionibus & contractionibus ſpaſmodicis, ac intenſis doloribus levem præcedere horrorem, rigorem, & deinde ſubſequi incaleſcentiam corporis cum pulſu celeri; id equidem haud difficulter agnoſcemus in diverſis caſibus, nec infrequenter; de omni tamen dolore, reclamante experientia ac frequentibus exemplis id non audeas affirmare, nec de omni contractione ſpaſmodica, tum particulari, tum univerſali, neque enim iſta ſemper comitatur vel præcedit diſpoſitio febrilis, utut nonnunquam conjuncta.

Cum nemo facilè excludat primas vias, abſolvatque à ſede ſeu fomite febrilis materiæ, cum in canale tam amplo ac protenſo, inque innumeris ejus plicis, valvulis, gyrisque hærere heterogenea multiplicia, copioſaque queant; dubites tamen an corpus præcisè villoſam ſeu mucoſam tunicam ſedem illius materiæ peccantis, ſanguinemque inficientis conſtituas, in qua primò acidus, viſcidusque reſideat humor, tranſeuntem inquinens febrili charactere ſanguinem; ſufficit in ampliſſimo iſto canali liberè fluctuare & bonos & pravos humores, oſculisque lacteorum vaſculorum occurrere, quæ inde abſorbeant ea, quæ poſſunt capere atque ad chyliferum transmit-

mittere ſacculum , indeque cum ſuccis reliquis ad ſanguinis maſſam.

Bilis ac ſuccì pancreatici vitia eo ipſo chyli elaborationem turbare valent , quod naturalis iſtorum ſuccorum diſpoſitio ad digeſtionem præcipuas conferat partes , poterunt igitur & iſta vitia viam, fomitemque ad febres ſtruere, non tamen omnes , cum iſtis etiam ſalvis turbæ oriri in ſanguine queant, facilè tamen poſtea & in hos ſuccos redundantes, ut ſic eorum vitia viciſſim effectus febrilis rationem crebrò habeant non cauſæ,

Mineram febris frequentiſſimam efficiunt cibi pravè digeſti, inque cruditates collecti in tubo inteſtinali ; in caſibus quoque ſpecialibus cibi cum nauſea aſſumpti , qui & animi affectuum vim in turbanda ſanguinis mixtione oſtendunt, tales enim cibi non tam prava ſua qualitate , quàm averſione mentis intenſa turbant maſſam ; alios verò paſſionum fortiores motus , iisque ſuperingeſtus cibus vix producent febrim niſi remotius , tonum fibrarum ventriculi debilitando , fraudandoque ſpiritibus neceſſariis ad functionem digeſtoriam cum vigore perficiendam.

Cum febres ſunt Epidemicæ , audias accuſari aërem variè à ſolis vario poſitu , ventorumque agitatione in temperatum, nec immeritò; licet non præcisè producat febres particulas ſalinas, irregulares corpori, & poris cutis communicando, & turbent ſanguinis mixtionem , & cutis obſtruant poros; neque enim apparet, quî iſta miaſmata præcisè debeant eſſe ſalina, & ſalina quidem irregularia ; neque pori ita promiſcuè admittunt extraneas particulas vel ab iis obſtruuntur, nec illam obſtructionem ſequeretur ſtatim febris; varia potius heterogenea talis aër corpori ingerit, ipſa etiam ex aliis febricitantibus exhalantia , potentiſſimum fermentum ſanguinem turbans, ut taceamus impreſſiones fortiſſimas humidi, frigidi,

calidique aëris in fibras corporis, harumque natas inde exterius interiusque ſtricturas.

Neque tamen dubitandum ſolam hanc febrium cauſam non eſſe, cum & graviora digeſtionis vitia creberrimè eas excitent foveantque & viſcerum exortæ paſſim obſtructiones, quanquam & iſtæ crebrius adhuc, ubi deprehenduntur, effectus habeant rationem quàm cauſæ, ſintque productum morbificum ex febri diuturna, lentore ſanguinis ſenſim aucto, partibusque viſcidis in tubulorum anguſtiis non promptè ſatis ob conſiſtentiam tenacitatemque promotis.

Tranſpirationem impeditam inter cauſas referri febrium non infrequentes novimus, quæ igitur eam ſufflaminare apta ſunt inter præcipuas recenſeri cauſas merebuntur, non illa tamen ſolùm quæ extrema vaſculorum cutaneorum obſtruunt in hunc veniunt cenſum, ſive ſtringendo agant, ſive foris vel intus obſtruendo, ſed & illa potiſſimùm quæ incraſſare ſanguinem, ſerum illi intimius incoctum incluſumque retinere, motumque ad peripheriam corporis impedire valent.

Inconcuſſa porrò veritas eſt, poſſe & cohibitam tranſpirationem febrium recidivas, efficere, unde & petunt rationem recidivarum ex mora in locis humidis & aëre craſſiore refertis tractâ, quanquam non ſola tranſpirationis cohibitio, ſed & humidarum, ac ſimul plerumque frigidarum particularum impreſſiones in fibras corporis factæ, quin & miaſmata interius hauſta novis tum turbis anſam ſubminiſtrent; quod evenire arbitramur in templo, cujus frequentatione oriri recidivas vulgatum eſt; quanta enim ibi miaſmatum varietas, mixtura, multiplicitas, & tenero, convaleſcentique corpuſculo vix ferenda impreſſio ex tanto hominum variè affectorum agmine, quorum miaſmata miram efficiunt combinationem.

Uti ciborum digeſtio prava, inſufficiens, præcipitata febri-

febribus mineram, materiamque ſtruit, ita & excrementorum retentio, non eorum ſolùm quæ primis ex viis debebant egeri, ſed & quæ aliis ex emunctoriis excernenda erant, turbationem mixturæ ſanguinis frequentem efficiunt, non materiali ſolùm ſua vel admixtione, vel, ut ſic loquamur regurgitatione, ſed & fibrarum nervearum ac muſcularium inde oborta tenſione & gravatione, quæ anſam dant ut inſurgant fibræ ad hoſtile moleſtumque excutiendum, unde faciles in ſanguine turbæ.

In confeſſo eſt, non eadem omnes facilitate febribus corripi; dicitur paſſim, ſenſibiliores facilius in febres incurrere, eosque qui ad iram ſint proni, ac plethorici; iram directè febrim excitare vix dixeris; ira furor brevis eſt; ſed & mania furor eſt, at ſine febre; plethora non æquè ac Cacochymia ad febrim diſponit, licet illi quoque omninò ſit expoſita; eſſe autem ſenſibile corpus æquivocè dicitur; ſenſibilitas non qualiscunque aptitudinem ad febres involvit; alia ſenſibilitas eſt prona ad moleſtum excutiendum, eliminandumque & talis febres abiget; alia eſt diſpoſita ad externas quascunque tempeſtatum, miaſmatumque impreſſiones recipiendas, ac ab iis patiendum, hæcque ad febres omninò diſponet.

Cum quæſtio incidit de febrium intermittentium differentiis, cur nunc tertiana, nunc quotidiana, nunc quartana emergat, cur paroxyſmi nunc ſint longiores, nunc breviores? audies adduci cauſam materiæ febrilis quantitatem, & qualitatem variam, quæ ſi vel magis, vel minus copioſa, acris, vellicans, acida, ſalina, ſulphurea exiſtat, pro varietatis illius ratione nunc hæc nunc illa febris oriatur ſpecies, longior breviorve paroxyſmus.

Uti verò differentiam eſſe inter febres, ac febrium & ſimilium & diverſarum paroxyſmos extra controverſiam eſt, ita

ita præſtabat forſan ſpecificam ac peculiarem cuivis ſpeciei aſſignare cauſam ; ſique regeras , hæc ſpecialius determinanda eſſe , quænam ſit hæc differentia ſpecifica , quæ diſtinguat quartanæ cauſam , à cauſa tertianæ , laudabo zelum tuum & ἀκρίβειαν , ſi non arbitratias quasdam cauſas ſed rem ipſam dixeris ; nec diffiteberis tamen , æquè tibi id fore difficile ac circa res alias artis noſtræ ſpecialius determinandas , ubi frequentiſſimè hæret qua à partium ſtudio alienis.

Si dicas : Eſſe in quotidianis & tertianis acredinem materiæ febrilis majorem quàm in quartanis , & quæ tardius recurrunt, in quibus major viſciditas & copia delinquere ſoleat; materiam enim morbificam, quò acrior ſit ac mobilior , eò citius vellicare fibras , illasque ad contractiones ſpaſmodicas adigere, ſicque paroxyſmum febrilem citius accerſere, ac vice verſa ; qui & eadem proportione poſtmodum duret ac decurrat.

Id ſolùm obſtat, quod in tertianis v. g. benignis, homines ſanos hactenus adorientibus ea non ſit humorum acrimonia, nec quartana excludit acrimoniam , ſed eam ſæpè junctam habeat acrimoniam , nec eadem febrium , quæ ſalium in ſanguine proportio eſt , nec ſanguis magis ſalinus eo ipſo mobilior eſt ; poteſt & viſcidus, torpidusque ſanguis ſcatere ſalibus, imò & ſulphure in ipſa etiam quartana, quæ non ſemper iſtum humorum ſupponit lentorem , ſi maximè epidemia ſit, qualis omnium temperamentorum homines adoritur , ac cum ſulphureo , & acri ſanguine quàm optimè poteſt conſiſtere; ſi quidem demus enaſci eam aliquando ex torpore viſcidi ac imbuti acido ſanguinis , ſuppreſſo principio ſulphureo.

Nec ſanguis acribus, ſulphureisque ſcatens partibus eò ipſo movebitur exurgetque in paroxyſmum brevioribus intervallis pro cudenda tertiana, neque enim illi ſucci conſiderandi tan-

tanquam ſtagnantes in loco libero atque amplo ſui quaſi juris exiſtentes, ſed tanquam incluſi intra vaſorum infinitorum glomerem perpetuòque per eorundem anguſtias inexplicabiles circumpulſi ac conquaſſati, non ad arbitrium, ut ſic loquar ſuum, moti; motus fluidorum à ſolidis, à fibris pendet, illæ ſi citius undecunque vellicentur, citius turbabunt circuli ordinem qualiscunque fuerit humoris agitandi vel acrimonia vel conſiſtentia; ſi verò ad inteſtinum reſpicias motum, & turbationem mixturæ, illa eveniet accedente vel miaſmate, vel fermento, vel ſtimulo, committenturque inter ſe heterogeneæ partes qualicunque adſint proportione.

Durabit autem paroxyſmus donec ſubſideant maximæ ſanguinis turbæ, & fibrarum ſtricturæ, ut turbatæ confuſæque partes ſecedere ab invicem valeant, ſerumque jam à compedibus aliarum partium extricatum ad peripheriam ſub ſudoris ſpecie expellatur ac diffluat remittentibus internis externisque ſpaſmis ſeu ſtricturis innumeris fibrarum; quod non poteſt non inæqualibus temporum accidere intervallis pro ægrorum individuali diſpoſitione quà humores & tonum fibrarum.

Dictis modò fundamentis nituntur multæ aliæ Authorum theſes circa febrium doctrinam; ad hanc enim humorum diſpoſitionem attendentes dicunt, verno, æſtivoque tempore fieri magis febres quotidianas & tertianas, easdemque facilius ſanari; in autumno autem & hyeme magis quartanas easque contumaciores, curatuque difficiliores.

Sed nec iſta ita ſemper eveniunt, cum frequenter contrarium obſervetur, cum promiſcuè febres omnis generis iſtis anni tempeſtatibus graſſari videamus, nec alia temporum illorum, verni v. g. & autumnalis ad humores prædictos ratio, proportioque ſit; curandi verò facilitas, vel difficultas multum à medendi methodo, remediisque congruis,

vel minus aptis pendet ; nisi præcedanea insignis cacochymia obstinatas reddat atque intractabiles quartanas.

Quandò autem ex eadem humorum differentia inferunt, eos, qui sanguinem crassum habeant ac viscidum magis corripi quartana , qui verò alant acrem & bilioſum tertiana magis simplici laborare; id equidem largiri ipsis decet, posse haud rarò istiusmodi observari exempla , sed res non est veritatis perpetuæ, cujus epidemicæ febres luculenti testes esse queant, quæ sive tertianæ sint , sive quartanæ , omnis generis homines , omnique temperamento præditos corripiunt , nec ad hanc præcisè humorum disposition attendunt.

Tale quoque axioma est , citius curari febres tertianas ipsis quartanis, quoniam illarum materia morbifica longè existat mobilior ; quæ quidem cum grano Salis accipi debent, cum nec illa major mobilitas perpetua ac universalis sit , nec verum fundamentum majoris in curatione facilitatis; sunt sanè & tertianæ difficilis curationis , & quartanæ facilis, si justa agas methodo, congruisque remediis ; æquè diuturnas noveris tertianas, ac quartanas , imò cum his certantes & pertinacia & diuturnitate,atque inter ipsas tertianas, imò & quartanas magna differentia est ; hæ si difficulter curentur , non id inde est, quod causam habeant non mobilem sed quod turbæ sanguinis sint profundiores , nec tam facilè coercendæ, compescendæque sed radicata altius cacochymia foveantur, quæ non cedat quibuscunque remediis.

Et quid censendum de Canone , quem priori jungunt, desumptum à juvantibus, cum aiunt, in quartanis acidum & viscidum delinquere exinde patere, quoniam Emetica & purgantia in illis vix operantur, & fortior vigeat appetitus. Demus verò. quod concedendum omninò est, sæpe in quartanis viscidum prædominari , & in viscido acidum eminere; non tamen id omnem quartanæ indolem exhauriet , nec perpetua

petua ac unica erit cauſa ; Sed nec univerſalis eſt Emeticorum & purgantium in quartanis torpor & impedita efficacia, reclamat frequenter experientia; nec eadem purgantium quorumvis ratio eſt; idem & in tertianis contingit ſubinde ; ſed & frequens ab illis febrium recidiva ; adde quod non in humores modò iſta agant fundendo , quibus acidum ſeſe facilè jungeret, & moventibus auſcultaret,ſed & in fibras ſtimulando, quæ in utraque febri nunc ſunt ſenſiliores nunc torpidiores; & quid dicemus de appetitu , qui ſanè & in tertianis ſubinde nimius eſt ad voracitatem uſque, & in quartanis crebrò admodùm torpet languetque.

Imò ſunt inter ipſa quæ hinc derivantur axiomata, quæ deſtruant magis theſin quàm roborent; qualis illa eſt: Quemadmodùm pro diverſa conſtitutione materiæ febrilis febrium typi vel accelerantur , vel retardantur, ſic alterata & mutata materiæ morbificæ natura, mole ac motu febrium oritur transmutatio. Transmutatio enim certa eſt, certum quoque hoc, factam eſſe tum in cauſa mutationem, ſed non hanc præciſe; quî enim tàm ſubitò ex mobili fiet torpida, ex ſalina, acri, ſulphureâ ac quaſi volatili, acida & viſcida , cum tertiana tranſit in quartanam; videtur ipſe talis tranſitus ſuadere cauſas haud adeò è diametro oppoſitas , ſed propius ad ſe invicem accedentes, magisque quam forſan crediderint inter ſe convenientes; & cur diminuta ſub decurſu tertianæ febris cauſæ mole oriretur quartanæ, in qua major ſupponitur quantitas febrilis materiæ quàm in illa neceſſaria ad eam producendam?

Statæ paroxyſmorum periodi perpetuam nunquam non Medicis cauſam inveſtigantibus fixere crucem ac ſolicitudinem, haud facilè eximendam. Dicunt quidem , febres ſtata hora ac die recurrere ideò , quod præſupponenda ſit generatio febrilis materiæ in certa quantitate ac qualitate , quæ fibrillas partium vellicare, & ſpaſmodicè afficere apta ſit; requiri cer-

tam quantitatem & qualitatem materiæ peccantis nemo vocabit in dubium, ſed id generale nimis eſt; ubi latet, ubi colligitur, ubi aſſervatur, quo fermento tingitur & immutatur iſta materia febrilis? cur tanto ordine, tanto præciſionis momento erumpit in proſcenium? & cur ſolam fibrarum irritationem ab illa faciendam accuſamus? annon potius aget in humores, eos turbando, mixtionem confundendo, motum fermentatorium ac turbatorium inducendo, cujus niſus ac turgeſcentia fibras demum irritet? & ſi quidem ſubinde hæ prius afficiantur, ſuccos tamen quoque à cauſa illa turbati atque affici in propatulo eſt.

Nititur quidem prior canon, alio canone: In omni paroxyſmo cum maxima pars morbificæ cauſæ diffletur, neceſſe eſt, ut requiratur certum quoddam tempus quo iterum fiat certa collectio apta ad iſtam quæ requiritur vellicationem. Sed non defuerint forte aliis quæ hic regerant; non requiri forſan tantam materiæ copiam ac collectionem, in minimo plerumque conſiſtere ſtimulum, ſi maximè cum Mortono in ſpiritibus & nervorum ſyſtemate figas febrium ſedem, cauſamque in eorum ſtimulatione ac irritatione. Si verò in quovis paroxyſmo maxima cauſæ pars diffleretur, omnes febres brevi ultrò ceſſarent poſt paucos paroxyſmos; quid ni erumpere atque invaleſcere, rurſusque ſeſe abdere ac deliteſcere aliquo intervallo queat cauſa haud penitus, ut videbatur, diſcuſſa.

Nec comparatio, quam adducunt nonnulli, Microcoſmi cum Macrocoſmo rem evidentius declarat, dicunt quidem in Microcoſmo æquè ac macrocoſmo ſeu natura rerum omnia certo numero, pondere, menſura, & tempore fieri; res enim ipſa non negatur, ſed cauſam æquè utrobique ignoramus; imò ne quidem iſto collatio ac convenientia ritè congruit, obtinetve, paroxyſmi enim tempeſtatum naturæ nos ambientis, ſeu viciſſitudines tempeſtatum, pluviarum, ventorum, tonitruum, fulgurum, terræ motuum &c. nulla ſtata habent tempora,

pora, uti febres, ſed vago, quà notitiam ſaltem noſtro accidunt intervallo, periodoque incerta, ſicque obſcurum per æquè obſcurum vix commodè explicabitur.

Paucis, difficile eſt hactenus ſtatarum periodorum in morbis, tum his tum aliis acuratas, ſufficientesque allegare cauſas, id certum eſt, eſſe in morbis periodicis multum tribuendum conſuetudini, ſeu ſpecifico ac determinato motui ſpirituum æquè ac fibrarum, ſi ille per actus plures fuerit repetitus; eamque conſtantiam atque ad habitum quaſi tendentium naturalia æquè ac præternaturalia in morbis docent phænomena.

Ipſa illa quæ circa cauſas febrium obtinet incertitudo efficit, ut de remediis quoque tam differentia audiamus judicia, eaque ab uno commendari, quæ ab altero alii theoriæ aſſueto, aliisque principiis imbuto tanquam noxia rejiciuntur; ſive interna illa ſint ſive externa; ut taceamus plurima ſuperſtitioſa.

Inter interna & ſpecifica principem obtinet locum China Chinæ, ſeu Peruvianus ille celebratiſſimus cortex, qui laudatur ab his culpatur ab illis, idque ideò potiſſimùm, quod circa cauſas febrium, & conſequenter circa modum eas corrigendi nullus adhuc ſit conſenſus, unde laudabile in ſe divinumque remedium (nonnullis quidem non aptè, atque imperitè adhibitum) tot ſubjacet judiciis atque imputationibus, quæ recto ſub uſu evaneſcunt omnes & contemnuntur.

Licet præcisè haud determines, an agat cortex ille ſpecificus ea ratione in ſanguinem, ut texturam ejus ac craſin, ne materiam febrilem dimittat, roboret, & ipſos porulos ac vaſcula ſubcutanea nimis laxa & ad ſtaſin humorum diſponentia blanda conſtrictione firmet, ipſisque novum robur ac vigorem inducat.

Iſte enim agendi modus nonnullis placens vix obtinebit, cum nec tam diſtantem in cutaneis partibus ac vaſculis operationem cortici liceat aſſignare, qui probabilius in primis

mox viis, earumque ſuccis ac cruditatibus vim ſuam amaram, tonicam, reſinoſo-balſamicam exſerit, illamque ad ſanguinis quoque crudiores, turbatosque transmittit ſuccos, uti & affinis illi chaquerilla eodem fundamento tutiſſima in iisdem affectibus eſt atque efficaciſſima, utpote innumeris comprobata experimentis, ſive in ſolos ita humores agant tam famoſi cortices, ſive ad Mortoni celebris mentem ſpiritibus febrilem eximant characterem.

Pariter eadem incertitudo circa cauſam ejusque agendi modum efficit, ut minus tutò, ſolidèque de externis quibusdam remediis judicemus. Sic externa quædam emplaſtra ex tonicis & roborantibus parata, & carpis manuum appoſita dicuntur febres tollere; quod verum ſi fuerit, difficile erit cauſam agendique modùm diſtinctè deducere.

Dicitur equidem talia fibris arteriarum alium inducere motum, febrilesque hac ratione paroxyſmos ſuſpendere, ſed quemadmodum paroxyſmi cauſa in arteriolarum fibris, earumque motu quærenda non eſt, ita nec correctio & ſuſpenſio ejusdem; annon aptius in nervos agere talia, ſpirituumque perficere, ac incitare motum talia dicenda erunt, ſi quid dandum ſit conjecturis, ipſumque experimentum quà ſucceſſus ſuos, ritè fuerit firmatum.

Utiles vulgò dicuntur febres, & origo quædam novæ ac conſtantioris poſtea ſanitatis; nec negandum eſſe frequenter febrim criticum naturæ motum noxia expellentis, eorumque mole corpus liberantis ſed nec id negandum, frequentius in corpore ſub decurſu febris, præſertim diuturnioris, eam gigni ſuccorum pravitatem, ea Cacochymiæ ſtamina quibus tollendis fortiori ſæpè opus ſit cuneo; ita ut facilius ſit ſub febrium tumultu gigni obſtructiones quam tolli, oriri viſcidatem particularum quàm corrigi, cumulari cruditates, quàm abſumi, ut non niſi cautè circa iſta febrium commoda deceat ratiocinari.

Fe-

Febrium intermittentium à continuis differentia in eo ponitur, quod in illis per vices & ſucceſſivè mixtura & circulus ſanguinis lædatur, in continuis autem mixtura hæc ſanguinis turbata, & motus inteſtinus vitioſus & circulus inæqualis ſemper continuetur ; ubi tamen notandum, id intelligendum de gradu emminentiori, nam non ſemper in intermittentibus turbatio ſanguinis, vel pravitas inteſtini in illo motus penitus ceſſat in paroxyſmorum intervallo, licet pacatior multo fiat, & ſubinde omninò ceſſaſſe videatur ; nec in continuis circulus continuò eſt vitiatus, licet ſemper inteſtinus turbetur tum motus, nil enim impedit quò minus, hoc languente vel turbato, & inæquali reddito, circularis tamen æqualitatem obtineat, licet ſit citatior atque recedat à naturali rithmo.

Ratione moris continuæ febres diſtinguuntur in benignas & malignas ; dubio procul ob cauſas vel mitiores, vel vehementiores, ac diverſum turbationis Maſſæ ſanguineæ gradum ; Benignas audias deduci à motu concitato p. n. Copioſiori ſpirituum in Cor & omnes corporis muſculos.

Qua quidem in ætiologia ſimul turbatio mixtionis Maſſæ ſanguineæ qualiscunque ſupponenda, utut mitior quàm in maligna ; ac præterea notandum iſtum fiendi modum magis, quod rare in convulſivos, ſpaſmodicosque motus quàm in febres benignas, quæ ſolo ſpirituum fortiori in fluxu, ſine mixturæ ſanguinis turbatione haud facilè evenerint.

Nec ſufficit dixiſſe, à gravioribus doloribus, & inflammationibus propter vellicationem & irritationem majorem factam naſci febres continuas, ardentes ; tum quia febres iſtiusmodi ardentes malignæ potius ſunt dicendæ quàm benignæ ; tum quia dolores etiam inſignes non ſtatim vel ordinariò ſequitur febris benigna ; inflammationes autem majores vel præcedit, vel ſequitur, pro varietate circumſtantiarum.

Con-

Concitatiorem verò & præternaturalem ſpirituum influxum deducunt à Sale ſubtili, acri, peregrino, irregulari, ſive ſpiritibus animalibus nupto, ſive in maſſa ſanguinea vel lympha ſtabulanti, & fibras nerveas, muſculoſas, ac carneas ſtimulanti.

Et Salia quidem poſſe ac ſolere ſtimulare fibras ſæpiſſimè, in confeſſo eſt, pro geneſi autem continuæ ac benignæ febris talem ortam ab acrimonia irritationem eſſe neceſſariam haud facilè dixeris, cum turbari ſanguis, motuque inteſtino febrili agitari queat & ſoleat quoque ſine ſtimulo, ſine irritatione à turbis in ſinu ſuo ortis ac domeſticis, heterogeneis partibus ſeſe evolventibus, aut aliunde ab extra incitatis commotisque.

Nec obſtat his quod in hypotheſeos fulcimentum annotatur, febres continuas, & acriores ſanguinis ebullitiones ſcorbuticis & hypochondriacis, & quorum humores collutulati ſint ſalinis ſcoriis, admodùm eſſe familiares. Neque enim quævis acrior ſanguinis ebullitio eſt febris continua, nec quasvis ſcorbuticorum atque hypochondriacorum phlogoſes ad illam revocaveris claſſem; ut febres continuæ quà tales vix illis ſint frequentiores quàm aliis, & ſi quidem forent deprehenſæ frequentiores, non ob ſalinas irritantes præcisè partes quà tales, ſed ob impuras alias heterogeneasque omnes aptas ſcilicet ad iſtiusmodi tumultus atque exardeſcentias excitandas id eveniet.

Inter continuas febres benignas referuntur quoque catarrhales, ſed nec defuerint attento in praxi catarrhales malignæ, præprimis cum epidemiæ ſunt illius in modum quæ præteritis annis per plurimas latè regiones graſſata eſt, quibusdam benignè ſatis, aliis verò non exigua malignitate mulctatis graviterque exagitatis peſſimorum ſymptomatum moleſtiſſima ſyndrome.

Dedu-

Deducuntur febres Catarrhales à Salibus Lymphæ & Sanguinis extricatis, & membranas vellicantibus, cum ſtagnatione ſeri & lymphæ circulatione impedita; nec dubium eſt eſſe tunc in ſecretione ac motu lymphæ turbas & impedimenta; ſed non ad ſola Salia reſpiciendum eſt, quorum extricatio ſæpe morbi effectus ac criſis eſt, ſub fuſione ſeri eliminatoria ſe exſerens, nec ſemper cauſæ rationem habet, nec ut talis febrim valet efficere, requiritur & hîc mixtionis in ſanguine turbatio, colliſioque heterogenearum ejus partium, quæ fovet particulares in glandulis paſſim ſtagnationes, ac viciſſim ab illis fovetur, donec ſeparatio excretioque critica contingat morbique per eam ſolutio.

Symptomata febrium catarrhalium, raucedo, tuſſis, coryza, dolores, ſtagnationi ſeri, & vellicationi fibrarum nervearum à ſale adſcribuntur; & rectè quidem, ſi ſupponas, raucedinem ſæpè & à ſiccitate, ſæpè à tumore glandularum, absque concurſu ſalis produci, tuſſim ſæpè à ſale, ſed & ſæpè absque illo à mole, à ſtagnatione viſcidi ſeri, ab aliis irritationibus, à conſenſu ventriculi, & aliarum partium oriri &c. dolores quoque non omnes in febri catarrhali à ſale ſunt, ſed ipſa ſtagnatio ſeri, tumorque glandularum tendit fibras, doloremque efficit gravativum,

Refertur quoque ad continuas febres, lenta febris, & hectica, illam vocant, quæ oriatur ex vitio primarum viarum, & humoribus crudis, acribus, peregrinis in ſanguinem delatis, hanc naſci communiter ſupponunt ex inflammatione, ſuppuratione, & corruptione partium internarum graviori.

In genere verò febrim partes ſolidas & fluidas conſumentem derivant ab inteſtino ſanguinis motu inordinato & vehementer adaucto propter particulas inimicas mixturæ ſanguineæ continuò affuſas; rectè quidem, quà ideam illam ge-

neralem, dummodò quà ſpeciales iſtiusmodi affectus diſtinctè ſatis iſta applicentur.

Nec enim ſolùm ad ſanguinem, ejusque motum eſt reſpiciendum, ſed & ad vitia alimenti, imò & ad ſpiritus nervosque & fibrarum vigorem. Nemo etenim ignorat quantum animi affectus, curæque graves, & mœror valeant in cudenda atrophia ſine materiali irregularium in ſanguinem particularum infuſione, quas in illo ſufficientes deprehendit evolvendas demum ſub iſtis anxiis curarum mœſtitiæque in ſpirituum ſpirulis oſcillationibus; ut taceam particulares membrorum à nervorum, vaſorumque ac circuli vitiis tabem.

Notum eſt anglos dudum agnoviſſe hanc nervorum in negotio nutritionis vim, indeque delapſos ad opinionem non fundatam de ſucco nutritio per nervos affluente, & materialiter nutriente, ſi enim dixiſſent de concurſu efficiente ac formali facilis erat conciliatio, nec aliis adverſa, nec ipſi rerum morborumque naturæ ac indoli.

Remotius concurrunt alii alimenti defectus, & impedimenta viarum, ac præparationis ciborum; chylificatio læſa, chylus à vaſculis lymphaticis non abſorptus, fæcibus admixtus manens, ob glandularum obſtructiones, lacteorum infarctus, chyli viſciditatem, thoracici ductus compreſſionem, obſtructionem, læſionem.

Non omnis igitur febris lenta erit ex vitio ſolo primarum viarum, cum & in ſanguine ipſo hærere cauſa poſſit, ſi impurus ille, acrisque fuerit, ſicque in ſinu ſuo, & ex proprio gremio fomitem ſuſcitet febrilem, depaſcentem.

Maximè ſi acrior, calidiorque & ſiccior ſuas ipſius atterat, abſumatque gelatinoſas, & nutrientes moleculas, vel abiens in lentorem, mucumque ad nutritionem fiat ineptus; vel maximè ſi vitium aliunde & ex parte quadam trahat, vel inflammata, vel ad abſceſſus & exulcerationes tendente, vel

actu

actu jam exulcerata; pure assiduè in sanguinem transeunte, ac affuso, ejusque crasin destruente, caloremque augente, & sic atrophiam, febrimque ejus continuam altricem, vel potius consumptricem corporis ac virium perpetuo fomite sustentante.

Tum enim quod supereſt laudabilis succi corrumpitur, inficiturque pari parulentia, ac sanie, cujus adurens quasi, atque absumens acrimonia privat massam, corpusque omni γλυχρῷ, ac humectante, nutrienteque gelatina; uti quoque aliâs per evacuationes largas tum sanguinis, tum sudoris, urinæ, lactis, seminis, serique colliquationes, effusionesque crebra observatur tabes, febrisque lenta post evacuationes tam enormes succedens.

Exanthemata frequenter continuis febribus junguntur, sed potissimùm malignis, neque tamen iis solis; cum enim non solæ petechiæ, sed & variolæ ac morbilli, aliaque exanthemata febribus accedant, istæ verò, utut sæpè satis habeant malignitatis, frequentissimè possint, soleantque consistere cum benigna febri continua, patet eo ipso ad continuam febrim in genere spectare exanthemata, variasque illas eruptiones cutanearum criticas, tum symptomaticas, subdola sæpè ac formidabilia mala.

Morbilli, uti omnibus innotuit, subsistunt in maculis, variolæ in pustulas attolluntur, tenduntque ad suppurationem, escharamque tandem decidentem; ac licèt morbilli subinde nonnihil eleventur, attollanturque, id tamen non evenit ad variolarum modum.

Variolæ & morbilli semper junguntur cum febri continua, & magna sanguinis ebullitione, sive humorum congestione, & inæquali circulo; modò notes, innumeros quasi esse febrium istarum gradus, neque omnes eodem habendas loco, frequentissimè subdolas esse, & pessimæ fidei, quibus fidere nunquam liceat, utut blandientibus; cum quandoque tamen sint benignissimæ.

Sunt qui geneſin morbillorum, ac variolarum ita concipiant, ut exiſtiment ſpiritus animales in vorticoſo exiſtentes motu illud quod heterogeneum & irregulare ſit, non aliter ac flumen ligna injecta ad partes extremas dejicere, quod cum ibi non congruos egreſſui ſuo reperiat poros, quibus eliminari poſſit, ſtagnet, puſtulas, ulcuſculaque efficiat. Modò procederet per omnia ſimile, ferrenturque in recto, amploque alveo humores corporis noſtri, uti flumen, nec infinitis vaſculorum mæandris diſcreti, ab antliæ cordis vivido impetu potius, quàm ſpirituum, propriove vorticæ agitarentur; aliquid tamen dixiſſe videntur.

Malunt alii variolas arceſſere à ſale cauſtico, ſubtili, ſulphureo, quod extricatum, & ſequeſtratum, à particulis mucoſis, & oleoſis ſanguinis ſtimulando commoveat concitatius cor, & arterias, hincque febrim producat; modò attenderent iſti ad præſentiam febris antecedentem omnia miaſmata, eaque demum protrudentem, parcius de ſale loquerentur, quod à variolis nemo excludat, nemo tamen ſolum accuſet meritò, cum aliquam cauſæ partem dicat, ſeſeque tanquam effectus ſæpè magis exſerat, liberatum à compendibus ſub turbis febrilibus, quarum adeoque ſtimulo ſuo cauſa non eſt; neque id præciſè ſal motu cordis citatiori propulſum ad cutem ſtagnat, ibique inflammationes excitat, neque enim primæ illæ maculæ, & efflorescentiam puſtularum primæ eminentiæ merum eſſe ſal videntur, ſucculentiori ſanguinis parti, ſalibus tamen haud deſtitutæ, adſcribendæ.

Audias accuſari in variolis nunc ſal acidum, nunc ſal acre, magis, vel minus cauſticum; nemo facilè unam Salis ſpeciem accuſet, enixa plerumque acrimonia eſt impurarum partium vario conſtans nexu; innumeri verò acrimoniæ gradus ſunt, aliquando exigua illa eſt, cum obambulent, valeantque infantes corpore puſtulis confertim obducto, aliquando acri-

acrior materies, intenſior febris, imò intenſiſſima, ſparſis etiam, ubi ad necroſin res tendit ſphacelumque infantum, inter puſtulas paſſim atratas, cæruleasque, ac liveſcentes petechiis; imò tanta ſæpè acrimonia, ut vel oſſium cariem inducat, ſub finem variolarum, ulceraque & fiſtulas, imò & externas & internas partes graviſſimè, & ex eventu lethaliter affligat.

Ante eruptionem variolarum quæ obſervantur inquietudines, anxietates æſtus graviſſimi, imò & convulſivi motus, ingentibus à febri turbis, ac difficili partium impurarum, ad cutim deſtinatarum ſeceſſui, ac ſeparationi, nervos, fibrasque graviter afficienti, atque cor inſigniter obruenti, adſcribi debent, donec criſi illa ſuccedente liberius jam vitalis antlia & æquabilius denuò circumpellere valet maſſam ſanguineam ſatis adhuc turbatam, infectamque, ſed minus tamen tumultuantem.

Variolarum, mali tam univerſalis ac neceſſarii, paucis exceptis, originem, ac radices primas quærunt plerique in utero materno, & impuris nutrimenti ibi ſuſcepti particulis, quæ ſuo tempore poſtquam diutiſſimè latuerint, poſſint fieri ſui juris, dum homo in aëre humido, vel alia ratione pravè diſpoſito verſetur, certove æthere influente, vel alia aëris diſpoſitione tangatur, aliæve in ſanguine turbæ ſuperveniant, aut aliunde accedat contagium & miaſma, excitans ac fovens, vel animi affectus graviter moventes, vel motus corporis vehementiores aut alia iſtiusmodi irritamenta.

Sed nec apparet facilè curà ſolo iſta materno quod ſugeſtum in utero fœtui eſt nutrimento debeant deduci; non negaverit quisquam facilè id fieri poſſe, ſed & illam qualemcunque impuritatem poſſe per annos plures in ſanguine latere, admodum aliorum pravorum miaſmatum affectuum impurorum; poſſe item excitari ſi non ab æthere peregrino, qualis nullus in illa ætheris uniformitate eſt, ſaltem ab aëre, ejusque variis molæ-

culis, aliisque causis excitantibus; interim tamen æquè facilè, eademque verisimilitudinis specie erunt accusandæ impuritates collectæ post partum, ex pravo nutrimento, ex vitiis digestionis, chylificationis & sanguificationis, retentisque in corpore non congruis succis qui debebant excerni; & si illa omnia non adessent, cum tamen ferè nunquam non adsint, suumque conferant symbolum, sufficiunt sola grassantium epidemicè variolarum miasmata, quorum ea vis est, ut in puerorum probè etiam dispositò sanguine eas excitent turbas, quæ cieant in motum heterogeneas, subjugatasque antea moleculas, perque illas istiusmodi in cute pustulas valeant elevare ac propellere.

Si verò variolæ non semper à Sale causticò nec unicè derivandæ sint, multò minus illud ad morbillos requirere ulla suadebit necessitas; sufficit sanguinis orgasmus, turbæque febriles, & abundantia heterogenearum in massa ejus particularum, quæ hærere tantisper sub cute, eamque tingere possunt sub æstu febris conjunctæ vel intensioris vel mitioris.

Et quorsum necesse erit morbillos à depravato nutrimento tempore lactationis deducere, cum pueri dentur plurimi qui lacte enutriti non fuerint sed aqua; etiam hîc heterogenea vel ex utero accersenda, vel ex nutrimento quocunque non satis probè digesto, & cruditatibus, atque impuritatibus ansam præbente. Est verò & in morbillis infinita graduum quà malignitatem varietas, quæ aliquando summa est in illis &c.

Purpura, quàm & in puerperis, & alibi passim observamus, quamque & febrim vocant purpuratam, easdem habet origines; nec præcisè à sero corrupto vitioso, salso, motu intestino calido exaltato ortum habere dicendum est; corrumpi potest serum, ac salsugine tingi, ista verò purpuram non efficient, nec efferos motus, hi, uti & calores in purpurea magis sanguinis parte quærendi sunt; imò totius massæ orgasmi

ſmi ac turbæ etiam in iſta febri requiruntur, nulla portio excipitur, nulla prævalet, omnes tumultuantur, unde & iisdem ſopiuntur, componunturque remediis.

Cap. V.

DE MORBIS MALIGNIS.

NOn eandem omnes morbi maligni ideam formant; dicuntur verò tales potiſſimùm quà morem ſeu indolem, ut idem morbus nunc benignus ſit, nunc malignus, prout congrua ſibi conſuetave ſymptomata adſciſcit, vel præter morem ſuum indolemque ordinariam ac mitiorem gravius affligit, ac gravioribus ægrum urget moleſtiis, ac periculis.

Morbi potiſſimùm epidemicè graſſantes, & præprimis caſtrenſes ſemper monſtri quid alunt, occultamque fovent malignitatem, utut in ſe aliâs videantur eſſe ex claſſe benignorum morborum; hinc præprimis cautior Medicus reſpicit majorem ſolitò, ac magis ſubitaneam virium proſtrationem, cumque æger extra lectum degere ne per breve quidem temporis ſpatium ſine ingenti moleſtia poteſt.

Cæterùm indicia non pari ſemper certitudine ſolent allegari à ſcriptoribus Medicis, nec idem omnium in iis recenſendis ſcopus eſt; cum enim maligni dicuntur morbi, qui actiones vitales ſubitò deſtruunt, mentem turbant, vires proſternunt, & totam maſſam ſanguineam in motu ac craſi alterant, per ſe patet latius nunc, nunc ſtrictius malignitatis vocabulum ſumi, neque enim omnes morbi maligni, vel ſemper turbant mentem, nec omnes ſubitò deſtruunt actiones vitales; danturque ex adverſo morbi nulla malignitatis labe notandi, qui totam maſſam ſanguineam in motu ac craſi alterant.

Quandò igitur aſſignantur vera malignitatis indicia, virium

rium ſubita proſtratio, ſyncope, mentis turbatio, pulſus debilis & frequens, actionum vitalium extinctio, aſſiduæ vigiliæ; nemini non manifeſtum eſt, ea allegari, quæ non ſemper omnia, atque unica ſint indicia; ut enim de virium ſubita proſtratione, ſi ſingularis illa & præter talis morbi morem ſit, res controverſia caret, ita reliqua ſymptomata poſſunt adeſſe in malignis, ſed & poſſunt occurrere in iis ubi malignitas nulla dominatur morbis, partim verò ne in omnibus quidem malignis æquè obtinent, uti ſyncope, mentis turbatio, actionum vitalium extinctio, vigiliæ; nimius enim ſopor in malignis eſt frequens, ſyncope ſæpe abeſt, ac mentis turbatio, quæ ex adverſa non rarò in benignioribus ſupervenire ſolent &c.

Venenati etiam vocantur nonnullis morbi maligni, qui oriantur à tenui ac minutiſſimo principio venenato, cujus actionem non eadem ratione audias deſcribi, nunc enim dicitur inſtar fermenti ſeſe multiplicare, & ſpirituum ac ſanguinis motum penitus in vertere ac deſtruere, nunc verò principium id venenatum per aërem intrò hauſtum dicitur per varios ſpaſmos ſpirituum ac ſanguinis motum peſſundare.

Poteſt verò pro caſibus, venenique generibus diverſis uterque obtinere modus, ſæpiſſimè ſanè miaſma hauſtum ſe habet inſtar fermenti immediatè ſuccos corporis in ſui motûs leges cogentis, ſanguinique turbas & orgaſmos fatales inferentis, ſæpè verò etiam à tenui principio, parcâque & maligna actimonia vellicari fibræ ac nervi, ſpaſmique hinc paſſim excitari poſſunt, utut id ad turbandum ſanguinem præciſè non requiratur, cum id ſine ſpaſmis præcedaneis partium ſolidarum evenire queat, ſoleatque tota die.

Venenum illud dicunt, quod ſubitò & in pauca quantitate actiones vitales deſtruere, motum ac craſin ſpirituum & ſanguinis invertere aptum eſt. Quanquam quantitatis latitudo

titudo hîc varietasque insignis sit pro diversitate venenorum, quorum aliqua minimo nocent, alia majori ad agendum more veneni quantitate indigent, nullum in quantitate verè minima tam truculenter operatur, cum & arsenicum pessimè quidem, frequenter tamen exhiberi in febribus exigua dosi vulgatum sit hodiè inter temeraria castrorum experimenta; nisi ab ultimo hoc effato velis excipere Italorum acquettam, aliaque lenta venena, quorum occulta hactenus per Dei gratiam præparatio est, uti & operandi modus.

Cum non sit eadem venenorum indoles, classes eorundem varii varias constituerunt; Sunt qui distinguent inter venena acida, sanguinem more acidorum coagulantia, interque alcalina nimiùm ad istius Salis modum sanguinem fundentia, tenuioremque quam par est efficientia; quibus addas meritò, ea vel magis vel minus esse corrosiva ac depascentia, & alia denique soporifera esse, spiritus, humoresque ligentia; namque & in spiritus quædam magis agunt, quædam in sanguinem, in utrumque alia potentissime sævient.

Alibi triplicia dicuntur venena; vel corrosiva, quæ in partes solidas agunt corodendo, inflammando, genus nervosum convellendo, vel vaporosa, quæ effluviis hostilibus minutissimos nervorum tubulos afficiunt, & spiritibus animalibus intimè sese insinuant, motusque nimium sistunt, uti sint opium, hyosciamus, narcotica, aliaque; vel volatilia quæ sale volatili acerrimo, mobilissimo motus turbant, & talem dicunt salivam inordinatò ac furibundo spirituum animalium motu imbutam & sanguini communicatam in morsu animalis rabidi.

Notandum tamen probè, id quod primæ tribuitur classi in convellendo genere nervoso omnibus triplicis istius classis venenis esse commune, tristemque sequi post omnia effectum, uti & inflammatio; quà alteram classem advertendum,

à vaporoſis, ac narcoticis motum quidem nimium ſiſti, ſed & ſimul nimiùm irritari, quod ſpaſmi, violentæque à talibus aſſumptis convulſiones docent apertè; Quà claſſem tertiam neminem latet, haud eandem omnibus probari cauſam, aliosque Salivam Spiritibus orgaſticis, irâque imbutam accuſare, alios acrem Salivam ſine ſpiritibus, iramque ſolam attendere; ſed nec id negligendum, quid in his Sali, quid Sulphuri, quid utriusque combinationi debeatur.

Ortum ex animalibus venenum quibusdam dicitur continere exactam motus determinati ideam, ſecundum quam ſe multiplicet in ipſos ſpiritus animales immediatè agendo, illorumque motum æqualem deſtruendo, & ſimilem idealem motum efficiendo. Quando autem non placet Idea talis determinata, nec in corpus quantumvis ſubtile cadens, celerrimo tale venenum in motu exiſtere, quem per univerſum Syſtema nervorum poſtea communicet, quanquam iſta in ratione admodùm generali ſubſiſtant; ita enim ſolet in abſtruſis iſtis evenire, ut dum nimis clarè abſcondita volumus eloqui, verba equidem proferantur, ſed nihil dicatur.

Ingentem, quam huc trahunt, affectuum animi vim, in motu ſpirituum non ſolùm, ſed & ſanguinis pervertendo, hujusque craſi turbanda, imò evertenda omnes agnoſcunt; ſed eveniunt tardius iſtiusmodi effectus, qui à veneno tali animali celerrimè conſequuntur; ut taceamus ingentem inter affectus brutorum hominisque differentiam, quæ hîc quoque attendenda.

Quando autem dicitur, quemvis hominem poſſe ſibi ipſi fabricare ſuo in corpore venenum immoderato affectuum uſu, id equidem certiſſimum eſt, quanquam lentum illud, perque cuniculos, atque tardiores inſidias agens venenum ſit, licet cum tandem eruperit in plenum actum, tum demum ortum videatur, cum ad ſummam ἀκμὴν pervenerit, tum diu nimis intenſi oppreſſive ſpirituum arcus ac Spirulæ, tum humores du-

dum,

dum degenerantes, tendentesque ad acerrimum veneni ſtatum, ſic ut difficile ſæpè evadat de veneno vel aſſumpto, vel intus genito judicium, iisdem ſignis, iisdem effectibus, experientia teſte, utrique non rarò debitis atque adſcribendis.

Nollem hinc abſolutè cum aliis dicere, nullum dari in animalibus venenum, niſi quod ex turbulento & inordinato ſpirituum motu exſurgit, & per morſum communicatur; cum dudum Redius Charaſium convicerit circa viperæ venenum, id vel ſiccatum in pulverem eosdem in vulneribus edidiſſe effectus, ubi fruſtra ad ſpirituum motum recurrere integrum putaveris; ſuccorum acerrimorum pravitas transfuſa in vulnuſculum, ſanguinique confuſa magis attendenda; unde nec hauſtum viperæ venenum Redius deprehendit per experimenta noxium.

Firmiter tamen ſubſiſtit vis affectuum, vis ſpirituum variè ac præternaturaliter commotorum. Vim terroris omnes agnoſcunt, ſed quà contagia & venena non eadem ratione; Terror de certo morbo in diſpoſitis facilè ſimilem morbum corpori inducere aptus eſt; id verò evenire poteſt & in contagioſis, peſte, febri maligna, variolis &c. & in aliis morbis, e. g. in Epilepſia, ex terrore, aſpectuve epileptici orta.

Ac dubites an id ſolùm fiat, quod vehemens terror mirificè diſponat ad morborum contagium recipiendum, & augendum; in his enim ultimis caſibus alia eſt tantæ impreſſionis vis & modus agendi; in contagioſis non tam diſponet terror ad contagium recipiendum (quod tamen ſimul concurret) ſed & contagium jam diu forſan hauſtum excitabit, & cruditates antea congeſtas commovebit, illisque penitius infiget contagium atque admovebit intimius, ut ſuas mox apertè valeat pandere vires.

Contagio plures deberi morbos malignos ipſa teſtatur experientia; quicquid alii dicant de ſolo terrore propagatæ peſtis cauſa, qui excitantem crebrò cauſam confundunt, cum propria ac univerſali, immediatàque; quanquam & ſine con-

tagio propriè dicto in cacochymico corpore exoriri queant morbi maligni.

Ex ſubtiliſſimis effluviis ajunt conſtare contagium exhalantibus è corpore morboſo, quæ beneficio aëris ſpiritibus & ſanguini intimata, vel ex una hypotheſi inſtar fermenti illos ad ſuam indolem & naturam induendam diſponant, & ſimilem ipſis motum introducant, vel ex altera hypotheſi, cauſtica ætherea volatilitate nervoſas partes citiſſimè & p. n. ſtimulant & irregulares in ſpiritibus & ſanguine commotiones efficiant.

Nec admodùm iſta inter ſe diſcrepant; tale enim, ſi detur, ſal cauſticum contagii quid erit niſi fermentum inficiens ſanguinem, ſive per nervoſas id fiat partes earumque irritationem, ſive immediatè turbando ſanguinem, utrumque enim crebrò, imò & in iisdem forſan haud rarò caſibus contingit. Cæterum æthereis particulis cauſticam vim vix propriè aſſignaveris; iſtaque omnia non excludunt alia contagio, vel minus ſubtilia, vel minus volatilia, ipſoque qualicunque contactu communicanda, quod vel ſcabiei ſolius exemplo ſit manifeſtum.

Qui expuendam jugiter ſalivam monent, dum inter ægros verſeris, ſalivam conſiderant tanquam vehiculum malignorum miaſmatum, cum quo ad ipſum ventriculum indeque in ſanguinem cum chylo tranſeunt, licet quandoque in primis mox viis ſuas ludere tragœdias ſoleat, prout vel apertius vel occultius agit, ac prout vel plures vel pauciores ſuccos pravos, vel depravandos, vel cruditates ibi invenerit, variè quoque diſpoſitos, variaque ſuſceptivitate (ſit venia verbo) præditos.

Contagium conſideratur tanquam parvum fermentum quod inficere aptum eſt totam maſſam; hinc uti fermentum non agit niſi materiam ad fermentandum aptam habeat, ſic con-

contagium quoque ajunt, non agere, niſi nervi & humores ad motum præternaturalem recipiendum ſint idonei.

Et certum quidem eſt eſſe unum ſanguinem alio magis diſpoſitum ad ſuſcipiendum contagium, quàm alterum, abſolutè tamen loquendo talis eſt ſuccus ſanguis, atque ex partibus tam heterogeneis, facilèque in tumultus agendis ac turbas, conſtans, ut ſi miaſma ſeu contagium ſit ſatis efficax, & intimius inſinuetur non poſſit non in ſimiles agi motus; quemadmodùm & nervi aliquando quidem cum fibris ea toni firmitate gaudent, ut non facilè percellantur, ſemper tamen tam ſenſiles ſunt, ut vix poſſint ſine ſenſu acrique, oſcillatione excutere ſpicula intimius, fortiusque intruſa & impacta.

Interea nullibi promptior contagii propagandi fomes eſt, quam in ſanguine cacochymico, impuro, jam ad turbas prono, ac improportionatè mixto, cum plerumque conjungatur primarum impuritas viarum & cruditatum primam miaſmatibus ſedem præbentium abundantia promptiſſimè allabentes moleculas ſuſcipient.

Inde natum eſt notiſſimum monitum: Purgationem primarum viarum, crebram ſalivæ excretionem, & uſum balſamicorum remediorum à malignis optimè præſervare. Quanquam & illa regula non careat exceptione, cum non ſemper conferat crebrior purgatio, imò advocare ſæpè atque accelerare morbos videatur; & multi ſibi calidis nimium balſamicis eorumque abuſu noceant, iſta enim juxta individualia temperamenta dirigenda ſunt; & quid obſtet, quò minus iis qui verſantes inter infectos ora ſemper alexipharmacis replent, cum remedio ingruat contagium, ut utrumque unà fugant deglutiantque, prævalente miaſmate adverſo &c.

Gradus malignitatis, ejusque incrementum non præciſè quærendum eſt in majori feceſſione ſer a ſanguine, nec in majori ſub turbis mixturæ tumultu & orgaſmo, nec in motus &

mixturæ inæqualitate, aut particularum volatilium, ſalinarum, à craſſioribus terreis, aqueis ſeceſſione, ſed in majori, ac profundiori tendentia ad necroſin, ad mortificationem, ad putredinoſam maſſæ deſtructionem, ac diffluentiam tabeſcentem, ſi ita loqui fas eſt de peculiari & ſubitanea ſubdolaque veneni malitia.

Hinc non immeritò peſtem dicunt omnium morbotum maligniſſimum, quià ſubitò tam ſpirituum animalium, quàm ſanguinis craſin ac motum deſtruat, & extinguat actiones vitales; quod tamen excluſivè vix erit capiendum, cum & alii morbi maligni citiſſimè jugulent, & peſtis nonnunquam tardius; exemplum præbeat anguina, & cumprimis malignæ febres ſubindè à retropulſa per ſulphuratas inunctiones ſcabie oriundæ, quas diligentes obſervatores ſummæ non ratò malignitatis ac ſubitò jugulantis deprehendunt, niſi mox ferre opem liceat congruis remediis, principiisque primò primis obſtare, quæ tamen variant pro individuorum ratione; ſed & manifeſta ſunt in aliis malignis febribus ſæpè celerrimè jugulantibus &c.

Fit autem in iſtis morbis malignis mixturæ ſanguineæ deſtructio non præcisè, dum globuli ſanguinis reſolvuntur, vel particulæ ſalinæ, acres, fluidæ à conſortio reliquarum ſeparantur, ſicque vinculum elementorum ſanguinis penitus deſtruitur; non enim tam in reſolutione & receſſu partium elementarium à ſe invicem, ſed in mixtione inæquali, motu effero, orgaſtico, confuſo, ad putredinem, & mortificationem tendente conſiſtit malignitas, quæ nunc ſtatum ſanguinis fuſorium comitatur, nunc coagulatorium atque inſpiſſatum, pro Salis prædominantis indole, ſerique vel copia, vel arctiori miſcela.

Neque mirum eſt in ſanguine tali vappeſcente, confuſo, ac ad putredinem tendente motum inteſtinum ejusque vigorem peſſundari, & ſub novo putredinoſo motu craſin ſanguinis diſſolvi, ſi maximè is jam antea cachectica labe fuerit infectus, iisque abundet partibus quæ putredinoſum facilè præcipitentur in motum.

Beni-

Benignus aliquando in nonnullis individuis poteſt eſſe morbus, qui in aliis induit notam malignitatis, non tamen inde licebit inferre, utplurimum originem malignitatis quærendam eſſe in ipſis corporibus; contrarium enim docent malignæ febres, earumque propagatio per miaſmata maligna, eandem in aliis corporibus excitantia malignitatem; & licet e. g. in variolis mitiſſimè quidam decumbent, alii admodùm malignè, id tamen vix licebit deducere à domeſtico corporum vitio, ſed à genio variolarum, & miaſmatis, ſolent enim eodem etiam tempore & benigniores, & malignæ admodùm graſſari variolæ; quod & de aliis notandum febribus, quæ quidem pro diſpoſitione corporis & humorum gravius, leviusve affligent, ita tamen ut ipſe morbi graſſantis genius prævaleat, ſuumque retineat characterem.

Si enim morbus in ſua origine malignus non fuerit, vix demum per animi affectus inordinatos, pravamque victus rationem malignitas illi addetur, quæ potius in ipſo miaſmate quærenda, cumque illo tranſit in penetralia corporis ſanguinisque licet lateat in principio, ac demum per affectus animi, aliosque, errores fortè commiſſos videatur induci, cum ſaltem provocetur in actum, citatioremque ſui moris perverſi manifeſtationem.

Ad malignos morbos omnes cruditates pravique ſucci conferunt, ac recipiunt miaſmatum noxias impreſſiones, unde & corpora acrioribus, cauſticis ſalibus, ſuccisque bilioſis ſcatentia illis admodùm obnoxia ſunt, ita tamen ut aliæ diſpoſitiones cacochymicæ non excludantur, nec enim ſemper requiritur acrimonia corroſiva.

Aerem æſtuantem nimium ac diu, imò & humidum continuò communiter dicunt præſagire morbos malignos epidemicos ipſamque peſtem, imò & eos producere, quoniam ſimul ſcateat ſalibus cauſticis inſectorum; quanquam non diffidendum ſit, non iſtis ſolùm tempeſtatibus, ſed & aliis morbos

iſtos

iſtos epidemios graſſari , atque inſectorum iſta cauſtica ſalia in aëre ſupponenda probatione indigeant ulteriore exiſtentiæ ſuæ.

Febres malignæ quæ Petechias habent comites ſunt mali admodùm moris , uno tamen magis quàm alio tempore graſſantes, & in variis ſubjectis varii gradus malignitatis, ob peculiare ac ſpeciale venenum, quod peſſundat ſpiritus, humores ad ſubitam præcipitat putredinem, ac necroſin, internarumque partium inflammationes.

Niſi pars veneni , nec ſemper ſubtilior , ad cutem propulſa diſſipetur , ſicque evitando actualem ſanguinis putredinem, & necroſin ſolidarum partium evadat æger ; Sin verò repellantur venenata illa ſtigmata, quantæ turbæ, quantum periculum, ſive intus ſphacelum inducant partibus , ſive in ambitu corporis ſuam ludant tragœdiam , aut utrumque agant ſimul.

Quando igitur petechiæ dicuntur nihil aliud eſſe, quàm ſal cauſticum ſub putredinoſo orgaſmo ex ſanguine diſſolutum & in cutis tubulos diſperſum, quod ſal ſi conjungatur & uniatur anthraces , bubones, ac carbunculos gignat , ibique magnam efficiat uredinem & acredinem , non aliter ac radii Solis diſperſi in vitro cauſtico uniti ſtupenda vi operentur. Quando inquam hæc ſupponuntur , nemo facilè negaverit , Sal etiam hîc peccare & concurrere , ſed nec opus erit præcisè Sale cauſtico , cum & turbæ ſtagnantis , efferique cruoris intenſos inferre queant dolores , licet nulla talis fiat concentratio, cujus in ſolaribus radiis alia longè ratio eſt ; nec in petechiis venenum eſt adeò diſperſum, ſed ſatis unitum, utut non præciſe ſalinum, cum lividæ, nigræque tandem minores illæ maculæ juxta quorundam obſervationes in profundis terminentur in latiores mortificatas pyramides quarum cuſpides ſaltem ſunt in cute, profundior ſphacelus in occulto ; paucis, eadem

eadem iſtorum ad ſuperficiem propulſorum ratio eſt, vel enim criticè terminata juvant & venenum eliminant, vel ad triſtem tendunt mortificationem & humorum & ſolidarum partium, ad quod eò minus opus eſt concentratione, cum totum corpus tam pravis jam ſcateat infectisque ſuccis.

Aliæ maculæ à malignis his facilè diſcernuntur, cumprimis per abſentiam tam pravæ febris, uti maximè ſcorbuticæ, etiam rubræ, purpureæ cœruleæ &c. junctæ aliis ſcorbuti phænomenis; item maculæ conmitantes, ſequentesque hæmorrhagias multò adhuc facilius hepaticæ dictæ, fuſcæ magis, nec incommoda inferentes; aliæque vagæ, lentigines &c.

Malignos morbos dividunt in acutos & chronicos, quia etiam ſcorbutum, & luem veneream eò referunt, quod verò de prognoſi addunt, acutos admodùm eſſe periculoſos, & facilè necare, non verò chronicos, id vix erit perpetuum, de graviori enim ſcorbuto in hiſtoriis navigantium & pericula ſubitanea atque ingentia, & necem celerem obſervatam legimus, quantasque lues venerea edit ſtrages, quamque profunde mala iſta radicantur & hærent.

Quando ſermo eſt de cauſa Scorbuti, audias allegari diatheſin peregrinam humorum à craſi naturali deflectentium, quam vel quærunt in acore, atque acrimonia Salina, vel in emunctoriis vitio laborantibus, vel in impuritate & pravitate lymphæ ac ſanguinis maxima, fonte innumerabilium morborum.

Quanquam hîc plurimi dentur gradus, ſitque differentia inter principia Scorbuti, talemque ſanguini obitet impreſſum, vel etiam paulò profundius characterem, & Scorbutum confirmatum, ubi depaſcens acrimonia vel in gingivis, vel alibi per ulcera ſeſe aut chronicè exſerit, aut acutè aliquando partes depaſcitur &c.

Neque negandum tamen plurimos eſſe iſtius vocis abu-

ſus, ac nonnullos ubicunque vel levem acrimoniam, ejusque exiles etiam effectus atque excoriationes qualescunque advertant, vel vagas etiam phlogoſes, (cum talia etiam in ſcorbuticis verè obſerventur) mox ſcorbutum accuſare; ut non immeritò diſtinguendum ſit inter ſcorbutum latè, ſtrictèque ſic dictum.

Symptomata ſcorbutica cum nervoſum quoque adoriantur, occupentque Syſtema, ii qui graviter affici id in Scorbuto vident, inde concludunt, ea oriri à ſpaſmodicis nervorum, muſculorumque contractionibus, quoniam, ſi malum ſit confirmatum, fluidum nerveum pariter inquinatum motu anomalo delinquat, indeque producat ſpaſmos. Quanquam evenire id queat, etiam ſi fluidum nerveum inquinatum ſcorbuti labe non ſit, modò abundans acrimonia laceſſat extrinſecus fibrillas (neque enim eſt præter ſpiritus aliud fluidum nerveum, quod inquinatum intrinſecus eorum tubulos laceſſat) & plurima ſunt ſymptomata à nervis, eorumque ſpaſmis haud derivanda.

In malo ſcorbutico Epidemico rectè aërem accuſari certum eſt, quem alii ſalibus ſcatentem, alii impurum dicunt qui immediatè ſpiritus animales, ſanguinemque afficiat; neque tamen iſta excludunt victum pravum, ac diætam ad iſtiusmodi ſalſas impuritates diſponentem.

Lues venerea contagioſum malum cum dicitur inſignis corruptela ſucci nervei & lymphatici, obſtructioque glandularum, nec non putredo partium etiam ſolidarum, tum, inquam, ab authoribus conſideratur in ἀκμῇ, intimaque ſanguinis imò intimorum corporis penetralium infectione, ut non ſolùm gonorrhœam quandam virulentam, eroſiones in glande, bubones &c. dicat, ſed ex primis his quaſi viis traductum jam in omnem ſanguinis & humorum maſſam labem, ipſisque oſſibus hærentem; quanquam nec tum nerveus præ-

cisè

cisè ſuccus ſit accuſandus, lymphæ verò potiſſimum ſtatus ſummè depravatus eſt.

Cauſa verò ſive dicatur fermentum impurum, ſeminale, ſpirituoſam, ex conſymboliſmo communicatum, ſpirituusque ac lympham inficiens immediatè, dejiciendo eos de ſtatu ſuo, hanc coagulando, pravaque diatheſi corroſiva imbuendo, ſive miaſma impurum, ſubtile cauſticum, quod partim cauſticitate, partim putredinoſo motu & partes ſpirituoſas, fluidas, & ſolidas tardè tamen & ſucceſſivè inficit & corrumpit; utrinque res eodem recidit, nec tamen præcisè requiritur ut ſpirituoſum & ſubtile ſit, modò tenax, acre, aptumque ſit quod irritare, arrodere, inque ſui motûs leges cogere queat ſuccos partesque corporis quas vel immediatè vel mediatè attingit; unde etſi circumſtantias penſites, ſæpè equidem ſatis ſubtile, at non minus frequenter fixum ſatis, ac ſemper ubi ſemel hæſerit difficulter mobile deprehenditur peſſimum id fermentum, neque enim eſt quod iſtud vocabulum hac in re faſtidiamus.

Cap. VI.

DE MORBIS EX CIRCULATIONE SANGUINIS INÆQUALI ET IMPEDITA ORTIS.

CUm à libera ſanguinis per anfractuoſum adeò vaſculorum innumerorum iter atque mœandros ſanitas ac vita vel maximè pendeat, neceſſaria inde ſequela fluit, frequentiſſimos morbos fluxus iſtius libertate haud manente integra ſubſequi.

Cor eſt antlia illa artificioſiſſima ingentem ſanguinis per tot reſiſtentias circumagens molem ac maſſam, motu itaque ejus magis vel minus impedito, imò & penitus extincto, liber ille fluidi vitalis circuitus vel turbatur, vel omninò ceſſat,

ſublatis ſimul omnibus vitæ functionibus, atque actionibus ex ea fluentibus, eamque oſtendentibus.

Hinc varii ſyncopes, deliquii, aſphyxiæ gradus, ex ſanguinis circulo ſeu fluxu per cordis thalamos inæquali vel ſufflaminato, cum cordis & arteriarum motus magis minusve, atque ad hujus proportionem actiones vitales omnes imminuntur, vel ceſſant.

Quemadmodum ad motum vigoremque omnium partium ac muſculorum, ita ad cordis potiſſimùm motum tum ſpirituum animalium influxus ſufficiens, tum & ſanguinis liber affluxus, & neceſſaria quantitas, & qualitas conſiſtentiaque laudabilis requiritur, ut facilè nunc poſſit colligi, quot modis tolli ille motus cordis, & circulus ſanguinis, ac proin oriri ſyncope queat.

Non quod quævis inteſtini motus, mixturæve, aut conſiſtentiæ, quantitatis ac temperiei deſciſcentia tollere motum cordis, ſyncopenque inducere queant, ſed quod juxta cum ſpirituum negato influxu, iſta ſanguinis vel quantitate deficientis, vel qualitate ac conſiſtentia inſigniter deſciſcentis vitia huc potiſſimum ſi inſigniora fuerint efficaciter concurrant.

Unde dubium nullum eſt ſanguinem, non quidem, ut loquuntur, congrumatum & nimis coagulatum (iſte enim mortem inferet) ſed ſpiſſiorem, gelatineſcentem (ſit venia verbo) ac tendentem ad grumos, in vaſis majoribus circa cor gravem producere ſyncopen; imò & tenſionem cordis flatulentam ab aëre ſe extricante & ſui juris facto, utrinque enim cordis latera ac fibræ nimium tenduntur, atque ultra ſphæram ſuam.

Æquivalent his inordinati atque immoderati affectuum motus ſpirituum influxum, fibrarumque dehinc actionem admodùm immutantes impedientesque imò & nimium rarefactus ſanguis, nimiumque tenuis, nec juſta ſua gaudens conſiſten-

ſtentia, ejusque minor juſto quantitas alluens ad cordis thalamos, vel juſto major eos violenter obruens, ut taceam concurſum ac combinationes ſtricturarum ſpaſmodicarum.

Ex quo nemo non colliget, polypum quoque cordis Lipothymiam poſſe efficere, aliquandò lethalem, aliquando & tranſitoriam & pro illius vario ſitu minore vel majore ac præſentiore noxa redeuntem, varietas enim orietur ex magnitudine, ſitu, ipſaque conſiſtentia polypi vel auriculas, vel valvularum, vel ventriculorum, vel vaſorum, vel omnium ſimul vel quorundam ſaltem cavitatem ac regionem occupantis, ac radices ſuas protenſionesque variè quaquaverſùm incerta ac mirâ ſæpè variatione agentis.

Circa polypos verò notanda ſunt varia, tum quà ſymptomata inde potiſſimùm oriunda circa palpitationem cordis, anxietatesque ac ſpirandi, movendique corporis difficultates inde oriundas; tum quà geneſin, ac ſtructuram, diſcernendo eos à grumis ſanguineis, ac pituitoſis concretionibus aliis, quanquam & ipſe ſit talis concretio, organicam tamen lamellata ſua diſpoſitione mentita ſtructuram, ac quaſi fibroſam.

Nec fuerit inutile cum his cordis polypis quà ſtructuram ac geneſin conferre polypos in naribus, faucibusque (quin & alibi in vaſis & ſinubus) vel poſt hæmorrhagias inſignes, vel exulcerationes narium, aliave earundem vitia exortis, ſive fibroſis, ſive tunicatis, ſive carneis, ſive aquâ repletis.

Erit verò alia ratio talium polyporum qui per modum quaſi excreſcentiæ emergunt ex pariete partis alicujus fibris quaſi protenſis & luxuriantibus in varios quà patet via ramos, quàm eorum, qui mera tali ſuccorum viſcidorum concretione in ſpatio ampliore ſenſim facta conſtant; nec patet quî omninò de his dici poſſit, ſuccum nutritium in arteriis & venis non rarò ita concreſcere, ut penè abeat in carnem

fibris & ſanguineis vaſculis inſtructam , vel membranis, quæ utut prioribus ſuo quadrare modo videantur, his tamen viſcidi ſucci concretionibus an queat adſcribi prudentiorum judicio relinquimus.

Reſpirationis & circulationis ſanguinis arctiſſima connexio eſt , cum per veſiculoſum pulminis parenchyma ejusque mœandros vaſculares intricatiſſimos omnis qui in adulto ex dextro cordis ventriculo ad ſiniſtrum fluit, tranſitque, ſanguis trajici debeat, antequam ad hunc queat pertingere; hinc tam facilis omnimoda ſanguinis in tam intricato itinere ſtaſis , ac proin catarrhi ſuffocativi geneſis, vel ſaltem orthopnœa, parciſſimo ſanguine trajiciente, cujus in anguſtia ſumma pulmonalis venæ ſingulare exemplum Medicæ hiſtoriæ offerunt.

Magis verò vel minus impedita illa ſanguinis per pulmonum vaſcula trajectio atque ad cordis ſiniſtrum thalamum promotio varios dyſpnœæ , aſthmatisque gradus conſtituit, atque efficit ; quanquam iſta non unica ſit cauſa , ſed & aëris diſpoſitio externi prava atque heterogeneis ſcatens moleculis, & nimia ejus craſſitudo , atque elater improportionatus (ad analogiam animalium in antliæ pneumaticæ recipiente ſub evacuatione aëris tortorum) & bronchiorum obſtructiones, veſicularumque p. n. diſpoſitio , obſtructiones variæ viarum ac vaſorum à diverſis cauſis eundem in cenſum veniunt.

Maximè verò ſtricturæ fibrarum ſpaſmodicæ tum internatum partium tum externarum , ita ut nunc impedita circulatio irritet nervos fibrasque & efficiat ſpaſmodicum ſimul aſthma , nunc verò conſtricti primò irritati nervi ac laceſſitæ fibræ aſthmatis genuina cauſa ſint, partibus reſpirationi inſervientibus ſpaſmodicè , nunc cum dolore , nunc ſine dolore vehementer conſtrictis , ſemper tamen cum ſumma anxietate, gravibusque aliis ſymptomatibus, diaphragmate aliisque vicinis partibus in conſenſum raptis, excitatâque cardialgia

gia &c. ut taceamus hydropem pectoris ſeu collectum in thoracis cavo, impediens pulmonum expanſionem ſerum, quin & pus in Empyemate &c.

Circulatio ſanguinis per ampliora vaſa facilior futura, tam crebras difficultates reperit ob incredibilem capillarium vaſculorum tenuitatem, & numerum, per quæ ea qua par eſt promptitudine tranſire nequit ſanguis, ſi ratione indolis ſuæ gelatinoſæ, moleculas habeat quodammodo cohærentes, vel ad cohæſionem ſaltem pronos.

Hinc tanto numero, tamque frequenter chronici æquè ac acuti morbi ex circulatione ſanguinis per minutiſſima vaſa impedita oriuntur, acuti quidem ſi orgaſtici, tumultuantesque humores premendo vicina vaſcula viam ſibi præcludant, retardenturque, chronici autem, ſi lentore quodam molecularum ſenſim occupent cavitates tubulorum ſicque vias arctari, obſtruique contingat.

Illa certè origo eſt malorum tam diverſorum ex eadem origine circulatione ſcilicet ſanguinis impedita, ſanguinis autem vario modo quà craſin diſpoſiti, hinc tumores varii, inflammationes, obſtructiones, humorum tardius motorum vel ſtagnantium corruptiones, ſuppreſſiones excretionum conſuetarum, ſcirrhoſæ indurationes; quæ varietates à læſa circulatione omnes, à diverſa autem ſanguinis craſi, conſiſtentia, temperie, mixtura, ac vigore ſingulæ modis variis exoriuntur.

Inflammatio fit ab aggeſtione ac tardiore ſanguinis per vaſcula partis alicujus motu, unde tumor, minor majorve pro ſtaſeos ſanguinisque ſtatu, calor, dolor, rubor turgentibus infarctisque ſanguine orgaſtico capillaribus vaſculis, ac ſenſus pulſationis ob diſtenſionem fibrarum ab appellentis cum impetu ſanguinis alliſu in tot locis multiplicato.

Obſtructionem ſeu impedimenta viarum in inflammatione omnes agnoſcunt, cujus quidam cauſam quærunt in materia

ria viſcida rigida obſtruente, alii in ſanguine ſibi viam orgaſmo ſuo, vicina vaſcula urgente ac premente, præcludente & aggeſto, alii in ſpaſmodica fibrarum ſtrictura quærunt, omnes quidem ſuo modo & tempore rectè, nunc hac nunc illa, nunc omnibus ſimul concurrentibus.

Ab omnibus enim illis cauſis ſanguis in motu ſuo retrogrado impeditur, nec ea qua alluit proportione per minimas reſorbetur venas, unde non poteſt non allabente continuò à tergo novo ſanguine tubulorum tandem diſtenſio, ſanguinis in interſtitia diffuſio ac dilatatio, tumorque enaſcatur.

Caloris, roboris, doloriſque ortum derivant alii ab æthere, qui partes obſtructas liberè pertranſire nequeat, hinc vehementiſſime per vacua ſpatiola moveatur, & hoc motu mirè exagitet ſanguinis particulas; alia in hypotheſi oriri dicitur calor ille in parte inflammata partim à libera tranſpiratione cohibita partium ſulphurearum, partim ab attritura & alliſione ſanguinis ad fibras majori ac crebrioti.

Res eadem variis explicari modis exprimique poteſt, quanquam æther ubique facilè tranſeat, nec niſi remotè ad iſtas accerſatur, ſpectetque ac concurrat turbas; ſufficit verò ſupra jam memorata aggeſtio ſanguinis per venulas non ſtatim trajicientis, à tergo preſſi fibrasque vividè tanquam totidem cuneolis, tendentis urgentisque ad ruborem, doloremque efficiendum, quibus facilè jungitur augiurque calor inteſtino partium ſe evolventium motu accedente ac invaleſcente eccentrico niſu.

Pulſationem quæ eſt in tali parte vix adſcriberem minimis arteriolis, & earum Syſtoli, quam concipiunt, dum ſanguis impetu quodam propellitur ad partes, per quas liberè minus tranſire poteſt, hinc ſequi arteriolas vicinas magis extendi, ſicque inſignem oriri diaſtolen, quam neceſſariò debeat comitari ſyſtole; neque enim pulſant minimæ arteriolæ, neque ſyſtolen

ſtolen habent vel diaſtolen tam ſenſibilem ob tenuitatem membranularum, & tamen debet percipi illa puſatio, quæ quaſi continuatio quædam & reflexio eſt pulſationis cordis & ramorum majorum, quæ urgendo quavis ſyſtole impetum à tergo facit in ſanguinem tardius promotum & quaſi ſtagnantem, unde diſtenſio fibrarum, ac ob harum reſiſtentiam oſcillatoriam ſummèque ſenſilem pulſatio tam moleſta & gravis à pulſu ſatis diſtincta ipſa ſenſus ac circumſtantiarum omnium ratione.

Sanguis ſtagnans in inflammatione aut tardiuſculè promotus, vel diſcutitur, vel gravius ſtagnans deſciſcit penitus à craſi ſua; illud quidem contingere videmus in Eryſipelate ritè terminato, in contuſionibus, caſu ab alto &c. cum ſanguis in vaſis capillaribus & partium ſpatiolis ſeu tubulis hærens, ſtagnans & coagulatus, dicitur ſucceſſivè, in minima quantitate, inſenſibiliter evaneſcere, & diſcuti; ubi notandum in eryſipelate tali non requiri niſi factam ſenſim ac ſenſim, remittente fibrillarum tenſione, reſorptionem ſanguinis in venularum oſcula, non excluſa tamen transſpiratione inſenſibili ac ſudore partem aliquam diſſipantibus; in reliquis idem, licet tardius ſuccedit, moleculis magis condenſatis, intimiusque ſtagnantibus, hincque & difficilius & tardius mobilibus ac revehendis in ſanguinem.

Cum verò non diſcuti poteſt ob ſtagnationem pleniorem, humorum condenſationem majorem, obſtructionem pertinaciorem, & heterogenearum partium ſeceſſum celeriorem, turbasque inde natas majores, major ſub majori tubulorum, fibrarumque diſtenſione oritur dolor, ſenſim magis ſecedentibus à ſe invicem moleculis, immutatisque & aliter quaſi coctis ſtagnans ſanguis abeat in pus vel ſaniem, ſolidarum partium vicinia circulationem humorum retinente; vel graviore ſub inflammatione tubulorum obſtructione facta ad gangrænam ea tendit, donec circulo per tubulos jam penitus

ſublato, humoribusque ſtagnantibus ad necroſin celeriter tendentibus, fibrillis quaſi ſciſſis, ruptisque emoritur vitalitas partis ſucceditque ſphacelus, ac putredo ſubitò ſerpens, vicinasque trahens partes.

Adductas verò inflammationis cauſas mallemus retinere, quàm confugere ad Salinum, irregulare, lancinans principium, quod fibras nerveas ac membranaceas moleſtè vellicet, ſpaſmodicè contrahat, venas capillares coarctet, ſicque circulationem ſanguinis ſufflaminet ; ut enim id in ſpecialibus quibusdam eveniat caſibus, ita in plerisque aliis neque deprehendas iſta neque requiras, cum talis venularum conſtrictio gratis ſupponatur quæ à vicino tardiusque moto humore longè aptius, faciliusque coarctantur, comprimunturque ; unde & quæ obſervantur ſtricturæ ſpaſmodicæ inflammationibus junctæ effectus potius ſunt ſtagnantis jam moleſtia ſanguinis quàm cauſa ſtagnationis.

Non aliunde promptior, celeriorque inflammatio quàm ſi calente admodùm corpore, ac tranſpiratione largiſſimè quaſi fluente, qualecunque demum vel externè vel internè alluat, affundaturque frigus, reprimens ſubitò orgaſticos, panſosque humores, eosque in tubulis incraſſans, ſicque motum liberum periculosè ſiſtens. Uti & contuſiones graviores, arctæ partium ſtricturæ ac compreſſiones, nimis arcto ligaturæ, fracturæ, luxationes, atrociores dolores ſubitam inflammationem, ſique medela & viarum libertas brevi non obtineatur, abſceſſum, & ſphacelum ſæpè poſt ſe trahunt, quæ tamen etiam pro individuorum idioſyncraſia variant, ac pro diſpoſitione humorum, fibrarumque ac partium tono.

Anginæ nomine varii hodiè morbi appellantur; angina quidem ſpuria dicta, ſeu tumor uvulæ, tonſillarum, partiumque vicinarum non admodùm acutus, nec cum gravi febri conjunctus, utut ſæpe catarrhalis accedat febris ; Status

porrò

portrò ille faucium ita dicitur, cum in malignis febribus, aridæ fauces fiſſuris aſperantur, lingua exſucca vicinæque partes fuſco colore periculum minantur; propriè autem quando faucium illa pars, quæ pharingis & laringis muſculos tam internos quàm externos complectitur, inflammatione gravi corripitur cum febre plerumque acuta, ac graviſſima, niſi congruis in tempore remediis ſit locus.

Pleuritis tamen frequentior eſt, ſeu inflammatio pleuræ, vel potius partium internarum thoracis, cum non in iſta ſubſiſtat præcisè membranæ inflammatio, ſed variè ad muſculorum inter coſtalium interiora fibrarum ſtrata, & ſuperficiarias pulmonum partes ſeſe ſoleat extendere, quæ pulmonum inflammatio ſi profundior, intimiorque & plenior ſit Peripneumonia vocatur; paraphrenitidem verò quidam vocant ſi diaphragma inflammatione corripiatur, cum illa fiat cum delirio, quanquam iſta ad menſuram ita non fiant, ſed varias habeant quà caſus ſpeciales varietates ac latitudines.

Eò autem triſte hoc malum eſt frequentius, quò magis liberè frequenterque pectoris cavo vel potius cavitatibus veſicularum innumeris illabitur frigidus, rigidiorque aër, qui facillimè anſam inflammationibus dare queat, imò & epidemica graſſatio hujus mali frequens, facilè inducenda â frigida, humidaque tempeſtate, hyberna cumprimis; quibus dietæ errores, frigidi hauſtus, frigidi aëris incauta admiſſio ad æſtuans corpus, repreſſio tranſpirationis ſubita, aliaque frequentiſſime accedunt, ac ſubitanei à calore in frigus, ac vice verſa tranſitio &c.

Venæſectione in principio mox adminiſtrata (ea enim abſolutè hîc neceſſaria eſt) eductus ſanguis obducitur brevi poſt emiſſionem ſpiſſiore maſſa glutinoſa, pallida, quæ ſatis teſtatur de graviſſima ſanguinis turbatione, lymphæ inſpiſſatione; ac reverà ita eſt, febris conjuncta continua, non idem qui-

dem ſemper periculum minatur, plerumque tamen ſubdola eſt.

Ad hujus analogiam variæ paſſim inflammationes oriuntur, in meningibus phrenitidem gignens, in oculis ſi ad natæ tunicæ numeroſiſſima vaſcula turgeant ſtagnante ſanguine ophthalmica inflammatio, imò & internæ viſcerum graviſſimæque inflammationes oboriuntur ſi impedita intenſius circulatione ſtagnatio ſanguinis in ventriculo, tunicis inteſtinorum, hepate, renibus, utero, veſica &c. cum præſentaneo increſcit periculo.

Empyema propriè dicitur collectio atque effuſio puris in cavitatem thoracis facta; cujus alibi excocti accumulatio nomine abſceſſus notari ſolet; vomicam autem dicas collectionem puris in viſcere, in pulmone, in renibus &c. ſed non omnem, non vagam, totumque viſcus, vel partem ejus inſignem occupantem ac liberè quaſi depaſcentem, ſed intra ambitum quendam tunicæ quaſi propriæ coercitam, nec liberè evagantem aut ſerpentem, quas tota die differentias in phthiſicorum variis ſpeciebus praxis offert, & ſectiones quoque confirmant.

Inflammationes præcedunt ulcera atque abſceſſus, qui dicuntur, quando pus purum adeſt, ac hi abeunt in ulcera, vel ſi mavis in fiſtulas, ubi diutius durant & aperti manent, ſeu ulcera calloſa, ichorem ſanioſum fundentia; neque tamen in inflammatione aliquando ſola res ſubſiſtit, quod ſalia minus tum ſint penetrantia, in ulcus verò tum ſolùm tranſit, cum rigidiora ac validiora illa fuerint, ſalia enim demùm evolvuntur ſub progreſſu ſtagnationis ac ſuppurationis in principio adhuc ſub complexu aliarum ſanguinis partium latentia, adeoque determinatio ad ſuppurationem antecedenter ad Salia, ex ſtagnationis mora, diſcuſſionisque tarditate arceſſenda eſt, poteſt ſanè pus fieri, ac partes conſumi ſine tanta Salium acri-

mo-

monia, quanquam nemo negaverit, esse subinde in variis abscessuum casibus enormes ac singulares acrimonias humorum, quæ tamen in genere ad alios transferri abscessus atque ulcera non debent, ubi vis illa depascens, quasi scorbutica, non æquè observatur.

Stagnatio humorum, acescentia eorundem, corruptio, transitus in pus, ac fœtor non eveniunt primò propter dilacerationem vasculorum ac fibrillarum, & hinc impeditam circulationem, stagnat enim sanguis antequam dilacerantur vascula ac fibrillæ, quæ laceratio effectus ejus est, & secessionis turbationisque particularum in humoribus stagnantibus, quam quidem fœtor quoque & puris genesis subsequitur, præcedente jam, nec tamen semper acescentia, si illa restringatur ad Sal præcise acidum, non verò qualecunque enixum.

Puris genesis eleganter quidem describitur, quando dicitur oriri, non ex præcipitatione sanguinis beneficio acidi & alcali facta, sed ex succo nutritio & sanguine oleoso, ab acido corrupto, & albo colore imbuto, non secus ac oleum olivarum cum aceto, vel solutione lithargyrii mixtum ac conquassatum album evadit; Idem tamen color non statim notat rem eandem, structuramque similem, non semper adest tale acidum manifestum, tamque forte quale in aceto, multò minus imbutum saturatumque moleculis plumbeis; nec oleosus ullo jure sanguis dicetur cum alia gelatinæ, alia olei ratio sit, non quod nullæ in sanguine sint partes oleosæ, quas latentes nemo non agnoscit, sed quod illæ sanguinem non reddant oleum; sufficit verò sanguinis partium secessio à pristina ordinata mixtione, ac motûs legibus, earumque excoctio singularis sub æstu inflammatorio absque talis affusione acidi pro gignendo pure vel sanie ulcerum aut abscessuum.

Ulcus pulmonum in phthisi oritur, cum vesiculæ pulmonum membranaceæ minutissimæ, minoraque vascula erodun-

duntur, quod nunc adſcribitur ſanguini acriori ſtagnanti, nunc verò acri ſero ſtagnanti, utrumque rectè dicitur, cum tot diverſiſſimæ hujus exulcerationis, phthiſisque ſint origines, quisquis verò pulmonum novit ſtructuram, facilè videt, poſſe ſerum extillare, hærere in ſurculis bronchiorum minimis, in tenerrimis veſicularum cellulis, ibique extroverſa acrimonia eroſiones efficere, quoties verò ex adverſo idem malum ſequitur Hæmoptoën, cum effuſus in parvulas easdem cavitates ruptis vel vi externa, vel orgaſmo ſanguinis, vel aliunde ramulis quibusdam ſanguineorum vaſculorum, ſanguis, nec plenè tuſſiendo ejectus ſub mora in acre pus abit tenerrimumque depaſcere incipit parenchyma, ſicque eroſionem, putredinemque propagare, exardeſcente ſimul ob illatas ſanguini putridas partes lenta ac tabifica febricula vix ulla amplius arte coercenda.

Hemorrhagias verò atque excretiones tales ſanguinis à cauſa interna ortas derivant ex ſublato circulationis ſanguineæ æquilibrio; ac certum quidem eſt ſi ubique æqualis eſſet propulſi ſanguinis niſus, eademque viarum libertas, non effuſum iri ſanguinem, ſed & id verum eſt, propriè ſic dictum æquilibrium inter ſanguinem contentum in vaſis diverſis non eſſe, quia ipſius motus non à gravitate pendeat, ſed ab antliæ cordis propulſione, uti in tubis recurvis fluctuante liberè aqua cruris utriusque liquor vel idem vel diverſus ſervet æquilibrium, tanquam libra naturalis agens vi gravitatis ſimplici & æquabili, ſi autem addatur huic recurvo tubo antlia urgensque embolus, non amplius eſt inter cilindros aquæ æquilibrium ſed accedit emboli urgentis vis & tollit æquilibrium.

Aër corporis internus cum externo debet ſervare æquilibrium, ſi integra debeat eſſe machinæ ſtructura, circa liquores ſpiſſiores corporis id non æquè obtinet, nec habent æquilibrium inter ſe, ſed debent ſpectari conjunctim cum vi moto-

motoria ſuæ antliæ, & cum reſiſtentia omnium vaſorum & fibrarum, imò & cum horum flexilitate, reſiſtentia, craſſitie ac tenuitate, vi cujus aliquando à liquore ſtagnante, vel orgaſtico, vel acri, vel fortius appellente violenter rumpuntur, aliquando ob prævíam debilitatem, atoniam, minus reſiſtendi robur, mollitiem præternaturalem, vel & diſtenſionem præcedentem, vel eroſionem incipientem facilè aperiuntur, perrumpuntur, dilatantur, licet ſanguis ſolito vehementius non affluat, nec majorem illis ſolita inferat vim &c.

Hæmorrhagiæ ortum ſic ordinariò deſcribunt, ut eam dicant oriri, cum ſanguis non liberè movetur per totum corpus, ſed ob partem obſtructam, vel ſpaſmodicè contractam non ritè curſum ac iter ſuum abſolvere potis eſt, hinc regurgitat ad alia vaſcula minora, & illorum orificia copia, & impetu motûs dilatat, ſicque data porta erumpit. Quæ quidem ſi applicentur ad ante dicta clarius patent, ſi addas, non ſemper in dilatatione orificiorum ſubſiſtere hunc niſum, ſed plerumque ipſa vaſcula rumpi, quod in incredibili vaſculorum copia mirum nemini videbitur; nec opus eſt ſemper regurgitatione, ſolus orgaſmus absque illa ſufficit ad aperienda aut perrumpenda tenerrima vaſcula, ut mirum potius ſit non eſſe frequentiores hæmorrhagias, maximè ſi attendas uti attendendum omninò eſt, ad motus & inclinationes naturæ ſub certis excretionibus, occultasque deſtinationes & determinationes, quibus fibrarum variæ ſtricturæ opitulantur, exemplo hæmorrhagiæ narium, uteri, hæmorrhoidum &c.

Maxima ſane vis eſt occultæ ſæpe turgeſcentiæ ac tendentiæ humorum vel abundantium, vel orgaſticorum, unde & meritò rara ſanguinis textura, atque ad expanſionem nimiam apta atque ob interni aëris libertatem nimiam nimis elaſtica, æque inter hæmorrhagiæ cauſas allegatur, ac ejus acrimonia præternaturalis atque excedens.

Quod

Quod verò dicitur, omnes hæmorrhagias maximè pertinaces habere fundamentum in vaſis obſtructis, vel ſpaſmodicè contractis, & hinc ſanguinem affectibus animi, vel ab alia cauſa interna & externa nimium in motum excitatum, & in motu ſuo circulari turbatum, per inſolitas vias non rarò exitum affecturo, id partim convenit cum jam dictis, partim non adeò quà primam partem univerſale eſt, cum & ſine ſpaſmis, & obſtructionibus oriri poſſit hæmorrhagia, ſolo orgaſmo, ſola tendentia ad certum partem, vel ſola acrimonia erodente, vel nimia ſanguinis fluxilitate, nimisque tenui conſiſtentia, cui ſi accedat cachectica diſpoſitio, incoercibilis fit hæmorrhagia.

Reſpectu iſtius diverſitatis cauſarum & originum hæmorrhagiis complicati ſubinde dolores in hypochondriis tenſivi, flatulentæ primarum viarum contractiones, anxietates præcordiales, excrementorum alvi ſuppreſſiones, &c. nunc cauſæ nunc effectus rationem habent, nunc verò per indirectum ſuperveniunt, ac per conſenſum ſive nervorum, ſive vaſorum humoribus infarctorum tumultuantibus; flatus ſanè multum contribuunt in turbandis tum ſpiritibus, tum nervis, tum humoribus corporis quibuscumque.

Ratio, cur moneant authores, adſtringentia & Stypticа, motumque ſanguinis retardantia intempeſtivè adhibita non rarò in ingens periculum præcipitare ægrotos, non illa ſolùm eſt, quod largiorem ſæpè hæmorrhagiam efficiant nimia ſtrictura fibrarum, quæ promovere æquè & pellere, ac retardare ſtillantem valeat ſanguinem, ſed & illa quod tutum non ſit celeriter nimis conſtringere, ac reprimere orgaſticum nimis, turgentemque intimè ſanguinem, ne alibi graviores tentet ac periculoſiores eruptiones; ut taceam ineptè ſæpius ſiſti fluxum ſanguinis ſalutarem ſi ſibi, vel naturæ potius relinquatur, futurum, quales dijudicare prudentiæ eſt.

Su-

Supra jam monuimus aliam esse rationem hæmorrhagiæ ab orgastico, raroque ac teneri ob vigorem sanguine, aliam si tenuis sit atque aquosus à fluore Cachectico, ille enim si à febri, inflammatione, acri bile, affectibus inordinatis, orgasmo, copia ab usu Spirituosorum nimis emotus rarescat, vasaque perrumpendo ac laxando erumpat quomodocunque in hæmorrhagias, compesci facilius ac reprimi potest, hic verò cum sit gelatinoso principio orbatus, & nimio fluore resolutus ac vappescens, hæmorrhagias efficit periculosas ac lethales, cum nec adstringentibus, nec temperantibus atque refrigerantibus possit compesci, ipsa consistentia aquea diffluens, licet nulli fortiores superveniant spasmi qui tam tum ab inanitione supervenire facilè passunt.

Hæmorrhagiarum, seu effusionis sanguinis extra sua vasa, ac dehinc extra corporis ambitum non eadem est ratio, nec ad Pathologiam omnes promiscuè referre licet, cum non desit, quæ fiat justo naturæ, structuræque microcosmicæ ordine, adeoque non solùm ad commodum corporis, sed & ex ipsa fluidarum solidarumque partium proportione, mutua habitudine, seu harmonia.

Sic mensium naturalis ex uteri partibus fluxus hæmorrhagia est naturalis, in se ad Pathologiam non spectans, ac fundata tum in naturali sanguinis sequiori in sexu pro duobus individuis abundantia, tum in vasorum uteri conformatione eò divinitus dispositа, ut si nullus opponatur obex, stato tempore turgeat, egeraturque superfluus sanguis.

Sed & idem fluxus multis modis subest Pathologicæ considerationi, sive nimius fiat copia, orgasmo, tenuitate acrimonia, impulsione sanguinis nimiis, sive tardior contingat, sive parcior, sive depravatus quà consistentiam, colorem, dolorem, similiaque symptomata, sive omninò ante tempus, quibuscunque ex causis, præter graviditatem supprimatur.

Eadem est ratio Lochiorum, quæ ad Physiologiam omninò ac naturalem hominis spectant dispositionem, Pathologicæ tamen frequentissimè considerationis sive ex vulnerato post partum ex separatione secundinarum utero retineantur ac vitio vel consistentiæ, vel nimii caloris, siccitatis, aut constrictionum spasmodicarum non fluant, vel fluant parcius quam par est, ac breviori tempore, vel acria nimis putridaque excernantur, profundius læso utero, vel penitus supprimantur sive citius, sive tardius, unde gravissima puerperarum mala; imò & mors à subitanea ac nimia effusione, sanguine vel nimis tenui, vel orgastico, vel agitato, aut à tergo propulso existente.

Nec aliud ferè de Hæmorrhoidibus licebit dicere, quanquam ista excretio tam universalis non sit, salutaris tamen ac naturalis est plurimis. At Pathologiæ tamen objectum frequentissimum, sive non succedant, turgente quidem sanguine, sed non satis, nec benè quà consistentiam dispositio, nec viis adhuc aptis apertisque seu patentibus, aut recluſioni facili faventibus; unde ingentes sæpè dolores in hæmorhoidibus cœcis. Si verò incertis, vagisque fluant periodis, ita torqueat ægros, ut sæpe dubites an plus commodi ferant, an noxæ, continuis molestiis, cum nec cessare impunè possint, nec reditum fluxumque tentare. Sed & nimiæ hæmorrhoides gravissima inter mala referre ipsa sanguinis dispositio acris, tenuisque, & orgastica, quæ origo plerumque est jubet. Quæ tamen omnia mirè sæpè alternare, ac combinari solent molestis vagisque modis, cumprimis si Symptomaticè magis quàm criticè eveniant.

Alia ratio est narium hæmorrhagiæ, quæ utut sæpissime saluturis ac prospera, naturæque nisu obortа sit, per eas tamen vias secundum naturam fieri non debet, nec solet ordinario naturæ cursu; talis tamen semper non est, non semper conatu naturæ onus emolientis contingit; est enim frequentissimè ubi

acri-

acrimonia nimia, nimia fluxilitas, ac turgeſcentia, urgensque alicubi ſtimulus, atque oſcillatio ſolidarum nimium per nares cum gravi periculo, imò & lethaliter propellat ſanguinem.

Id magis adhuc majorique jure dicetur de excretione ſanguinis ex ventriculo, in vomitu cruento, ſive ſanguis per metaſtaſin, vaſorumque brevium nexum eò rapiatur effundaturque, ſive ex læſis ſtomachi fluat vaſis, ejiciaturque vel floridus quod rarum, vel grumoſus, qualis & ſimul per inferiora dejicitur, ſemper malum, ſemper periculoſum erit, neque enim iſta ſanguini patere debet via.

Uti nec in hæmoptoe unquam tutò ex læſis pulmonum vaſis contingit, licet in ſequiori ſexu ob menſium metaſtaſin minus aliquando monſtri alat ac periculi iſta ſanguinis cum tuſſi ejectio, nimis tamen facilè ac crebrò diſponit ad ulcera pulmonum, quanquam habeat ſuos gradus, variasque circumſtantias mitigantes in certis caſibus.

Vaſculorum quoque renalium non extenſio ſolùm, quàm accuſant, ſed & ruptura, eroſioque per vias planè inſolitas educit ſanguinem, ſive à ſolida ſive fluida cauſa vaſcula aperiantur, ſemper ingentes dolores, exulcerationes, ac pericula minantur aut proximè aut remotius imminentia, cum vel ſine ulcere in prolixis illis urinæ viis ac mæandris.

Quemadmodum omnes ordinariæ ac conſuetæ excretiones, nimirum ſudoris, urinæ, muci narium, ceruminis aurium, ſalivæ, menſium, hæmorrhoidum, bilis, ſeminis &c. non pendent à ſolo libero ſanguinis fluxu ac refluxu, ſed & ab illius textura laudabili, ac juſta conſiſtentia, ſeu legitimis mixturæ modis; ita & in ſuppreſſionibus excretionum non ſufficit allegaſſe vel debiliorem ſolùm, aut ceſſantem ſanguinis circulationem per partem, nec ſolas vaſculorum vel ſanguivehorum, vel ſecretoriorum & excretoriorum obſtructiones, vel ab intra, vel ab extra, ſed etiam cumprimis diſpoſitionem humorum,

conſiſtentiam, temperiem, ac mixturæ magis minusve integræ gradus ac ſpectantes eò alias circumſtantias.

Certum verò eſt, quoties ſanguis craſſior redditus limoſitates in vaſculis minimis excretoriis ac glanduloſis deponat, obſtructiones fieri in illis colatoriis, & ſupprimi inde excretiones ordinarias; neque tamen reciprocè ubicunque, hæ ſecretiones minus ritè ſuccedunt, id ſemper à tali limoſitate obſtruente atque actu vaſcula ſecretoria vel excretoria obturante erit deducendum, cum & ipſa ſibi fluida orgaſmo ſuo atque aggeſtionibus premendo alios tubulos ſibi viam queant præcludere, & ſtricturæ quoque fibrarum varia objicere impedimenta valeant, uti ex adverſo excretiones aliis quoque in caſibus accelerare ſolent ac graviſſimè commovere.

Si igitur legas menſes pertinaciter ſubſiſtere à pōlypoſa vaſorum uteri obſtructione, id ultrò concedes, ac facilè capies ſi polypi vaſa iſta occupent, tranſitum ſanguinis fore vel difficilem vel nullum; ſed cave tamen ſicubi occurrat pertinacior menſium obſtructio, ne illicò ſtatuas præſentiam talium obſtruentium vaſa uteri polyporum, qui forſan ſint rariores, nec facilè menſes omnimodè obſtruerent, ob nimiam vaſorum copiam quibus gaudet uterus, quorum uno obſtructo pateret alterum; ac cogita ſimul aliud eſſe polypum, aliud mucum, ſeu ſpiſſiorem pituitam, ac viſcidum phlegma paſſim latera, parietesque incruſtans vaſorum.

Idem dicas de polypoſa ſanguinis & ſeri nutritii concretione in venis vel arteriis, quæ turbando dicitur ſanguinis curſum, dyſpnœam, peripneumoniam, catarrhum ſuffocativum, ruptiones vaſorum, hæmoptoen, apoplexiam &c. facillimè poſſe efficere. Ultrò enim id largieris, loquuntur id tot aſthmata, palpitationes cordis, aliaque affinia mala; ſed & id cogita, ſæpè non accuſari polypum, imò ne cogitari quidem de eo, ubi revera genuina morbi ſit cauſa, ſed & ex adverſo

verſo ſæpè accuſari ubi cauſa non ſit ſed ad ſummum effectus, isque vel in fine ſuperveniens, ſi maximè diſtinguas inter verum polypum lamellatum, quaſi organicum, quin & radices ac baſin in vaſe vel membrana ejus ac ſubſtantia habentem, indeque enatum, & inter polypum mucoſum, pituitoſam maſſam membranas mentientem, imò & inter grumoſum ſanguinem, vel mucoſam maſſam, vel fluctuantem in ſanguine aut amplioribus vaſis grumum, aut mucum, forſan paulò ante mortem, vel poſt mortem demùm concretum, ſive in vaſis, ſive in ſinubus, quamvis & iſti ſint vaſa revehentia.

Ipſa ſanguinis copia in Pathologicis frequentiſſimè inter cauſas eſt connumeranda, ſive ſanguis ille abundans ſit magis vel minus pravè diſpoſitus, ſive tenuis ſimul ſive craſſus, ac viſcidus, ſive mitior ſive acris, quæ quidem omnia ejus agendi modum variè immutant ac ſpecificant, ſemper tamen ipſa abundantia, ſi vel optimus ipſe eſſet, periculum minatur, labores enim nimios antliæ cordis muſcularis ſic ſatis mole ſanguinis ordinaria ac partium reſiſtentia gravatæ, objicit, efficitque ſub quorum conatu facilis paſſim triſtisque vaſorum turgentium urgentibus à tergo undis ruptura, motus ſanguinis impeditior, uno vaſculo, tubuloque diſtento alterum vicinum comprimente, ſtaſesque, & obſtructiones vaſorum efficiente, unde non ſolum crepaturæ vaſculorum, ſed & ſanguinis ſub mora corruptiones ac varia vitia, ſed & ob ſtimulos paſſim impactos ſpaſmi ac ſtricturæ noxiæ innumeræ ac variæ, hinc toties venæſectio locum invenit.

Cap. VII.

DE MORBIS QUI EX MOTU VEL VITIO LYMPHÆ AC SERI DICUNTUR ORIRI.

LYmphæ motum impeditum & retardatum varios concitare morbos poſſe ac ſolere caret controverſia; illud verò impedi-

pedimentum ac retardatio longè frequentius contingit in organo ſecretorio, quàm in vaſis lymphaticis; utut enim etiam in his poſſint ac ſoleant oriri impedimenta, ea tamen non æquè frequentia ſunt, ac glandularum obſtructiones, obicesque lymphæ objecti, antequam illa in lymphatica colligitur vaſa.

Nec eadem ſanguinis ac lymphæ ratio per omnia eſt, ut ſicuti abundantia in venis & arteriis motum ejus liberum ſufflaminet, ita quoque retardatio motus lymphæ ſtatim à repletione nimia vaſorum lymphaticorum oriatur; alia enim eſt ratio ſyſtematis vaſorum ſanguivehorum quod cum vitali ſua antlia urgente conſiderandum eſt, alia verò lymphaticorum vaſorum in quæ vi minori adigitur lympha.

Certum tamen eſt poſſe & hæc nimium repleri, tendi, imò lacerari, quod tamen potius tenacitati ac ſpiſſeſcentiæ lymphæ competet, ſi ob lentorem illa non ritè progredietur, quanquam & tum parcius ad ipſa lymphatica vaſa veniat; ſive verò ſanguinem, ſive lympham in motu concipias retardatam, utrinque tenacitas obſtruet, copia nimis diſtendet ac onerabit fibras promotrices motûs illius.

Quanquam lymphæ & diſpoſitio & motus à ſanguine, tanquam ſcaturigine ſua pendet, & à vigore circulationis, conſiſtentiaque ſanguinis liberior lymphæ oritur ſecretio, promotioque, at quando tardior circulatio eſt, vel ſpiſſior ac quaſi ſiccior conſiſtentia, tardior quoque & parcior lymphæ ſecretio contingit.

Contingetque proin in certis caſibus, ut circulo ſanguinis aucto, eo ipſo lymphæ quoque per ſua vaſa citatior fiat motus; ſed non ſemper continget, nec omne id quod circulum ſanguinis auget, lymphæ quoque citatiorem efficiet motum, cum exagitare quædam ſanguinem queant, quæ tamen eum non fundant, nec procurent largiorem ſeri ſeceſ-

ſum

ſum imò potius ſub auctiore ſanguinis motu negotium lymphæ ſecretorium turbent , quod promptum ejus à purpurea partem ſeceſſum requirit, qui non ſemper cum citatiori motu coincidit.

Scirrhi origo deducitur à lymphæ lentore & coagulo, dum in anguſtiſſimis tubulis ac canaliculis glandularum ſtagnet; ac converti in pus non poſſit ob calorem continuò exſiccantem, à quo tandem ita ſcirrhoſè induretur ; nec negaveris facilè lymphæ concurſum ad geneſin ſcirrhi , adæquatius tamen ſanguini vel lymphæ ſtagnanti id adſcribas , nec enim excludi ſanguis poteſt , qui non ſemper ubi ſtagnat in pus abit, licet non diſcutiatur ; ac naſcuntur plerumque ſcirrhi ſenſim ſine tanto calore qui tam potenter valeat exſiccare; ſine quo humorum craſſities ac viſciditas, exhalante tenui parte , per tubulos diviſa ac infarcta ſatis poteſt efficere duritiei in tumoribus.

Confirmatur id ex eo quoque quod ſcirrhus non ſolùm occupet glandulas conglobatas, ſed & membranas aliosque tubulos , & omnia viſcera , parenchymataque ſanguine intimius & undiquaque perfuſa ; diuturnitas enim temporis efficit , quod vix calor exſiccans effecerit , humorum ſcil. in tubulis hærentium inſpiſſationem , & tandem exhalantibus partibus tenuibus indurationem , unde plurimi ſæpè amni ad ſcirrhi formationem plenam contribuunt ſymbolum ſuum.

Cancri à ſcirrho geneſin ita diſtinguunt, ut dicant glandulas in Cancro fieri ſcirrhoſas à materia corroſiva , quam aliâs acidam , aliâs acrem ſimpliciter dicunt , diu ſtagnante, qui ſi exulceretur incurabilis ſit ; ac certa eſt illa cancri peſſimi moris acrimonia ; notandum tamen non ideò omnem ſcirrhum habere aliam à cancro materiam contentam , ſæpe

ſcirrhus

ſcirrhus manet qui poterat fieri cancer, ſi data fuiſſet occaſio, vel excitans cauſa, ſæpè per annos plurimos illa latet ſubſcirrhi duriſſimi ſimplicisque ſpecie acrimonia, tum demum in actum eruptura per morbum, per ſanguinis graviorem deſciſcentiam, per vim atque occaſionem externam; ubi verò ſemel aliquis aëri acceſſus patet, corruptor ille generalis gravius excitat malum atque acrimoniam putredinemque potentius excitat, provocatque, humoribus intimius uſque graviusque infectis.

Tumores magis minusve indurati pro diverſitate partium varium ſortiti nomen teſtium ſc. mammarum, tonſillarum, parotidum, glandularum colli, meſenterii, inguinalium &c. ortum ſuum debent non ſolùm partibus ſeroſis, non ſolùm Lymphæ, ſed & ſanguini, ejusque ſuccis variis, vel implicitè vel explicitè in eo contentis, non tam in fibrarum carnearum poris ac tubulis, quàm in vaſculis tum ſanguivehis, tum lymphaticis, tum etiam ductibus, cellulisque glanduloſis, atque inter fibrarum ordines interſertis interſtitiolis non rite circulantibus & promotis, ſed inibi ſtagnantibus, ac partes illas minutas ſeu interſtitia ampliantibus, & diſtendentibus, inibique concretis magis minusve.

Varii dantur ſcabiei gradus ac ſpecies, rectèque pro cauſa accuſatur ſanguinis ſerum acre per glandulas ſubcutaneas cutisque poros non ritè ejectum ſed in fibris cutaneis ſubſiſtens, ac diſtenſionem dehinc, eroſionem ac ſuppurationem efficiens; modò notetur, nec ſerum ſolùm, ſed & alias ſanguinis portiones, huncque ipſum accuſandum, etiam tùm cum per glandulas & poros excretio non ceſſet, quia ſæpè critica eſt ſcabies ac beneficium naturæ, aliâs verò creberrimè à contagio oritur facilè communicandum per lintea communia, contactumque malum.

Majores minoresve oriuntur puſtulæ pro ſpecierum ſcabici

biei varietate, variaque ſuccorum impuritate, majori vel minori acrimonia, ac prout ſucci vel tenuiores vel magis gelatinoſi mundique à natura eò propelluntur, hinc ſiccior humidiorque pro varietate temperamenti ſcabies, benignior, vel malignior, ubi ſimul conſideratione digna animalcula illa, ſirones vivi, cryſtallini concluſi in puſtulis, quin & graviſſima mala à ſcabie retropulſa corpori inducta.

Varii acrimoniæ, impuritatis, læſæ tranſpirationis aut repreſſæ gradus, variæ paſſim ſanguinis, acris viſcidæve lymphæ, ſeri ſalibus tincti ſtaſes, tendentiæque ad partes vel criticæ vel Symptomaticæ varias excoriationes, puſtulas, tineas, intertrigines, favos, herpetes, phlyctenas, guttas roſaceas &c. progignunt.

Lepra omninò ſcabiem malignitate longè ſupergreditur ſeu excedit, multum à ſcabie etiam maligna adhuc diverſa, ſingularis enim humorum malignitas, atque ſpecifica impuræ acrimoniæ vis illi ſubeſt, ſingularem quoque partium ac lentam necroſin inducens; ubi vix profundam intimamque tubulorum obſtructorum explicare valeas necroſin tam lentam tamen ac durabilem, niſi mirò combinatam nexu cum acrimonia ingenti vappeſcentiam ſanguinis ſpecificam ac ſui generis ſupponas, ſtatum fluidorum ſolidorumque admodùm deſtructum corruptumque, ab omnibus tamen corruptionibus aliis multis ac peculiaribus circumſtantiis diſtinctum.

Calculorum, ſed durorum, ſolidorumque corporum in cavitatibus, partibusque corporis geneſin complecti equidem licet ſub generali conceptu, cum verò variæ paſſim concretionum illarum in veſica, renibus, articulis, veſicula fellis, bronchiis &c. ſpecies conſideramus, diverſa valdè earum rationem eſſe ultrò deprehendemus, cum & diverſa ſoliditas ſit, imò quà ſpecies nonnullas materia.

Neque enim licet promiſcuè dicere has omnes concre-

tionum ſpecies oriri à ſero abundante particulis ad mutuum contactum & quietem aptis, præſertim tartareis fixis, limoſis, facilè in partibus membranoſis, frigidis, & cavitatibus in gypſeam & lapideam duritiem concreſcentibus, unde ſint tophi in arthritide, renum & veſicæ calculi, & lapilli veſiculæ fellis, imò & bronchiorum, & qui alii paſſim deſcribuntur.

Utut enim iſta renum, veſicæque calculis ſatis aptè conveniant, concretis tamen in fellea veſicula lapillis ſeu moleculis viſcidioris bilis coagulatis diuturna mora, & paſſim aliis vix congruent; nec partes illæ rectæ dicentur frigidæ, nec frigus ad concretionem quidquam juvat, cum frequentius calor præternaturalis iſtas foveat augeatque concretiones.

Nec verò ſufficit limoſitas ſeri, & aptæ ad cohærendum partes, certè & hîc ſpecifici quid ſubeſt, nec omnis eò aptus eſt tartarus, nec omne principium ſalino-terreſtre; idioſyncraſia, character ſanguinis individualis, vitæque genus & alia concurrentia rem mirè variant, mutantque. Potiſſimùm in vero calculo reſpiciendum & ad baſin, qua ſine non tam facilè formantur calculi, quaque ſuppoſita incrementa habent ſubitanea ac ſtupenda, quanquam etiam aliqui lentiſſimo gradu progenerentur.

Docent id experimenta vel ſtudio vel caſu facta rerum in veſicam immiſſarum, brevique calculoſa concretione obductarum; ac nuclei illi renales, qui ſatis ſæpè minuti feliciter ac numeroſi excernuntur; plerumque enim ex renibus parvulus ad veſicam devolvitur, etiam magno ſæpè cum dolore, ſæpè cum nullo, nucleus futuri calculi, ſeu minimus calculus, vario tamen magnitudinis gradu, facilè intra veſicam, ſi moram trahat ob atoniam ejus aliaque obſtacula, majorem novis ſtratis appoſitis augendus in molem, imò talem quæ requirat ſectionem.

Catar-

Catarrhorum geneſin communiter deducunt ex lymphæ circulatione impedita, ita ut catarrhum efficiat quicquid impediat retrogradum lymphæ motum, nec quisquam facilè dubitaverit de turbata hac circulatione, licet potiſſimùm reſpiciendum ſit in plerisque catarrhis ad ſtatum ſanguinis quà totam maſſam, ſi maximè jungatur febris catarrhalis turbæque in mixtione ejus cum fuſione ſeri ac colliquatione, ubi gravior glandulis imminet lymphæ lenteſcentis ſtaſim, occupat earum anfractus donec diſcutiatur denuò attenueturque viſcidum ſtagnans phlegma.

Quanquam in ſpecialibus iſta caſibus varient, prout calida fuerit frigidave cauſa, coryza humida vel ſicca, magis vel minus acri, tenui vel craſſa exiſtente lympha, magis minusve aggeſta ac quaſi cumulata in glandulis.

Ad fauces verò & caput frequentiores regurgitant catarrhi ſeu lymphæ aggeſtiones ac ſtaſes, non quidem ob copiam lymphaticorum vaſorum, quæ aliis partibus non adſunt parciora, ſed ob glandularum frequentiam non modò, ſed potiſſimum talium glandularum quæ ex profeſſo phlegmata, variosque humores ac ſuccos ſeparant à maſſa ſanguinea, & quoniam hæ glandulæ, hoc loco ſitæ magis exponuntur injuriis ambientis aëris ſeu athmoſphæræ.

Hujus enim inæqualitates, ſubitæque mutationes calidi in frigidum, & frigidi in calidum, variè cumprimis combinata & accedente humiditate, atque impreſſione ventorum, aërisque tam varii reſpirando per os, naresque hauſti atque cum impetu irruentis catarrhalium ſeri ſtaſium ordinariæ ſunt occaſiones, concurrente temperamento ſpeciali atque Idioſyncraſia magis ſenſibilium ac diſpoſitorum corporum iſtiusmodi fluxionibus ſubjectorum.

Cum verò ex capite unicè deſtillantem Veteres conſideraverint catarrhum, id in tantum verum erit, quod ſubjectum

capitis partes conſtituant, ſive per metaſtaſin ex encephalo huc protrudantur graves partibus nobilioribus humores, ſive tota ſanguinis maſſa ſalutari criſi ſeſe per iſtam exoneret viam, ſive denique ab extraneis ſerum aggeſtum convocatumque ſit cauſis, fibræ ſemper capitis illi propellendo, in glandulis quaſi maturando, ac dehinc ejiciendo erunt occupatæ.

De tuſſi eadem ratione concludendum eſt, nec ſufficiet dixiſſe, in aſpera pulmonum arteria innumeras eſſe glandulas & vaſa lymphatica, in quibus ſi motus lymphæ impediatur, vel hac qualitate acri ſit imbuta, excitetur tuſſis ac raucedo; namque parum huc contribuit vaſorum lymphaticorum conſideratio, in quæ ſi ſemel ſit reſorpta lympha nec tuſſim amplius nec raucedinem efficiet, id verò ſerum acre quod tuſſim excitat ſtimulando fibras nerveas ac muſculares ſive parcius, ſive copioſius ſit, in tuſſi vel ſicca vel humida, ex glandulis illis extillat, quæ vaſis lymphaticis ſuam lympham non infundant.

Quò & id pertinet, tuſſim ſæpe à minutiſſima acrimonia excitari ſtimulante nervos ac in ſpaſmos ciente fibras; imò & aliunde per conſenſum nervorum, à ventriculo aliisque partibus, à ſanguinis aggeſtione circa præcordia, variisque aliis internis, externisque cauſis, etiam à deſtillantibus in faucium iſthmum indeque in aſperæ arteriæ principium ac canalem ex capitis glandulis ac meatibus humoribus acribus atque irritantibus, unde & raucedo frequentiſſimè ortum habet, ſive intumeſcentiæ membranarum ac glandularum, ſive earum relaxationi, ſive exaſperationi, ſive exſiccationi, imò & ſubtilibus fiſſuris, atque excoriationi debeatur, multiplex enim mali ab interna externaque cauſa origo eſt variè inter ſe concurrentibus.

Nec dubium eſt ipſam quoque Phthiſin oriri ex tuſſi poſſe, (uti vice verſa tuſſis etiam inter effectus & ſymptomata phthi-

phthiſeos eſſe poteſt) ſi continua talis deſtillatio, atque effuſio ex faucium ac tracheæ glandulis fiat ſeri acris, erodentis, ſcorbutico charactere tincti; ſumma enim veſiculaṛum ramulis bronchiorum reſpondentium ac continuarum teneritudo eſt, atque aptiſſima ad eroſiones ſtagnationemque humorum ſemel ibi incraſſatorum vel incluſorum, ſi progreſſus reditusque non pateat, mora acrimoniam exaltante.

Ulcera boni ac mali moris, abſceſſus, apoſtemata, enatas hinc fiſtulas, careinomata, cancros à lympha ſalina, acri, maligna, & corroſiva qualitate ſaturata, inque glandulis ſtagnante generali equidem conceptu licebit deducere, ſed non excluſivè ad totam maſſam ſanguineam, vero fonte iſtorum malorum, etiam proximè, cum pus etiam in ulceribus non ex ſola gignatur lympha; & ſpeciales quidem ad differentes adeò continui ſolutionum ſpecies humorum dyſcraſiæ, acrimoniæ, impuritates, ſtaſeos vel & ſtagnationis, moræ, inſpiſſationis, corruptionis gradus, requiruntur, quæ ſpecialiſſimè determinare res eſt intricata, ac difficultatis plena, cum & quà individua variet.

Quod ad excretionem variorum humorum præternaturalem attinet, audias quidem eas ab eodem deduci principio, ita ut ſi vaſa lymphatica & glandulæ ſalivales nimis ſint diſtentæ, apertæ, vel eroſæ magna per phyaliſmum ſalivæ quantitas profundatur; ſi idem eveniat in proſtatis & veſiculis ſeminalibus fieri gonorrhæam, ſi in uteri vagina fluorem fieri album; verum advertendum arbitror, iſta omnia à vaſis lymphaticis ſive diſtentis, ſive apertis ſive eroſis non poſſe oriri, non ſolùm quod iſta vaſa omnia ad ciſternam ſuccum ſuum vehant, ſed & quod alium vehant ſuccum, ab illis planè diverſum, ſalivæ quidem non multum diſſimilem, interim tamen nihil ipſis qua geneſin ſalivæ tribui poteſt vel debet, nec ſola glandularum ſalivalium diſtenſio (eroſio enim earum alibi effunder

fundet liquorem, non per ptyaliſmum cum ductus eam fundant, hientque in os, non glandulæ) apertioque, ptyaliſmum efficit, ſed maximè ſeri fuſio, atque ad has partes largior fluxus ac determinatio, uti ſalivatio docet.

Gonorrhææ verò planè alia ratio eſt, quæ nil cum lymphaticis vaſis habet commercii, ſive jam fundetur in eroſione veſicularum, ſive proſtatarum, ſive glandularum Terraneanarum &c. ſemper alium fundet liquorem, ſive ſeminalem in benigna, ſive corruptum ſanioſumque in virulenta gonorrhæa.

Albus verò mulierum fluor pariter à ſimplici lymphæ fluxu per ſalivales glandulas prorſus differt, ſive moris benigni exiſtens abundantius effluat ex vaginæ ejusque orificii glandulis, ſive acrior vel per moram factus, vel ex maſſa inſigniter acri hucque virus ſuum evomente & eliminante huc propulſus pejorem induat morem, ſua quoque copia vires tentans, & partes erodens.

Quam in infantibus obſervant lactantibus authores diarrhœam chyloſam ipſis dictam, cui jungi atrophiam ac tympanitidem illi dicunt, eam inde deducunt, quod vaſa lactea quæ nil ſint niſi vaſa lymphatica vel in principio, in cruſta villoſa, vel in medio itinere in glandulis meſeraicis ſint obſtructa ita ut fluere ac promoveri ad ciſternam chylus non poſſit.

Ac certum quidem eſt ſi omnis hæc via tam multiplex fuerit obſtructa non poſſe non chylum egeri per alvum, ſed tali omnimodæ obſtructionis caſu nec tympanitis nec atrophia formabitur, brevi ſequente ob nutrimenti defectum totalem morte; nec totalis iſta obſtructio tam frequens fuerit; neque ſi ſit particularis quorundam lacteorum vaſorum ſtatim iſta cudet mala, cum vel per alia tum pateat via ad ſanguinem; cæterum lactea habent analogiam multam cum Lymphaticis, nec tamen omninò idem ſunt, nec ratione officii, nec originis; nec vera illa tympanitis eſt, quam mentitur iſte abdo-

abdominis infantilis tumor, ſæpè glandulis tumefactis, cruditatis concervatis ac flatibus ſimul adſcribendus inteſtina muco infarcta diſtendentibus; ut prætereamus veram fluxus talis chyli indigeſti originem atoniam ventriculi & inteſtinorum, chylum non valentium vel elaborare, vel ſubtiliſare ſatis, vel promovere, acoremque tam pravi chyli irritantem, ac viſciditatem oſcula oblinentem.

Licet omnia viſcera & omnes corporis partes gaudeant vaſis lymphaticis, quæ ſuperfluam à nutritione ſecretamque à ſanguine lympham revehant mediante ciſterna ad ſanguinem, non tamen ideò ſeri in partibus decubitum ac ſtaſin, natosque hinc tumores, dolores, rheumatiſmos à ſola illorum obſtructione derivare ſufficiet, cum iſta evenire & poſſint & ſoleant ſalvis etiam vaſis lymphaticis, cum nec pendeant à ſola lympha ſed à ſanguine, vel lympha quæ à ſanguine nondum plenè feceſſit, & antequam ad lymphatica appulit vaſa, vel in illorum tubulos recepta eſt licet ſatis patentes, ſi maximè accedat lentor humorum.

Univerſalis tumor in Leucophlegmatia ſeu anaſarca fieri dicitur, cum ex vitio circulationis ſanguinis tardioris propter viſciditates copioſas, partes verò balſamicas & ſulphureas depreſſas lympha non rectè circuletur & revehatur, ſerumque ſanguineum ſtagnet; quanquam non videatur ſufficere & viſcidiori ex ſanguine tardior circulatio, & oppreſſio partium activarum, & lymphæ circuitus impeditus, quæ in omni cachexia adſunt, imò & in œdemate particulari, nec tamen ideò tumor eſt univerſalis ſtatim vel anaſarca, requiritur ergò non copioſa modò viſciditas, ſed viſciditas quaſi æquabilis totius lymphæ, ubique tardius promotæ ac hærentis, accedente fibrarum languidarum viſcidos humores non ritè promoventium atonia aç relaxatione expanſioni & intumeſcentiæ facilè cedentes.

Unde

Unde & lentè eveniunt increſcuntque iſti tumores Lencophlegmatici, quanquam & ſæpè ſubitò exoriatur ſimilis intumeſcentia, ad eandem ſpeciem tamen vix referenda, quam frequentius videre eſt cum febribus, vel poſt febres, pueros cumprimis corripientem.

Hydrops Aſcites dicitur, quando extravaſatio Lymphæ & collectio ipſius fit in cavitate vel abdominis, vel peritonæi duplicatura, quam derivant à ruptione vaſorum Lymphaticorum, quam quidem ita ſibi concipiunt fieri.

Vaſis Lymphaticis obſtructis nova continuò lympha accedente ampliantur illa & intumeſcunt, & quoniam ob valvularum ſitum non retrogredi poteſt lympha fiunt hydatides ſeu magnæ, ut loquuntur veſicæ, à quibus ruptis magna lymphæ fit extravaſatio, hinc ſubitò hydropem quandoque oriri exiſtimant.

Quæ utut in ſe rectiſſimè ſe habeant, monendi tamen ſunt diſcentes, nondum plenè evidens eſſe, omnem aſcitem atque hydropem à ruptione vaſorum lymphaticorum oriri; ſecundo præcedere utplurimum, ac diu ſatis pedum tumorem ſenſim aſſurgentem, nec æquè ſemper in principio intumeſcere abdomen; tertio reſpiciendum eſſe potiſſimùm ad ſanguinem vappeſcentem & Cachecticum, vigore vitali deſtitutum, ad fibrarum atoniam & laxitatem, mollitiemque; poſſe denique hydatites nunc parvas nunc magnas fieri, nec ſemper in vaſis lymphaticis, & ab illis, ſed & in membranis, imò fibris, easque ſæpè ingenti numero; nec tamen eas præcisè requiri ad geneſin hydropis, cum effundi lympha & rumpi vaſcula, & crepare glandularum tubuli ſine hydatide præexiſtente queant, quæ frequentiſſimè demùm exoriuntur ſub præſentis jam hydropis decurſu.

Sæpe quoque in cavitatem thoracis effunditur præter naturam ſerum formatque moleſtiſſimum pectoris hydropem, uti

in

in ſcroto hydrocelen, in capite hydrocephalum, quanquam & alias obſervetur occupare partes, maximè mulierum ovaria &c.

Tumores ſcirrhoſi, tubercula meſenterii ganglia, aliæque paſſim obſervatæ in viſceribus durities tumoresque in hydropicorum cadaveribus obſervati anſam non rarò præbent ſtaſibus ſeri, ſicque hydropem gignunt, neque id tamen perpetuum eſt cum talia ſub diuturna illa cachecticaque ægritudine, vel enaſci demum, vel augeri poſſunt, effectus potius habituræ rationem quàm cauſæ, imò neutrius ſi ſaltem ſint conteomitans.

Notandum eſt, quando à circulatione lymphæ æquali impedita derivantur omnia hydropicis evenire ſolita ſymptomata, nimirum acrimonia ſanguinis, & ob hanc eroſio partium, atrophia, urina intenſè rubicunda, ſitis, calor p. n. pulſus frequens &c. reliqua non excludi, maximè dyſpnœam plerumque intenſiſſimam, ſive ſanguini illa per pulmones difficulter mobili, ſive polypoſis circa cor concretionibus debeatur, ſoli ſaltem lymphæ circuli inæqualitati adſcribi vix poterit, uti nec reliqua ſymptomata.

Acrimonia enim hinc minimè pendet, dum potius ſub mora ac ſtagnatione ſpicula ſe evolvunt ſalium quæ antea nondum eroſerant, ſed latuerant; Urina pauca intensè ac lixivioſè tingitur ſerò aliò effuſo, ſalibusque parcæ urinæ innatantibus, toto jam ſanguine humiditate blanda deſtituto ac nimium incaleſcente, unde pulſus frequens, ſitisque & calor &c.

Si hydropici ſerum extravaſatum leniter igne tractatum concreſcat in modum albuminis ovorum, vel gelatinæ, indicium id quidem erit partium gelatinoſarum lymphæ, & non ſolius ſeri depoſiti, non tamen firmiter inde concluſeris eas ad ſanguinem non pervenire, atque ad partes ipſas nutriendas ſicque atrophiam hinc oriri, veniunt omninò ad ſan-

guinem ſed ex ejus maſſa huc demum deponuntur, veniunt ad partes ſed nec ibi manent hærentve, nec nutriunt, quia ad nutritionem non ſufficit præſentia gelatinoſarum partium, ſed earum appoſitio, atque ut hæc fiat fibrarum tonus ac robur, ipſorumque humorum vigor, non vappeſcentia qualis in hydrope eſt, hinc probè diſtinguendum inter gelatinam naturalem ſanguinis probè ſubactam & excoctam, interque talem lympham concreſcentem viſcidulam, non tamen ideò bonam vel nutritioni aptam.

Experimentum Loweri, quo in vivo cane vena cava ſupra diaphragma ligatur, inque abdominis cavo magna ſeri quantitas hydropici in morem colligitur, vel ſi ligatis jugularibus oriatur ſeri in capite effuſio & collectio, meritò monebit attentiores, non ad ſeri ſolius motum, ejusque in vaſis lymphaticis obſtacula eſſe reſpiciendum, ſed & ad ipſum ſanguinem, ejusque per venas fluxum liberum, cujus impedimento lymphæ quoque ſecretio ac progreſſus non poſſit non turbari ac perverti.

Quandò de Tympanitide ſermo eſt, eam quidam habeat pro ſpecie ſingulari hydropis, alii dicunt eſſe potius tumorem flatulentum, ſive eum dicant oriri ab obſtructione pororum in inteſtinis, meſenterio, ventriculo, pancreate, ſive in tunica inteſtinorum villoſa, ut ſic tranſpiratio lædatur in inteſtinis, oriaturque hinc flatulentia, & ſi malum ſit gravius tympanites.

Probè tamen notandum non eandem eſſe rationem flatulentiæ, diſtentique à diſtentis inteſtinis abdominis, ac tympanitidis, non ſolum in tympanitide peccant flatus, reſpiciendum quàm maximè ad ſummum qui jungitur cacochymiæ vel ſi mavis cachexiæ ſiccioris gradum, ſummamque ſanguinis vappeſcentiam inertiamque, & ad pravos non in ſolis inteſtinis hærentes ſuccos corruptos, è quibus flatus illi halitusque

que abdomen tanta renitentia duritieque tendentes atque inflantes emergunt, non in inteſtinis modò ſed & in abdominis hærentes cavo, orti ad analogiam aëris qui in recipiente evacuato ex corporibus emergit ſuſcitaturque; ne quid hîc adjiciatur de viſcerum conjuncta diſpoſitione prava, quæ conjungi vel præcedere etiam ordinariò ſolet, &c.

Cum definienda eſt Cachexia, audias eam dici depravatam partium nutritionem, ob ſanguinem valdè crudum, & lympham impuram propter graves obſtructiones; adverte tamen obſtructiones has non tam cauſas eſſe quàm effectus viſciditatis, cruditatisque humorum jam prægreſſæ & plerumque diu collectæ; nec depravatam tum dixeris in ſenſu proprio nutritionem, quæ potius tum nulla fit & ſublata eſt, nec mora, ac ſtaſes viſcidæ lymphæ in partibus hærentis nutritio dicenda eſt, aliud enim eſt partes viſcidas in tubulis partium ſtagnare vel moveri tardius, aliud apponi & depravatè nutrire, illud evenire concedas, non hoc; cæterum ſanguis non tam crudus eſt quàm vappeſcens, lentus, viſcidis moleculis ſcatens loco gelatinoſarum, quibus variæ ſalinæ intertextæ ſunt, laudabilibus activis ac ſulphureis oppreſſis inundatisque à ſero abundantiore, mucidarumque glutine.

Hinc & Cachexia illa, quæ Scorbutica dicitur, hoc ſe charactere ſalino, & acri exſerit, diciturque fundamentum multorum morborum chronicorum, quam quidem ſcorbuticam non ideò dixeris, quod propter obſtructionem vaſculorum minimorum in viſceribus ſanguinis depurationi inſervientibus excrementa in fluoribus remaneant, hoc enim commune habet cum quavis vulgari cachexia, cum tamen peculiari ſe charactere diſtinguat ſcorbutica, acrimonia ſcilicet ſalina ſuccos illos viſcidos abundantius inficiente, quod licet iſtam meatuum occluſionem non excludat, tamen eam non præcisè ſupponit.

Cap. VIII.

DE MORBIS EX VITIO SPIRITUUM ANIMALIUM ORIUNDIS.

UTut non desint hodiè qui ipsam spirituum animalium existentiam vocent indubium, ea tamen & naturali partium actionumque vigore, & præternaturalibus earum mutationibus tam redditur manifesta, ut nemo non agnoscat à præjudiciis liber, esse tale fluidum impalpabile cujus laudabilis ac proportionatus influxus conservet actiones, impeditus verò cessansque eas destruat.

Naturaliter quidem animales hi spiritus ex cerebro fonte suo per nervos seu fibrillas horum aut medullam porosque tenuissimos quaqua versum liberè & æquabiliter influunt, qui influxus si præternaturam fiat, vel depravetur, vehementior fiat, torpidior, inæqualis, imminuatur, vel deficiente spiritu, vel parcius transmisso ob obstructiones ab intra & extra, vel aliquales vel totales, sicque omninò cesset, tum gravissima mala, tum sub cessatione totali ipsa tandem mors non potest non sequi.

Atque ipsa hæc differens quà gradus nervorum obstructio, vel spirituum animalium influxus impeditus, varios apoplexiæ efficit gradus, ut nunc Hemiplexia alterum saltem feriat latus, nunc lingua paralysi corripiatur, nunc verò sensuum tum internorum, tum externorum extinctio & motus voluntarii, abolitio & destructio oriatur, seu plena apoplexia, intercepto planè fluidi nervei impalpabilis, seu spirituum animalium motu per medullæ oblongatæ tractus, ac proin influxu in nervos corporis, ac dehinc fibras musculares partium.

Cumque in cadaveribus apoplexia extinctorum sectis observetur

ſervetur nunc extravaſatus grumoſusque ſanguis, nunc lymphæ coagulum premens nervorum principium ſeu medullam oblongatam, hinc orta eſt diſtinctio inter ſanguineam ac pituitoſam apoplexiam, quæ & ipſum temperamentum ægri & fiendi modum, ac lædendi rationem, ac præcedaneam diſpoſitionem ſimul reſpicit.

Unde nec ad iſtas ſolas ſpecies reſtringi apoplexia poteſt, cum & alia ſpiritus ligantia, nervos occludentia tam gravem inducere morbum valeant; opiata figendo ſpiritus & humores, fumi carbonum, arſenicales, aliique noxii halitus, cum maximè ſpaſmodica quoque nervorum conſtrictio altero ſemper oculo reſpicienda ſit, cum rarò eveniant hemiplectici apoplecticique paroxyſmi ſive ſpaſmis vel præcedentibus vel junctis, vel & ſequentibus, ut mirè ſæpè ſymptomata iſta combinentur, ſtricturæque ſpaſmodicæ diu adhuc luctentur in fibris, donec poſt conatus ultimos ſpiritus in fibras non amplius admittuntur & omninò excluduntur.

Tacemus violentias externas, concuſſiones cerebri graves, preſſiones nervorum à concretione calculoſa, à pure, ab oſſiculis &c. ipſumque ſpirituum defectum, non genitorum, ſanguine affluente, ſed intercepto, obſtructis vaſis, vel compreſſis, vel cordis ceſſante motu, aut conſtricto; aut vaſis intus à polypoſis ſubitò concretionibus, vel ſi mavis grumoſo ſanguine oppletis occluſisque; unde & in ſinubus cerebri obſervatæ fuerunt tales concretiones ſanguinis, quin & polypoſæ, quæ quidem, uti & circa cor evenit, aliquamdiu liberum reliquunt juxta ſe iter fluidi, tandem tamen ſpatium magis occupant vel incremento ſuo, vel translatione, ſicque ſubitò poſſunt obſtruendo jugulare.

Nec immeritò apoplexia dicetur paralyſis univerſalis, paralyſis autem apoplexia particularis; neutrum tamen univerſaliter ac per omnia; cum ſpaſmi cum apoplexiæ acceſſibus va-

riè jungantur, ac reſpiciendum quoque ſit ad ſenſus & motum vel ſimul, vel ſeorſim læſas, neque enim vel in apoplexia vel in paralyſi idem ſemper obtinet, ſed ſenſus aliquando ſatis integer eſt motu abolito, aliâs verò etiam ille deficit, quæ notiſſima ſunt.

Quando ſedes paralyſis dicitur ſpinalis medulla, quæ in dextram ſiniſtramque divaricata ſit partem, ita ut obſtructione facta in una parte, oriatur paralyſis dextri aut ſiniſtri lateris, reſpicitur ad paralyſin artuum nervos inde petentium, cum tamen & lingua & aliæ iſti malo ſubſint partes, unde medullam, oblongatam præſtat pro ſede accuſare, ac ſpinalem medullam, uti reverâ eſt conſiderare tanquam cerebrum continuatum, inverſum tamen quâ ſitum interiorem cineritiæ portionis, quæ in cerebro exterior eſt; prout igitur premuntur diverſi lateris nervi, varia quoque paralyſeos extenſio erit.

Quidam etiam diſtinguunt in paralyſin perfectam motum ſenſumque lædentem, & imperfectam utrumque ſaltem imminuentem; præſtiterit verò id extendere ad ſublationem vel utriusque, vel alterutrius tantùm, ſenſu ſæpe integro remanente poſt abolitum omnem motum voluntarium, cum minores ſpirituum copiæ vel radioli ſufficiant ad tremorem aliqualem ex partibus per elaſticos ſpiritus ad cerebrum adhuc qualitercunque continuandum, quam ad inflandas muſculorum fibras adducendasque quod ad motum requiritur efficiendum.

Affectuum ſoporoſorum, lethargi, comatis, cari origo ab obſtructione corticis cerebri, & influxu ſpirituum animalium impedito deducitur; nota tamen non præcisè corticis cerebri obſtructionem requiri, imò ne quidem corticis, ſed portionis potius medullaris ejusque tractuum ſpiritibus ſcatentium, quos per corticem ſaltem filtrari ſupponunt; imò nec ſemper illarum obſtructio fibrarum impediti influxus eſt vigoris ſpirituum cauſa eſt, ſed ſæpe halitus hoſtiles agilitatem ſpirituum figentes, ac nebula quaſi obvolventes, ipſisque compedes injicientes.

Cum

Cum verò in cadaverum ſectionibus inveniſſent defunctorum affectibus ſoporoſis cerebri corticem multo ſero obrutum ac ſcatentem, concluſum hinc eſt corticis hujus obſtructionem unicam, genuinamque ſoporis eſſe cauſam, cum tamen raro ita madeat cortex, ut non etiam medullares attingat perfundatque tractus infeſtus humor, cum corticis medullæque candicantis portiones intimè ſibi permixtæ intertextæque ſint, & ſi quidem partes præmerentur corticales & inundarentur ſolæ, eo tamen præmeretur quoque per conſequens arctiſſimè connexa medulla ob mollitiem cerebri notiſſimam.

Dicitur communiter, oriri affectus ſoporoſos ſi vel à febre, vel alio orgaſmo ſanguinis, aut plethora, aut intempeſtivo ſudore, balneo, aliisque motionibus ad caput pellatur impetus ſanguinis, aut à frigore nimio, animive affectibus eò ruat; quia ſic ſerum viſcidius in tubulis, meatibusque cerebri laxioribus facilè admittatur, hæreat, illosque ac vicinam gravius premat; fiet ſic aggeſtio ſanguinis circa caput, poteruntque vel tendi nimis vaſa & ſic premere ac gravare cerebrum nimia ſua repletione ac diſtenſione, vel largiori ſero illud perfundere, ſi quidem concurrat viſcidior ſeri ſtatus, flaccidioris jam cerebri laxiores ac debiliores fibræ, ſpiritus non multum vegeti, eorumque & ſanguinis quædam vappeſcentia & torpor quaſi ſoporoſus; cujus ſæpe per plures annos exempla in cachecticis ſomnolentis obſervamus, antequàm vel in plenam Cachexiam, & dehinc hydropem, vel in ſoporoſos affectus, aut apoplexiam quoque pro circumſtantiarum diverſitate terminentur.

Hinc etiam affectus ſoporoſi dicuntur poros & tubulos cerebri invertere, ac deſtruere, & ſemper fermè debilitatem cerebro inducere, ac memoriam auferre; difficile enim eſt omne id viſcidi ſeri ſtagma quod ſemel occupaverit tubulos plenè eos iterum relinquere liberos ac ſine ulla obſtructionis reſiduæ

reſiduæ labe; adde, quod vel ex eo capite non poſſit non poſt affectus illos ſupereſſe cerebri debilitas, cum ne oriantur illi quidem facilè niſi debile jam ſuo modo cerebrum deprehendant atque occupent, quid mirum ergò ſi & illi alium adhuc debilitatis addant gradum, ſi memoriam lædant, plerumque jam ante eorum incurſum jam labefactatam, ruentemque; ſic non opus erit deſtructione & inverſione tubulorum cerebri, modo pori à viſcidis moleculis non plenè expediantur, nec fibræ ſuum recipiant tonum, vigoremque priſtinum; quod facilius tamen iterum obtinetur in acutis affectibus ſoporoſis cum febri, quam in iis ubi lenti humores lento motu cerebrum occuparunt.

Et talis cum febre profundus ſomnus cum oblivione lethargus dicitur, ac vel ideò plenius diſcuti ſublata febre poterit, quod non fundatus ſit in diuturna viſcidaque ſanguinis ac lymphæ cachexia, ſed in febre ſanguinis in capite aggeſtionem efficiente, qua diſcuſſa, ſedato orgaſmo, vaſisque nimium antea diſtentis, depletis iterum facilior vigoris priſtini reſtitutio eſt, quam ſi chronica collectione viſcidi humores cerebro illati ſoporem excitaſſent, vix plenè iterum ſua ex ſede deturbandi, eliminandique.

Carus ſupremum aliquibus dicit affectus ſoporoſi gradum, ſi quidem ſine febre ſit, aliis cum Somnolento Comate idem cenſetur; vigil autem coma, ſeu ingens in ſomnum propenſio, ſed cum dormiendi impotentia, fieri dicitur à defectu virium, & muco tubulos cerebri obſtruente ac ſimul propter acredinem continuo irritante.

Quanquam forſan neceſſe non ſit ut idem mucus tubulos opplens & ſoporem efficiat & vigilias, obſtruendo viſciditate, & laceſſendo acrimonia, quæ vix ſtare ſimul poſſe videntur; ſufficit feſſos, proclivesque ad ſomnum eſſe ſpiritus, ac ſimul tamen aliunde crebrò excitatos à quocunque ſtimulo,

vel

vel extraneo vel domeſtico propriave irrequieta elaſticitate; vel ſi tubuli viſcidiore turgentes ſero cauſa ſint inclinationis ad ſomnum, nihil eſt neceſſe ut idem obſtruens etiam ſit irritans excitansque & revocans à ſomno, annon alibi vellicationes ſufficientes poſſunt fieri in tam vaſto nervorum ſyſtemate, ac plexuum notiſſimo tot experimentis conſenſu.

Nec ſemper quoque ſpirituum debilitas in vigili comate requiretur, ſi tamen inde ſit ſine periculo non eſt, in malignis maximè febribus, colliges enim inde, ſpiritus jam valdè peſſundatos, ſimul tamen valdè inquietos, agitatos eſſe, ob ſiccitatem forſan intrinſecam nervorum γλύσχρῶ ſuo modico quo madent tantillum naturaliter defraudatorum, vel etiam docent nervos ſimul aliunde valdè irritari ut exhauſti ſpiritus nulla arte poſſint quieti ſe dare, quin mox iterum aliunde laceſſantur, imò vix ſæpè propenſio in ſomnum erit, quam ita in hoc affectu vocamus, ſed deliquia quædam fatiſcentium jam ſpirituum, mox iterum languidis naturæ conatibus ſuſcitandorum, donec penitus ſuccumbant.

Ad hanc quoque morborum claſſem quidam referunt incubum, cum in ſomno reſpiratio fit difficilis, imò cohibita, cum ingenti anxietate circa præcordia, cum ſenſu ponderis thoraci incumbentis & ſuffocationis metu, ægris perſuaſis incumbere ſibi animal piloſum, vel manibus tactum &c. quem quidem affectum non poſſunt non deducere ab impedito ſpirituum in muſculos thoracis influxu, indeque impeditam ſanguinis circulationem, modò addant concurrere ſtricturas ſpaſmodicas graves, graviterque pati non ſpiritus modò, ſed & ipſos internos ſenſus ac phantaſiam maximè firmiſſima enim de animali incumbente perſuaſio eſt.

Catalepſis uti affectus rarior eſt, ita nec iisdem ab omnibus oculis conſideratur; ſunt qui eum referant ad affectus ſoporoſos, dicantque eam oriri ex ſublato commercio mentis

cum ſenſibus propter defectum ſpirituum animalium in loco ubi ſenſorium commune poni debeat; ſit ita, concurrat quædam ſpirituum ligatio, vel fixatio; malim tamen ad ſpasmodicos eam referre affectus, cum ſitum membra ſuum ſervent omnia, etiam erecto corpore, non verò collabantur partes uti à ſomno ſolent ac ſopore; ita ut videatur non tam ceſſans influxus ſpirituum, quam nimis intenſus, ita tamen ut rigiditatem convulſionis, tetanive non habeat, ſed hoc retineat ſingulare quod flexilitas ſuperſit membrorum major &c.

Senſorium verò commune ſpiritibus in Catalepſi ideò dicitur deſtitutum, quia mens impreſſiones factas externas in ſenſoriis nec percipere, nec ſpiritus determinare poſſit ad certos in partibus motus edendos, neque tamen ad id requiri videtur, abſentia ſpirituum animalium à ſenſorio communi, modò illi vel confuſi, vel alibi fortius intenti, aut aliò vi quaſi determinati ſint, ut leniores, qui à ſenſoriis veniunt undulationes nec percipere nec advertere poſſint; Spiritus verò ſatis ad muſculos determinantur, & quidem æquabiliter, aliâs non manerent membra in ſitu eodem, ſed non determinantur à mente, ſed à ſtimulo, qui eos ſic determinat ad ſitum illum conſtanter retinendum &c.

Nec tam facilè deficiant Spiritus animales in centro & fundo cerebri; dici quidem audias, id fieri, cum ſanguis liberè per arterias non poſſit circulari, ſed in plexu choroideo ad tempus ſiſtatur. Verùm dubites an id in Catalepſi eveniat; ſubſiſtat enim in plexu choroideo ſanguis, non ideò ceſſabit circulatio ſanguinis per reliquas arterias, tum vertebralibus, cum carotidibus debitas; & ſanè flaccíditas hinc partium, collapſusque ſequeretur, non tenſio æquabilis; licebit hinc de illa ſpirituum in centro cerebri abſentia, ſanguinisque ſtaſi tali dubitare &c.

Quem-

Quemadmodum fœminæ omnem, ex proverbio morbum, bis patiuntur, & cumprimis convulsivis affectibus vitio, consensuque uteri, plusquam viri subsunt, ita & ad Catalepsin dicuntur proniores, quanquam nec virorum desint exempla plura, ipsa tamen hæc circumstantia, quodque Catalepsis dicatur, observeturque complicari ac supervenire diuturnis spasmodicis pathematibus sanguine spasmo inferiorum partium ad caput propulso, ostendunt eam ad spasmodicos referendam affectus, quibuscum majorem habeat quàm cum sopore affinitatem; unde & graviores animi commotiones præcedere eam dicuntur.

Veteres in Catalepsi congelationem seu coagulationem spirituum animalium accusabant; possent illis accedere ex modernis illi, qui statuunt Spiritus animales esse fluidum palpabile, ac gelatinosum, spissius, ipsumque succum nutritium; talis sanè succus, si in nervis flueret, posset concrescere ac inspissari, sed quomodo explicarent solutionem paroxysmi sæpè subitaneam, quæ cum ista spissitudine, tam subitò in tenuitatem non mutanda, haud posset consistere; præstaret sæpè specialissimas causarum energias modosque agendi non inquirere, quàm talia fingere; quanquam & fictiones excusandæ sint in rebus obscurissimis, siquidem curiositas hominum nihil æquo animo velit nescire, omniumque causas evidenter habere perspectas exoptet.

Referunt quoque nonnulli ad Catalepsin Ecstasin; nec deest forsan omnis analogiæ ratio saltem generalis; Eam verò distinguunt in Theologicam, & Medicam, in illa dicunt mentem abstrahi à corpore per immediatas quasdam divinas impressiones ac speculationes, hanc verò nil nisi Catalepsin esse, quæ etiam mediatè & remotè ex nimia tristitia, mœrore animi, vel nimio gaudio ab audito verbo divino excitari possit.

Relinquimus talia tanquam minus frequentia, minusque Medica ſuo loco, nec tamen omnimodam cum Catalepſi convenientiam agnoſcimus; ſive vera ſit ea ſtaſis, ſive illuſoria, ſive divina, ſive diabolica; facilius hîc de individuis judicium eſt, quam ſi formare id in genere velis.

Quemadmodùm autem ſomnum præternaturalem ex nimia pororum cerebri laxitatè, ſubſidentia, & motu ſanguinis per caput lentiore ortum ſuum habere communiter ſtatuunt, ſic nimias vigilias ab illorum tubulorum præternaturali apertione & concitato ſpirituum animalium & ſanguinis motu derivant.

Inſtabiles quidem, agitatosque nimis elaſticos, aliunde continuò irritatos, à ſanguine cumprimis orgaſtico, aliove ſtimulo, dolore, aut ſtrictura, facilè inter cauſas agnoſcam neque tamen ideò pororum cerebri nimiam ac præternaturalem apertionem quis requirat, qua ſine vigiliæ nihilominus fient, uti nec ſomnus p. n. ſemper ſupponit aut requirit ſubſidentiam tubulorum cerebri, ſed & conſequitur ſpirituum ligationem, fixationem, dejectionem, diſſipationem, defectum, torporem, ac ſanguinis ſtaſes, ac lentorem &c.

Qui à ſulphure ſomnum deducunt, illudque cum aqua materiale ſomni principium dicunt, ſupponunt narcoſin induci ſpiritibus, quando ramoſis ſulphuris moleculis, tanquam totidem compedibus illi ligentur; quod uti ſuo modo de narcoticis quibusdam halitibus, eorumque effectibus certum eſt, ita & aliis patet exemplis ſine ſulphure, imò à viſcido, vapidoque & cachectico ſanguini oboriri ſopores; unde & ad vigilias ſufficient elaſtici nimis ſpiritus; quanquam alii in adverſa abeuntes illas ſulphureis unicè particulis velint adſcribere; non majori quidem certitudine ac univerſalitate.

Vigilias verò per oppoſitionem ſomni naturalis explicant; ita, ut ſicut placidus ſomnus vires, & ordinatum ſpirituum motum, lympham roſcidam, blandam requirat, ſic ex adver-

ſo

ſo pervigilium excitet, quodcunque ſpiritibus inordinatum motum introducat, vires conſumat, & roſcidum, blandum humidum abſumat, vel illud acre reddat.

Ubi notandum, non omnem virium imminutionem vigilias inducere præternaturales (cum potius regulariter ſomnum promoveat naturaliter) ſed eam ſolùm quæ fiat cum magna ſpirituum in ſtabilitate, & inquietudine quadam ſingulari, qua impediantur quieſcere attriti licet, ſimul tamen nimis elaſtici, agitatique & agiles ſpiritus, vel etiam aliunde excitati continuò, ac quibusdam quaſi ſtimulis acti ac laceſſiti.

Qualis ſi fuerit ſpirituum ſtatus, qualescunque fuerint vires, vel lymphæ ſtatus ſemper tamen aderunt vigiliæ, ſi maximè iſta Spirituum irrequieta inſtabilitas nitatur occulto quodam, ut ſæpè fieri ſolet, animi affectu prædominante, qui ratò Medicis innoteſcit; neque tamen ſola abſentia lymphæ blandæ, roſcidæ, neque præſentia qualiscunque acrimoniæ vigilias neceſſariò inducunt, cum ſæpè & cachectici, & roſcido ſanguine deſtituti, imò acri prædiți ſucco, in ſoporem potius nimium ſint proclives.

Nec quivis motus ſpirituum inordinatus efficit vigilias nimias, niſi talis ex affectu animi character jungatur; cum ex adverſo non deſint qui ſub talibus turbis profundius dormiant, ſpiritibus antea fatigatis quietem ultrò amplectentibus, atque eò fortius poſtea ſopitis, mox verò ad novas turbas, ſomno finito redituris, imò ne in ſomno quidem à turbis ceſſantibus, teſtibus inſomniis turbidis, & inquietis.

Imbecillitas nervorum, ſeu totius ſyſtematis nervorum, quem alii capitis imbecillitatem dicunt, aliquando coincidit cum nimia ſenſilitate fibrarum & ſpirituum, aliquando verò aliud dicit, ac veram debilitatem; vigorisque defectum, quem deducunt à temperie cerebri læſa, quæ temperata eſſe debeat, nec nimis ſicca, nec nimis humida; quanquam ſiccitas ſola,

vel humiditas cerebri ut talis, debilitatis præcipuum fundamentum non eſt, ſed ſæpè effectûs rationem habet, reſpiciendum magis ad vigorem ſanguinis, indeque natorum Spirituum, horumque copias, elaſticitatemque.

In vertigine nemo non agitationem, fluctuationem, rotationem Spirituum animalium accuſat, alii quidem circa ſenſorium commune, alii ſubjectum allegant tunicam retinam in qua ſpecies viſibiles depictæ ob rotatorium ſpirituum animalium motum circumgyrentur.

Turbæ omninò ſunt tum in ſpiritibus an verò præcisè rotatoriæ vix certò determinaveris; nec rotatio, ſeu fluctuatio Spirituum efficiet rotationem ſeu circumgyrationem ſpecierum viſibilium depictarum in retina, nec enim illæ ſpecies afficiuntur à ſpiritibus, ſed ſpiritus à ſpeciebus, quæ nil aliud ſunt quàm lenes commotiones fibrillarum tunicæ illius.

Docentque hoc ipſi vertiginis gradus, eæque potiſſimùm ſpecies, quæ caducæ ſunt, ſeu cum periculo lapſus verſus certam plagam imminentis, quod in graviori malo ſolet evenire, indicio manifeſto, intimius tum ſubjectum eſſe quàm retinam tunicam, quodque majus jus virtutemque habeat in muſculos corporis ac Spirituum in illos determinationem atque influxum.

Utut verò certum ſit, poſſe aliquandò oriri vertiginem à ſtagnatione ſanguinis, vix tamen eam licebit derivare generaliter à ſanguine nimium ſtagnante & diſtendente carotides, quæ vicinos nervos opticos comprimant; cum illa compreſſio vix poſſit contingere, æquè ac tanta diſtenſio carotidum vicinarum, neque tamen ad hunc effectum ſatis vicinarum; ut taceamus nervi compreſſionem vix daturam producturamve vertiginem, ſed guttam potius ſerenam.

Sæpius forſan alleganda erit in vertigine Spirituum inſtabili-

ſtabilitas, ac debilitas ſingularis, ac propenſio ad turbas ac fluctuationes; ſive illa oriatur à ſanguine tardius per vaſa cerebri moto, vel orgaſmo ejusdem; ſive fiat per ſtricturas fibrarum & conſenſum nervorum, cauſam tum habens remotam in ventriculo in primis viis, ubi excitati ſpasmi, vel affecti nervi, ſuas impreſſiones cerebri penetralibus communicant, ibique affligunt, inſtabilesque reddunt Spiritus & obnubilatos.

Ut proin vertigo non omninò evincat ſenſum viſus nos fallere, cum non vitio præcisè ſenſorii ſed cerebri intimioti labe circumgyratio appareat objectorum, cumque illa in Spiritibus verè eveniat rectè mens judicat de gyratione, licet tribuat objectis quod evenit in inſtrumento ſuo, ſpiritibus, à quibus immediatè ad mentem pertingunt turbæ.

Deliriorum varietas inſignis eſt; & quemadmodum ipſum rationis vocabulum ſatis æquivocum eſt, ita & delirium diverſimodò accipitur atque explicatur. Et licet dicant, & rationem humanam, & delirium, ſeu rationis abſentiam ex vinculo quod menti cum corpore intercedit, optimè explicari poſſe; tamen vel eo ipſo multa manebunt minus evidentia, cum nec ipſa rationis idea omnibus eadem formetur, ſitque ex hîc confuſionis non parum; nec admittent alii idem eſſe delirium, & rationis abſentiam; rationis abſentia non eſt in quovis delirio, licet exercitium rationis ſit corruptum confuſumque per objecta, ideæ combinantur, quod eſt munus rationis adhuc præſentis, ſed non uti decet, nec illæ quæ deberent, & quo ordine deberent, quanquam inſignis quà diverſa deliria varietas ſit, neque per vinculum quod menti cum corpore intercedit ratio poteſt explicari, ſed delatio imaginum ad rationem, earumque combinatio & conſideratio, quanquam etiam ſic obſcurum explicetur per æquè obſcurum.

Cum

Cum verò dicunt, rectam hominis rationem consistere in hoc, ut mens seu anima ideas objectorum cerebro inscriptas sentiat, & ad principia connata, menti insculpta dirigat, conferat; ac proin rationem nil esse nisi additionem & subtractionem, & comparationem rerum inter se, & proportionem harum, sive convenientiam, aut disconvenientiam; sermo hîc sanè istis erit non de ratione ipsa, sed de executio ejus, seu ipsa ratiocinatione idearumque collatione ac comparatione quæ fit ab ipsa ratione, seu potius mente ex impressis sibi perceptionibus formante ideas & combinante.

Semper tamen inexplicabilis manet modus quò factæ in sensoriis tum externis tum internis, per objecta, in spiritus, & per hos in sensorium impressiones transeant ad animam, & ab ea percipiantur, ut formare tum ideas ejus quod sensit, queat, neque est quod circa ista modumque unionis certent Medici.

Mutuum commercium, ac reciproca actio mentis in corpus, corporisque in mentem, fundata Sapientissimi Creatoris mandato ac beneplacito satis est evidens; unde & in eo conveniunt cætera dissentientes, quod mens seu anima non rectè ratiocinari, seu proportionem & æquilibrium rerum invenire possit, nisi mediante organo temperato, & benè constituto motu sanguinis, & spirituum in cerebro; quamvis non idem forsan sit rectè ratiocinari, & rerum proportionem veram & æquilibrium invenire, hoc enim non est rationis in se, ut integræ, spectatæ, sed judicii; recta autem retiocinatio saltem requirit ut convenientes vel non ineptæ ideæ combinentur, sive justam rerum attingant proportionem, sive non; aliâs homines simpliciores omnes delirarent, & soli prudentes doctique ratiocinarentur rectè; tollenda igitur æquivocatio est.

Organon verò requiritur benè dispositum, Spiritusque

&

& ſanguis laudabilis. non quod illa immediatè ad rationis opus concurrant, ſed quod, dum durat iſta cum corpore unio, non niſi per hæc media impreſſiones externæ de quibus judicandum, venire ad animæ notitiam queant.

Patet hinc quousque admittendum ſit notiſſimum effatum: Qualis eſt Spirituum & ſanguinis motus ac temperies in corpore, talis naturæ quoque ſunt inclinationes & cogitationes; ac motum ſanguinis ac ſpirituum vehementes, tales quoque & celeres excitare ingenii actiones, lentiorem autem & tardiorem timidas, triſtes, & meticuloſas in mente producere cogitationes.

Iſta ſcilicet omnia in latitudine accipienda ſunt, & de impreſſionibus in ſpiritus, & dehinc in animam factis, ac primis inde natis cogitationum motibus, quibus poſt modum anima, vel naturaliter adhuc cæca, vel per gratiam & fidem jam oculatior, fortiorque ad reſiſtendum, vel aſſenſum præbet vel diſſenſum, quod eſt fundamentum omnis emendationis, & veri regiminis affectuum; hinc Socrates legitur totus fuiſſe alius, quàm vi temperamenti debuiſſet eſſe, qualemque ipſum alii ex aſpectu judicabant &c.

Imaginationis idea ac ratio formalis non ubique ſatis evidenter traditur; cum enim dicitur, eam nil aliud eſſe, quam idearum, quæ ab objectis externis ſenſibus communicantur in filamenta cerebri ſpiritu animali turgida impreſſionem; præſtaret ſanè, ut evidentior rei eſſet conceptus, impreſſioni factæ in ſenſoriis non tribuere nomen idearum, relicto tali nomine operationi mentis, ſeu rationis quæ ex perceptionibus illis format ideas; ita ut imaginatio partim fundetur in illa ſpirituum undulatione, orta ab objectis fibrillas nervi in ſenſorio ferientibus, & impreſſione in ſenſorio communi, partim in illius perceptione à mente facta, unde in illa exſurgit idea, ſeu imago quaſi reflexa.

Patet hinc quousque ſint admittenda effata illa vulgatiſſima; qualis eſt cerebri conſtitutio, talis quoque eſt impreſſio & imaginatio; ita, ut qui cerebrum habeant tenſum, & ſenſiles fibras, in illis vigeat vis imaginationis, qui autem cerebro præditi ſint craſſiori & ſolidiori, in illis difficulter imprimantur idearum veſtigia, aſt diutius tunc retineantur.

Hæc enim intelligenda ſunt de illa impreſſione Spirituum in ſenſoriis commotorum facta in ſenſorio communi, quanquam & multa circa rem eam dubia non poſſint non ſupereſſe, quæ determinatu reddant difficilem illam quæſtionem: quidnam tribuendum ſit his in rebus cerebri fibrillis, quid ipſi animæ, quidque ſit utrique commune, ſunt enim hîc multa obſcuriſſima, talia tamen quæ Medicinam propriè non tangunt, ſed doctrinam de ſpiritibus omnium confeſſione nondum ſatis excultam, atque in luce poſitam.

Erit igitur juxta conſueta principia mens ſana, & rectè ratiocinabitur, cum mens ſpiritibus animalibus in ſenſorio communi unita, impreſſiones vel extrinſecus modò appellentes, vel cerebro, ut loquuntur, inſculptas percipit, illas diſtinguit, & rectè connectit, vel ſimiles addendo, vel diſſimiles ſubtrahendo; ſeu cum ideæ impreſſionibus, impreſſiones ideis congruunt, ac juſto ordine reſpondent.

Patet hinc quid ſit delirium, & unde ſequatur; dicunt quidem id nil eſſe niſi imaginationem fortiorem, à directorio rationis alienam; ubi tamen notandum, mentem etiam in delirio agere, & dirigere imaginationem, ſed perversè ob impreſſiones ineptas, nec eſt imaginatio etiam erronea ſine mentis concurſu in homine quantumvis delirante.

Hinc eſt comparatio inſomniorum cum deliriis, quando ſcilicet dicuntur illæ impreſſiones cerebro inſculptæ propter apertos cerebri poros à cauſa interna involuntaria excitari, non autem à mente, quæ vel déſtituta dicitur ſpirituum animalium

malium laudabili quantitate, uti in ſomno fiat, vel motu illo præter naturam inverſo, quod in morboſis conſtitutionibus formandoque delirio contingat. Ipſa verò illa comparatio docet, non iſta omnia ita plana eſſe; nec enim in ſomno menti deeſt copia Spirituum, ſed major ſaltem eſt eorum quies; nec deliria ſemper ab internis excitantur ſpirituum motibus, ſed frequentiſſima occaſione objectorum externorum fiunt, de quibus mens prave, ob pravas impreſſiones ad eam delatas, & in ſenſorio communi confuſas, judicat; nec cerebri pori tum ſunt magis aperti, imò plerumque minus videntur dicendi aperti, eſtque forſan crebrior ab eorum obſtructione confuſio ac delirium, quàm ab apertione nimia; nec delirium eſt ſaltem imaginatio fortior, ſed ſimul depravata illa ſupponenda eſt, ſi dici delirium debeat.

Unde & concludes quî admittendum ſit aliud effatum; delirium ſeu rationem perverſam incogitatis ac dictis fieri, quando mens non dominetur ideis, easque non dirigat & ordinet, ſed hæ dominium habeant. Vix enim dici poterit has dominium habere, quæ nil ſint niſi mentis cogitationes, vel ſi ideas pro impreſſionibus in ſenſorio communi factis ſumas, non eſt mentis illas ordinare, ſed illas percipere, unde eo ipſo ideæ enaſcuntur, ſed tum confuſæ, & ſine ordine collatæ à mente, quia ſine ordine & figura juſta allabuntur, faciuntque impreſſiones confuſas, aliasque quàm objecta requirunt &c.

Supponuntur ſcilicet ordinariò à motibus externis objectorum in ſenſorio excitatas, & ſpirituum animalium motu undulatorio ad cerebrum delatas impreſſiones ibi relinquere veſtigia impreſſa ſeu characteres, de quo & ſupra in Phyſiologicis dictum; hinc ſupponuntur quoque à cauſa interna nempe ſanguinis motu certa veſtigia denuò aperiri, ideasque tum earum rerum quæ internæ ſint videri ſæpius quaſi extra nos eſſent, hincque naſci deliria; antea verò jam monitum eſt errorem & delirium etiam obtingere circa externa objecta, ſaltem quod repræſententur qualia ſint, ſed mutentur, confundanturque in phantaſia. Un-

Unde & accipiendum cum grano Salis, quod deliria dicantur insomnia vigilantium, cum etiam deliria dentur copulata combinataque cum affectibus soporosis, ac statu Spirituum summè ligato ac somnolento.

Dicitur quidem, in insomniis profundiora & familiora vestigia facilius aperiri, hinc ideas poris cerebri inscriptas, cum ob confusionem & copiam à mente in sensorio communi spiritibus animalibus destituto tempore somni non dijudicari ac distingui possint, confusas tales instituere comœdias, insomnia dictas; sed ista in delirium per omnia non quadrant, ubi interna promiscuè & externa objecta una confusione menti offeruntur, ut taceam de delirio circa certum objectum, ubi mens non errat æquè circa reliqua, imò optimè ratiocinatur, cujus frequentissima sunt exempla, probè hîc attendenda.

Delirium est vel cum febre, vel sine febre; Melancholia & Mania sunt delirium sine febre, illud cum tristitia, taciturnitate, & metu, nunc cum manifesta causa, nunc sine illa, licet illa sæpe imaginaria sit; hæc verò est cum furore, audacia, vociferatione, motionibus vehementibus, robore in solito &c.

Ob ipsas has circumstantias ac divetsitates vix omne delirium dicendum est supponere læsionem circuli sanguinis per cerebrum; cum Melancholia hypochondriaca alibi suas habeat radices, magisque per nervorum consensum ac communes plexus turbet spiritus, efficiatque errores illos phantasiæ.

Audias quidem dici, in Melancholicis sanguinem densum, immobilem cerebri vasa infarcientem similis naturæ inclinationes, nec non similes ideas v. g. desperationes, dubitationes, anxietates, timorem excitare; nec quisquam dubitet de inertia, crassitieque talis sanguinis, neque tamen ille densus erit & immobilis, neque ita infarciet cerebri vasa, quod non Melancholiam efficeret, sed apoplexiam vel analoga mala soporosa,

aut

aut ſpasmodica pro circumſtantiarum varietate ; accedit melancholia hypochondriaca, & errores, anxietatesque ſaltem circa certa objecta, quæ regulæ huic non videntur favere.

In mania ex adverſo dicuntur Spiritus magis ſulphurei, magis accenſi, inque cerebro ſimilia aperire veſtigia; dubites autem an neceſſariò ſulphurei , vel accenſi requirantur ſpiritus, quales potius forent dicendi phreneticorum, ſeu cum febre acuta furentium Spiritus , cum in Mania Spiritus videant elatere ſuo nimio, ſeu nimis libero excitatoque peccare, tantumque muſculis conciliare robur.

Suadere id quoque videtur phœnomenon in praxi ſatis notum obviumque, cum Mania in Melancholiam, & viciſſim Melancholia in maniam facilè tranſire ſoleat , quod tam ſubitò , uti ſæpe contingit , fieri non poſſet ſi ita infarcta eſſent ſpiſſo ſanguine vaſa cerebri, nec tam lentus humor in tantas mox motuum rueret ataxias, nec ſpiritus ſi accenſi eſſent, tam ſubitis, frequentibusque intervallis adeò dejicerentur , fierentque tam meticuloſi, uti reverà in maniacis ſubitaneas iſtas mutationes & triſtitiæ melancholicæ viciſſitudines licet frequenter obſervare perpetua ſæpe reciprocatione ac ſucceſſione crebra.

Plurimis verò morbis iſti phantaſiæ errores implicantur; plurimumque pro ſubjectorum diverſa ratione variant ; unde nec mirum eſt quod ſtatuant , autocheres plerumque vitio phantaſiæ laborare; omnibus enim id in caſibus evenire nemo facilè dixerit ; nec perpetuum eſt quod addi audías , ipſam quoque mortis ſpeciem ſanguinis motui eſſe convenientem , & melancholicos magis ſuffocatione & ſtrangulatione, maniacos autem gladio vel præcipitatione fatalem ſibi horam accerſere ; utrumque enim promiſcuè contingere plura docent exempla.

Quandò interni ſenſus , eorumque vitia conſiderantur, reſpiciendum eſt tum ad corpus , tum ad animam, quatenus

objectorum impreſſiones fiunt in organo, & quatenus iſtæ impreſſiones percipiuntur ab anima & dijudicantur.

Quoties ſenſuum contingit vel depravatio, vel abolitio, vitium vel in organo, vel in ſpiritibus, vel in utroque erit; ad ſenſum enim bene conſtitutum & apta organi diſpoſitio, & ſpirituum vigor ac influxus, & fibrarum ac membranarum debita tenſio requiritur, his ergò læſis læditur ſenſus.

Viſus & oculorum vitia dependent nunc à tunicarum, nunc humorum, nunc ſpirituum & nervi optici vitiis, quibus & vaſa addere licet ac muſculos. Cum verò Spiritus animales per nervum opticum vel obſtructum, vel compreſſum non amplius poſſunt influere cœcitas oritur, nullo in oculis vitio apparente, Gutta hinc ſerena dicta. Imbecillitatem verò viſus deducunt ſæpè ab humorum craſſitie, ac imminuta diaphaneitate; quod aliquandò evenit, ſæpius enim in ipſa retina eſt vitium, vel in tunicis, adnata, corneaque, maculis, nubeculis, unguibus, excreſcentiis variis enatis, ſenſimque ad pupillæ regionem ſe extendentibus, ibique corneam obtegentibus, radiisque viam præcludentibus.

Suffuſionem deducunt à poris arteriolarum, quæ oculorum humores reſtituunt nimium apertis, lymphamque effundentibus craſſam, minus pellucidam, impuram; niſi mavis proprios ductus iſtorum accuſare humorum; vel etiam partium quarundam in humoribus collectionem, cohæſionem, atque implicationem quæ prius fuerant liberæ, & tenues & pellucentes cum affluerent.

Modum autem ita audias explicari: Particulas limoſas, terreſtres, ramoſas, ſi innatent humori aqueo, vel vitreo ſuffuſio ſpuria fit; & muſcæ, inſectaque, conſpiciuntur in aëre volitantia; ſi autem copioſæ fiunt, hæ irregulares, opacæ atomi coaleſcunt, & tunicam ſolidam conſtituunt, ſicque fit Cataracta.

Circa volitantes in aëre muſcarum ſpecies Pitkarnius monuit

nuit eas non posse esse per opticæ leges in his humoribus, sed causam quærendam in retinæ vasculis, fibrisque ; quà Cataractam autem nota est moderna controversia, probè ponderanda, dum plerique incipiunt statuere, non dari talem cataractam tunicatam, si loqui ita liceat, sed semper eam consistere in sic dicto glaucomate, seu opacatione humoris crystallini, qui etiam in Cataractæ sic dicta depositione deprimatur semper ; meretur verò ista controversia attendi, licet forsan recentiores effatum suum nimium efficiant generale ; erit varietas in casibus.

Difficultas auditus, surditasque fit non solùm à nervi auditorii obstructione, ac læsione membranarum aurem internam investientium post febres acutas, casus ab alto, contusiones, &c. Sed crebrò etiam ab obstructione meatus, à glandularum intumescentia, membranarum, nervulorumque exsiccatione, compressione, relaxatione, sanguinis impedita circa organi auditorii anfractus circulatione, aëris, flatuumque accessu varia, indeque natis turbis.

Laxius à quavis causa Tympanum ideò lædit auditum, quod aëris appellentis undulatio, non vividè satis tum possit propagari; an verò cum à gravi febri ac Cephalalgia vel soni valdè acuti redduntur intolerabiles, vel surditas, aut etiam tinnitus oritur, id eveniat ab eadem tympani membrana spasmodicè nimis tensa inquisitionem meretur ulteriorem, non quod aliquandò id nequeat evenire, cum suis musculis officulisque illa membrana tendatur adeoque & spasmodicè tendi possit, sed quod aliæ tum rationes subesse videantur præter talem spasmum, sanguinis nempe in organo tam teneri sensûs stases, aëris flatuumque nimius elater, obstructiones insignes, nervi exsiccationes & irritationes variæ, tum quà duram quæ motum efficit portionem quam quà mollem quæ perceptioni sonorum præest.

Confirmatur id analogia tinnitûs variarumque ejus specierum

rum in hypochondriacis aliisque, ubi tales præcipuè cauſæ frequentiſſimæ obſervantur, rarius forſan ſtrictura tympani ſpasmodica, ſonum potius augens reddensque acutiorem, auditûs graviſſimam læſionem à tympano craſſeſcente, vel à fragore nimio rupto ac perforato, vel etiam exulcerato deducunt; & de craſſeſcente quidem tympano cauſa eſt manifeſta, aëris undulatorius motus non amplius liberè propagandus; de perforatione autem alii dubitant, quod aëris tamen oſcillatio ad interiora pertingat; verum metuenda tum aëris liberi immediata ad organum internum acceſſio, tum neceſſaria ejus in iſta membrana modificatio, neceſſaria ad propagandum ad intima ſonum, cui illa ruptura omninò graviter videtur obeſſe.

Cerumen auris utut oleoſum, unguinoſumque, tamen ſæpè in duritiem inſignem tractu temporis condenſatur, & non rarò ſurditatis cauſa obſtruendo evadit.

Cum abſciſſis canum recurrentibus nervis, ceſſet eorum latratus, hinc concludunt, Aphoniam non modò ab obſtructis nervis ad linguam tendentibus, verum etiam à recurrentibus oriri, cumprimis in infantibus, ſi catarrho obſideantur.

Quanquam doctrina de Aphonia ſit inter intricatas, ac non ſolùm reſpiciendum videatur ad hos nervos, qui forſan ab infantum catarrhis non ita facilè læduntur in officio ſuo, ſed præprimis ratione infantum ſermone diu deſtitutorum ad linguam, vel frenulo arctius ut ultra dentes vel labia protendi, exſerive non poſſit adſtrictam, vel minus mobilem, vel matem juſto molem ac ſimul torporem reſpiciendum eſt, vel ad ſurditatem maximè in iis qui auditu deſtituti aphoni inde manent, niſi ſit aphonia qualiscunque non nimium radicata, ſed iterum amovenda, non ſolùm per methodum ſurdis his accommodandam Ammaniannam, ſed modis aliis paradoxis de quibus (piſciculorum ſcil. comeſtione) vide Ephem. N. C. ubi malum ortum traxerat ab imaginatione materna.

De

De Sapore læſo quid ſtatuant notum eſt, tolli eum, vel imminui à papillulis nerveis linguæ ab amurca viſcida obſtructis, quod fiat in calore præternaturali. Poſſunt verò illæ papillulæ à tali amurca facilius tegi quàm obſtrui, ut ſapidæ moleculæ ſatis eas liberè attingere & percellere non poſſint, poſſunt quoque ac ſolent premi à glandulis vicinis intumeſcentibus à catarrhis ſicque nervulos papillares quaſi inter ſe prementibus.

Ex quo etiam principio patet, quid ſentiendum de effato illo notiſſimo, quod ſapor maximam partem pendeat odore, hinc naribus obſtructis in coryza, vel obturatis illis nullum diſtinctum & accuratum ſaporem percipi. Id verò nititur fundamento modo allegato, nec ea eſt ſaporis ab odore dependentia, ſed in coryza tali tum narium fit obſtructio, tum linguæ glandularum ac totius viciniæ à ſtaſi ſeri intumeſcentia, quæ nervulos papillasque premendo minus eas reddit ſenſiles, hinc defectus perceptionis ſaporum, non autem à narium obſtructione.

Reſpiciendumque eſt ad idem principium in odore læſo, dicitur enim ordinariò, ſi proceſſus mamillares, vel tunica nervea internas nares veſtiens à ſordibus pituitoſis nimium relaxetur, odorem perire; ſed non tam relaxatio, quam compreſſio nervulorum videtur fieri obſtructis atque intumeſcentibus à Catarrho glandulis ac membranis, quarum tumor non poteſt non premere intertextos nervorum ſurculos.

Quanquam nec iſte unicus erit læſionis olfactûs modus, cum tales quidem læſiones facile paucisque diebus transeant ac ſolvantur, aliæ verò ſint perpetuæ ac graviores, nervis aliunde gravius obſtructis, compreſſis, exſiccatisve, quanquam aliquando remediis iterum cedat malum.

Cum ad ſecretiones & excretiones naturales tonus partium naturalis requiratur, qui fit à debito & moderato ſpiri-

tuum influxu, hinc non immeritò concluſum fuit, ſi influxus ille deficiat, vel ceſſet, fibras partium laxas ac flexiles fieri, tonum & robur partium dejici, & ſic nimias, ac involuntarias fieri excretiones.

Ubi tamen notandum in ſtatu tali præternaturali, & atonia ſecernentium partium non ſemper nimiam ſequi excretionem, ſed & ex adverſo nimiam retentionem & excretionis ceſſationem, ceſſante ob organi glandularis flacciditatem ſecretione, quæ requirit quoque tonum in glandulæ fibris; ac reſpiciendum quoque eſt ad ſtatum huic contrarium, ſpasmodicum, ubi ſtricturæ nimiæ & glandularum & fibrarum, nunc nimium urgent excretiones, ſecretionesque nunc nimium ſiſtunt ac detinent.

Sphincteribus ani & veſicæ ſpirituum animalium influxu deſtitutis, nimis debilitatis & laxatis involuntaria urinæ & fecum excretio fit. Cæterum & aliæ ſphincterum læſiones ſunt conſiderandæ, non conſtrictio Modò ſpaſmodica, ſed & eroſio, irritatio à variis objectis, excreſcentiæ, ac alii ſtimuli & impedimenta; nec hi ſoli ſphincteres attendendi, ſed & analogia orificii veſiculæ bilariæ, orificia ventriculi &c. quæ tum non admittendo, tum non retinendo, aliisque peccant modis.

Ad iſtorum analogiam de Sudore dicitur: Si pori cutis & vaſcula ſudoris ob denegatum Spirituum influxum nimis laxantur, ſudor copioſus & debilitans fit; ſi autem ſpasmodicè contrahuntur ob nimium & inordinatum illorum influxum, ſuppreſſio ſudoris contumax exſurgit.

Notandum verò non omnem ſudorem debilitantem ac nimium eſſe ab influxu Spirituum denegato & debilitatis laxatisque poris ac fibris cutis, cum & iſta relaxatio ſecretionem ſudoris potius impediat in multis caſibus ac diſpoſitionibus ſanguinis; ad ſanguinis enim diſpoſitionem potiſſimum

eſt

eſt reſpiciendum, ad conſiſtentiam ejus, craſſitiem, ac tenuitatem, mixtionem intimiorem ſeroſæ purpureæque partis, atque fuſionem quæ ſæpè illi accidens cauſa eſt ſudoris debilitantis maximè in hecticorum nocturnis ſudoribus; idem dicendum de ſpaſmodica conſtrictione, quæ non ſola, nec ſufficiens cauſa eſt ſudoris ſuppreſſi, ſed potiſſimùm ſanguinis arctior compages, difficilior ſeceſſio aut viſciditas ſeri &c.

Eſt verò etiam reſpiciendum ad Idioſyncraſiam, quibusdam admodùm difficulter tum pororum tum humorum vitio ſudantibus; nec multus ſudor ſemper debilitans eſt, quin potius ſæpe ſalutaris, neceſſarius, aut criticus, nec ejus raritas ſemper mala, quin potius quibusdam admodùm proficua, naturalis; & proin modis omnibus expetenda ac conſervanda, reſpiciendo ſemper non ad primas obviasque apparentias, ſed ad intimum corporis humorumque ſtatum, ac ſubjecti conſuetudinem, temperamentum, ac habitum corporis.

Circa alias excretionum ſpecies idem monendi ſunt diſcentes, cum e. g. dicitur, ab ureterum, veſicæ, inteſtinorum, uteri, ſpaſmodica contractione, pertinaciſſimas fieri ſuppreſſiones urinæ, alvi excrementorum, & menſium fluxûs.

Pertinaces nempe urinæ ſuppreſſiones non ab hoc ſolo principio oriuntur, imò ne quidem à ſpaſmo veſicæ, niſi ſphincteris ille ſit ſolius, alias nimius potius egerendi conatus fiet; potius à relaxatione fibrarum veſicæ nimis diu diſtentæ ac repletæ talis, Celeb. Tich. Braheo fatalis accidit frequentius; uti etiam patet ex paralyſi tubulorum & fibrarum renalium ſuppreſſionis urinæ gravi cauſa, ut taceamus ulcera, irritationes, obſtruentia varia, &c.

Spaſmodicæ inteſtinorum contractionis indeque natæ ſuppreſſionis ſecum alvinarum obſtinatæ exemplum præbet colica ſpaſmodica, qualis & à plumbo ſeu litargyrio potiſſimùm obſer-

obſervata eſt, cum retractione profunda umbilici, ac Symptomatibus ferociſſimis; præter iſtos caſus ſpasmi illi ſæpè etiam dolores, ſed & ſæpiſſimè diarrhoeas producunt, vel eas, imò & dyſenterias vehementer exacerbant atque augent; quò & pertinet atrox malum teneſmus.

Contractionem verò uteri ſpasmodicam poſſe menſes fluentes ſupprimere aliquandò nemo facilè cum fundamento negaverit, ſed & fateamur neceſſe eſt eandem ſæpè fluxus nimii ac periculoſi eſſe cauſam; præſertim etiam in nimio ac ſubitaneo, indeque lethali ſæpè lochiorum poſt partum fluxu; quamvis ſemper ad diſpoſitionem unà temperiemque ſanguinis reſpiciendum ſit; diuturnæ verò menſium ſuppreſſionis cauſam vix quæſiveris in contractione uteri ſpasmodica, quæ tamdiu non duraret; imò potius illa erit accuſanda unà cum orgaſmo ſanguinis, tum, cum menſes & nimis citò, tertia hebdomade, & nimis largo prodeunt fluxu.

Circa virilis membri erectionem, tenſionemque potiſſimùm allegant, eam dependere ab influxu ſufficienti ſpirituum animalium in corpora ejus nervoſa, indeque explicanda eſſe iſtius tenſionis vel imminutæ, vel depravatæ Symptomata; rectè quidem ſi ad partis illius ſtructuram, qualem Ruyſchius oſtendit, reſpiciant, ac non tam ſpirituum allegent in nervoſa corpora influxum, quàm ſanguinis intra illorum cellulas ſtaſin ac coacervationem, ſpiritibus ſi non immediatè, mediatè tamen debitam.

Convulſiones & Spaſmi oriuntur à ſpirituum animalium influxu violento & nimis vehementi in fibras partium muſculares ſeu motrices, & ſiquidem illa violenta impreſſio in fibras muſculares antagoniſtas cum quadam æquabilitate ſeu æquilibrio fiat, fit ſtabilis ac rigidus ſpasmus ſeu convulſio per modum tetani e.g. ſi verò inæquali ruunt impetu ſpiritus atque interrupto influxu nunc hùc fortius, nunc illuc ruunt fiunt motus convulſivi, æquilibrio ſublato. Qui-

Quidam dicunt Spasmorum ac Convulsionum causam esse vel quantitatem, vel qualitatem perversam humorum, quod alii ita ex Hippocrate efferunt, ut dicant, fieri spasmos vel à repletione nimia, vel nimia inanitione. Verum binæ istæ distinctiones non idem dicunt. Repletio & inanitio humorum ut sic non efficit spasmum, nisi per accidens, dum partes vel nimis tensæ, vel nimis inanitæ stimuli vice fungantur, Spiritusque agunt in ataxias.

Hinc ab aliis audias accusari causam Spasmorum validiorem fibrarum ac nervorum concussionem ac vellicationem ab acribus humoribus productam, quando enim fibræ ita tendantur ac premantur, placidum spirituum motum turbari, & irregularem, inordinatum & concitatiorem fieri. Respiciendum omninò est ad stimulum qualemcunque qui isti spirituum ataxiæ, ac violentis oscillationibus præbeat ansam, sive sit fluida, sive solida causa, sive irritans, lacessens, sive premens, distendens, urgens, oscillans ob fibrosam structuram &c.

Uti omnes dolores à constrictionibus spasmodicis derivare haud licet, ita plurimos tamen convulsivi aliquid in se habere in aprico est, sive per modum causæ, sive effectus.

Ad experimendam doloris indolem dicunt, in omni sensu esse quandam pressionis speciem concipiendam, sic quoque in doloribus percipiendis, in quibus fibrillarum tensione ac pressione spiritus ad motum concitatiorem atque inordinatum incitentur ac impellantur; quamvis formalis ratio doloris potius quærenda sit in solutione unitatis vel ejus attentatione, cum non semper dolor excitet spirituum tumultum & spasmum, licet semper spiritus graviter ab illo afficiantur, imò sæpè magis per eum dejiciuntur, atque ad torporem diuturna doloris fatigatione disponantur, etiamsi nulli præcesserint spasmi, possunt enim spiritus vehementer & turbari, & commoveri, & irritari, & cum impetu majori quam par est influere,

nec tamen efficere ſpaſmum, ad quem ſpecialis quædam irritatio, & ſingularis impetus requiritur, non qualiscunque, nec quivis dolor, aut ſtimulus, alius enim in dolore ſtimulus eſt, alius in ſpaſmo, hinc toties ſine dolore eveniunt ſpaſmodicæ ſtricturæ.

Si verò dicatur omnem dolorem fieri vel à diſtenſione, & hanc conſequenti partium vicinarum membranacearum ac nervearum preſſione, vel à particulis rigidis, irregularibus, ſalinis, vellicantibus, ac lancinantibus contextum fibroſum nervorum; id ſimul erit annotandum, non omnem preſſionem eſſe à diſtenſione, ſed & à compreſſione, à ſolido, imò & à fluidis, à tumoribus, à conſtrictionibus ſpasmodicis; à ſolutione continui non ſolùm in fieri, ſed & facta, fibrillis nervorum in circinnos reſilientibus ac valdè irritatis; quod verò attinet ad particulas ſalinas, illarum nec quævis irritatio aut punctio efficit dolorem, nec facta in omni parte niſi certo modo denudata, & in certa acrimoniæ exaltatione atque cacuminæ ſpiculorum; quæ tamen particulæ ſuo in genere ſatis ſunt regulares.

Varietates modosque dolorum derivant à ſalibus magis minusve rigidis, acribus, fixis, vel volatilibus, aut ſubtilioribus, vel à membranis partium magis minusve ſubtilibus, teneris, ac ſenſilibus; quibus tamen aliæ tum partium, tum cauſarum varietates, ſtimuli, preſſiones, ſtricturæ, tenſiones &c. jungi omninò debent; nec præciſè fixitas, vel volatilitas ſalis major minorve ſpeciem variabit doloris, licet gradum forſan, vel potius durationem alicui videri poſſet modificare atque augere aut minuere, quanquam ne id quidem ſine incertitudine.

Gravativum dolorem deducunt à copia humorum, poteſt verò etiam a ſpaſmis, ab infarctu, a flatibus oriri; tenſivum tribuunt flatulentis vaporibus, cum tamen æquè humoribus ſtagnantibus poſſit adſcribi, ac magis adhuc conſtrictionibus ſpaſmodicis; ſcindens non ab acri ſolùm, ſed & tendente

cau-

cauſa, pungens non ab acido præciſè, ſed tum acri quovis, tum & ab aliis oritur ſtimulis; pulſatorium deducunt a vicina arteria ſanguine diſtenta, vel rectius a ſtaſi ſanguinis, ſeu tardiori motu pulſu innumeris arteriolarum vibrationibus, partium reſiſtentiis, & impulſionibus a tergo novis multiplicato ac ſenſiliori reddito; oſtocopum vocant qui acrimonia inſigni periostium invadit dolorem.

Negari non poteſt eam aliquando eſſe dolorum ferociam ac durationem, ut febris inde accendatur, oriaturque ob nimiam ſpirituum turbationem ac concitatiorem eorum motum delirium; quanquam iſta ſæpè non præciſè dolori, ſed morbo adſcribenda ſint, cujus æquè ac dolor ſunt ſymptoma, facile enim & hic eſt fallaciam non cauſæ ut cauſæ committere.

Cum verò audis, a gravitate doloris oriti conſtrictionem ac contractionem quandam partium nervoſarum, & hinc in doloribus atrocibus evacuationes ſupprimi, nimirum alvi, urinæ, ſudoris, ſanguinis; deprehendes, id aliquando experientia comprobari, ſæpius verò & ob alias circumſtantias obſervaveris contrarium.

Teſtes ejus rei ſunt exceptione omni majores, dolorificæ admodùm dyſenteriæ, ac diarrhœæ, & copioſæ tamen ſi ſpectes excretionem; ſtranguriæ dolor intolerabilis perpetuo cum ardore ſemper aliquid exprimens urinæ ſtillatim; ab intenſiſſimis doloribus largiſſimi ſudores; ac menſes denique ſummè aliquando ſub fluxu etiam ſuccedente dolorifici, vel etiam ſine ullo dolore ſuppreſſi &c.

Cephalalgiæ cauſam allegant impeditam ſanguinis per vaſa minutiſſima capitis, vel interna, vel externa, duræ matris, vel pericranii circulationem, vi cujus vel nimium diſtendat, vel premat copia has membranas, aut ſale ſcindente pungat; rectè quidem iſta, modò non ad has ſolùm membranas, ſed & reliquas capitis partes res extendatur, aliæque cauſæ orga-

orgaſmus ſanguinis, flatus, nervorum conſenſus, ac ſtricturæ ſpasmodicæ, idiopathicæ ac deuteropathicæ, imò & aliæ, externæ, internæque non excludantur ob inſignem hujus doloris & cauſarum ejus amplitudinem.

Monent verò aliâs quidam, in dolore capitis magis externas membranas & pericranium affectum eſſe, quam internas, ſive meninges. Scilicet inter internum, externumque dolorem nunquam non circumſpectiores practici diſtinxere, ac ἐκμήρια utriusque adduxére; utrasque enim partes, non eodem tamen periculo occupare poteſt dolor, gravior ſcilicet internus, graviusque à laceſſita meninge periculum, atque à ſtaſi ſeu aggeſtione ſanguinis in tam nobilis partis intimioribus, quæ tollenda faeilius in externis.

Hemicrania cum alterum tantùm occupet capitis latus, deducitur à circulatione ſanguinis per arteriam & venam illius ſaltem lateris impedita, cum notum ſit, carotides & vertebrales eſſe vel dextras vel ſiniſtras.

Notum verò etiam eſt quam arctè hæc vaſa communicent per anaſtomoſes ſuas communes, ut unius lateris vaſis obſtructis, alteri tamen neceſſarius haud deſit ſanguis, hinc malis ferè ad nervos unius lateris præ alio irritatis recurrere, vel utrumque ſolùm conjungere, eò magis, quod etiam dentur hemicraniæ per conſenſum cum primis viis, pendentes proin à communibus plexibus &c.

Præbere igitur Capitis dolori occaſionem cauſamque dicuntur, quæcumque ſanguinem urgent & pellunt ad caput vehementius, uti accidit in obſtructa alvo, in hypochondriacis ac ſcorbuticis ſpasmodicis affectibus, febribus, vel quæ ejus ibi motum liberiorem impediant, uti narcotica faciunt.

Qua quidem in re attendendum ad caſus ſpeciales, neque enim in iſtis affectibus ſemper ſanguis ad caput vehementer impulſus efficit illos capitis dolores, ſed domeſticus ſanguinis

orga-

orgaſmus, & cum orgaſmo juncta conſiſtentia denſior, vel ſaltem ſub qualicunque mora ad denſationem & gelatineſcentiam, ſit verbo venia proclivis, id quod ſæpè in hypochondriacis obtinere palàm eſt; alvus verò obſtructa per conſenſum nervorum iſtos cudit dolores; ſpasmodici autem affectus ſæpè non tam urgendo verſus caput ſanguinem, quàm ibi jam præſentem quaſi detinendo ſtricturis ſuis dolorem excitant; narcotica ex adverſo ubi ſemel incraſſando ſanguinem, ejusve ſiſtendo motum ſub ab uſu cephalalgiam effecere, centies ſub uſu legitimo eam tollunt, ferocientas ſpiritus, humoresque juſto magis elaſticos, ac irritatas fibras leniter afficientes pacantesque, & naturali proin ac moderato Elateri reſtituentes, quod tamen pro diverſitate caſuum & cauſæ abſorbentibus quoque, diluentibus, & nitroſis potiſſimum obtinetur.

Quotiescunque verò notabilior ſanguinis turgeſcentis impetus exſurgit, propriisque proin ſuis undis paſſim ponit obices, facilè anxietas, reſpirationisque difficultas, vel etiam Cephalalgia, vel dolores alii oriuntur, prout in parte minus, magisve ſenſibili aggeſtio ſanguinis ac tardior motus contingit, diſtenſionum obſtructionumque author.

Præter ſanguinem verò etiam chylum crudiorem accuſari crebrò audias in cudenda Cephalalgia, ſi ſcilicet crudus chylus, non ſatis in minutos diviſus globulos cum reliquo ſanguine feratur ad caput, veniensque ad venarum anguſtiores extremitates, ob craſſiuſculam particularum molem poris non congruam ibi hæreat, & à ſubſequente arterioſo ſanguine in exiles illos meatus impellatur, obſtructionem, diſtenſionem ac proin dolorem fieri.

Ac certum omninò eſt æquè moleculas chyloſas, ac ſanguineas poſſe ſtaſin pati, diſtendere ac premere fibrillas, doloremque excitare; licet id præcisè non fiat in minimis venulis, quod adeò ſenſiles non ſunt, tamen in interſtitiolis fi-

brarum nervearum ac muſcularium, quæ à particulis moram trahentibus vel premuntur, vel tenduntur, vel acrimonia vellicantur.

Hypochondriacis autem, & illis, qui ventriculi imbecillitate ac vaſorum impuritate laborent frequentes accidere capitis dolores ideò dicuntur, quia debilior ventriculus & crudum talem chylum, & viſcidos, deſciſcentesque acidos ſuccos, & flatuum mineram largiorem miniſtrat; impuritates autem viſcerum ad teneras Capitis partes delatæ non poſſunt non nervulos ibi frequentes, graviter affligere.

In eo conſenſus eſt, quod cauſa doloris hærens in perioſtio graviſſimos paſſim excitet dolores; ſi in nervea membrana meatum auditorium cingente crudeliſſimus aurium dolor, ſi in membrana nervea dentium radices inveſtiente atrox oriatur odontalgia; ſi in articulis pedum, podagra, in manibus chiragra, in oſſe coxendicis Iſchiadicus dolor, in ureteribus, earumque principio nephriticus dolor, in oriſicio ventriculi Cardialgia, in inteſtinis Colica &c. alibique alii emergant dolores.

In eo autem diſſentiunt, quod nonnulli hanc cauſam quærant in eo, quod diſtendantur vaſcula, quidam verò quod particulæ rigidiores ſalinæ pungant fibrillas nerveas; quis verò non videt, conjungenda hæc eſſe, non opponenda, diſtenſio vaſculorum directè dolorem atque immediatè non infert, ſed tendendo, laceſſendo, premendo ſenſiles fibrillas, hocque ſæpiſſimè efficit aggeſtio ſanguinis, ſed non ſola, nec ſemper, ſæpè etiam acres particulæ pungendo dolorem inferunt, imò ſæpè utraque cauſa, utut quibusdam non ita videatur, concurrit.

Unde & cauſæ ſpecialium iſtorum dolorum mirè variant, nec ſemper ſunt eædem, hærente nunc in fibrillis, vel articulis &c. acri ac pungente humore, nunc verò ſtaſin pa-

patiente ſanguine, atque ob illam, non ob acrimoniam, licet etiam ea forſan tum infectus ſit, dolorem excitante; Nec ſubſiſtit aurium dolor in ſola meatûs nervea membrana, nec ille dentium in membrana radices inveſtiente, alii enim ipſas lamellis interpoſitas oſſeis fibrillas accuſant nerveas, & ſic de reliquis, cum partes nunc harum nunc illarum ſui particularum organicarum culpa, nunc Idiopathicè, nunc deuteropathicè afficiantur &c.

Si ſtrictiſſimè rem velis urgere, licebit forſan aſſerere cum nonnullis; diſtinctionem inter motum convulſivum & convulſionem eſſe nullam, ac nullam dari convulſionem, quæ non ſit motus convulſivus, & contra. Verùm utilius erit, ac doctrinæ gratia diſtinctius, ſi hæc diſtinguantur, cum revera dentur convulſiones ſeu tales tenſiones violentæ ac rigidæ, tum univerſales, tum particulares, quæ nullum partis motum ſenſibus advertendum habeant, quod ſufficit ad convulſionem conſtituendam, quæ proin diſtinguenda eſt à ſtatu inquieto partium motibus convulſivis agitatorum; cum & differentia ſit in modo agendi cauſæ, & in modo influxûs Spirituum in organa, horumque actuatione &c.

Sunt equidem epileptici, qui poſt paroxyſmum conqueruntur de doloribus totius corporis, dolentibus carnibus ac ſi fuſtibus fuiſſent percuſſæ, frequentius tamen præter inſignem laſſitudinem ac torporem nihil patiuntur, imò & omnium quæ circa ſe geſta ſunt, ignari nec crederent quidem tantas in ſuo corpuſculo commotiones, agitationesque contigiſſe.

Ad analogiam ſupra dictorum Convulſio univerſalis non eſt Epilepſia, ſed in tetano, opiſtotono, & emproſtotono conſpicitur, particularis autem intenſionibus membrorum rigidis.

Motus autem convulsivi universales vel totum corpus, licet non æquabiliter afficientes in Epilepsia eveniunt, quanquam & dentur universales motus convulsivi sensu integro, utut rariores sint isti, particularis verò membrorum agitatio dicitur motus convulsivus.

Quando legimus annotatum, constitutionem cerebri humidam & pituitosam ad epilepsiæ generationem multum contribuere, id non intelligendum est de madore quovis, roscidaque humiditate naturaliter cerebrum illinente ac humectante, sed de abundante fibrillasque premente ac lacessente Phlegmate; cæterum ex siccitate quoque & calore idem metuendum, expectandumque.

Quod curatu adeò sæpè difficilis sit Epilepsia ab obstructione in cerebro pertinaciori, diuturniori, & magis habituali solet deduci; notandum tamen, hanc non posse solam allegari causam, cum potissimum deuteropathicum est malum, etiam quædam ascendit à remotis ante accessionem partibus; imò & in idiopathicis malis, si stimulus potius quispiam, lacessensque subsit causa, non verò obstructiones cerebri ejusve tubulorum.

Inter causas Epilepsiæ remotiores referuntur gravissimi dolores, contusiones, spasmi in inferioribus partibus, ira, terror, ebrietas, quoniam supponitur epilepsiam à sanguine vel sero in cerebri vasis vel membranis stagnante oriri, hæc autem talia impurum sanguinem ad caput fortius movere, vel ejus stagnationem promovere non immeritò censentur; quanquam non hæc unica istarum causarum agendi ratio est, quod vel ex eo pateat, quod sanguis qui impetu ad caput pelli supponitur, dicatur impurus, quæ impuritas nulla etiam vi extraordinaria impulsa obstruere, & nervos lacessere inque spasmos urgere valet; adde, quod stasis sanguinis crebro in istiusmodi casibus affectus potius inter referendus sit quam causas,

cum

cum ſcilicet ab acri, aliove ſtimulo nervorum irritatio exoritur, diffunditurque per conſenſum.

Illi, qui ſupponunt in tono membranarum cerebrum inveſtientium conſiſtere potiſſimum diſpenſationem Spirituum animalium in totum corpus; eo ipſo in Epilepſia vehementiſſimam membranarum Cerebri & ſpinalis medullæ conſtrictionem accuſant, qua fluidum nerveum elaſticumque cum impetu in nervos impellatur.

Nec dubitandum eſt, duræ cumprimis matris conſtrictoriam oſcillationem multum conferre, ſi non hoc conſtrictorio & expreſſorio Spirituum motu, ſaltem connexione ſua conſenſuque quaquaverſum cum aliis nervis conſpirando, eosque in graviores ſpasmos ſuſcitando.

Nemo facilè contradixerit, ubi palpitatio cordis à præternaturali muſculorum cordis, & arteriarum conſtrictione derivatur, quanquam hæc ſæpè ſit potius effectus productus à cauſis cor obruentibus, tendentibus, atque ad palpitatorias conſtrictiones adigentibus; diſtinguendum ergò inter immediatam cauſam, & mediatas; inter palpitationis ſenſum, gradus, & effectus, modoque varios; ubi enim cor à ſanguine vel orgaſtico vel nimio quodammodò obrutum aliqua ratione palpitat, non ſtatim ea præternaturalis & verè ſpasmodica conſtrictio arteriarum cordisque parietum erit, ſed operoſior ſaltem ob fibras fortius tenſas conatus ac propulſio ſanguinis, à veris cordis & arteriarum ſpasmis multum adhuc ſolicitèque diſtinguenda.

Notant quoque à paſtu plerumque palpitationem cordis ingravescere, quia à chylo crudo & acri major tunc fiat preſſio; quamvis utile fuerit hîc reſpicere præcipuè ad repletionem diſtenſionemque ventriculi, indeque diaphragmatis preſſionem, & reſpirationis impedimentum, ac ſimul ad flatulentias ex ci-

bis prodeuntes, quorum vim in palpitatione excitanda tota die hypochondriaci, chloroticæque experiuntur.

Circa polypos in cadaveribus palpitatione cordis mortuorum repertos non idem ſentire omnes deprehendas, ſunt qui concuſſionis hujus palpitatoriæ productum potius & effectum cenſeant polypos, quàm cauſam, quoniam à particulis ramoſis, terreſtribus ibidem præcipitatis faciles concretiones in ramis proximarum venarum poſſint contingere.

Quibus tamen alii non immeritò opponant tot alia exempla graviſſimarum palpitationum quæ à polypis omninò fuerant excitatæ, eò magis quod non quævis iſtiusmodi præcipitatio partium terreatum vel ramoſarum polypum efficiat aliudque ſit polypus, aliud vel ſanguinis concreti vel pituitæ quidam grumus, ita ut polypus verè nec infrequenter cauſæ habeat rationem reſpectu graviſſimæ palpitationis.

Agunt & ſuas ſpasmodicæ ſtricturæ partes circa geneſin Syncopes, quæ non ſemper à motu inteſtino ſanguinis deducenda rectè paſſim dicitur, verum etiam à motu Spirituum animalium turbato, vel eorum influxu in cor deficiente vel elanguido dependet, quod non ſolùm patet ex ſyncope ſuperveniente gravibus animi affectibus, & morbis malignis, venenatis, ſpirituum &c. ſed & in Lipothymia orta à tenſione fibrarum cordis ſpasmodica vel etiam per diſtenſionem nimia &c.

Cum abortus oriri ſoleat à fortioribus purgantibus, diarrhœis, hæmorrhoidibus, doloribus, & vicinarum utero partium irritationibus, ac inordinatis ſanguinis & Spirituum animalium per affectus intempeſtivos commotionibus, hinc inferri audias abortum fieri propter validiores fibrarum uteri concuſſiones ſeu convulſiones.

Ne-

Neque id facilè in certis casibus negaveris , utut & ad musculorum abdominis & respirationis sæpè concursum respiciendum sit , cum & abortus soleat non sine conatibus parturiendi fieri; & causæ allegatæ non solùm agant excitando convulsiones, sed & potissimum sanguinis orgasmum, indeque fluxum , ac proin secundinæ luxationem à sede ac radicibus suis , procurando , ad quod postmodum illa constrictio uteri tanquam effectus accedit stimulante mole contenta, & reliquis circumstantiis , ita tamen ut simul ipsius factæ excretionis sit causa adjuvans.

Cautè igitur statuendum erit, non posse fieri abortum, nisi ipse uteri fundus violenter contrahatur , ac convellatur hinc purgantia & alia abortum provocantia specifica non facilè abortum provocare possunt nisi dispositio uteri sit ad talem contracturam spasmodicam.

Vix enim ista sufficit ratio , si enim semel secundinæ quædam separatio , ac sanguinis per eam effusio paulo largior fiat , sequi sanè non potest non abortus , licet primariò illa dispositio uteri contractoria per se non adesset , satis eam postea ipsa massa eliminanda urgebit ; quod verò ex istis remediis purgantibus ac stimulantibus non semper sequatur abortus , id partim robori fibrarum , partim secundinæ robori, & sanguinis non facilè ebullientis ac tumultuantis dispositioni videtur adscribendum; Notum enim cæterum est quam exiles sæpè levesque occasiones sufficiant ad abortum provocandum , ut meritò providentiam mireris & alleges divinam si malæ famæ mulieribus non succedat procurandi abortus tentamen & conatus.

Ad spasmorum quoque classem pertinet singultus , qui tamen & ratione causæ, & ratione periculi atque eventus valdè

dè diverſus eſſe ſolet; cum verò dicitur, eſſe violentam aeris impulſionem ſuſcitatam à convulſione diaphragmatis, & violento ejus deſcenſu, notabis probè, aëris illam violentam expulſionem eſſe effectum accidentarium in ſingultu, (probè enim hîc à ructibus, ſeu ſonora aëris eructatione ac protruſione diſtinguendus) dum latitante plerumque in ventriculo cauſa, diaphragma propter conſenſum afficitur, quanquam variè pro varietate ſingultus, qui aliquando leve malum, aliquando graviſſimum eſt, inflammatione interna, imò inteſtinorum ac ventriculi gangrænam eum excitantibus, uti fieri ſolet in dyſenteria fatali, in hernia incarcerata, aliisque inflammationibus internis; imò & in ventriculi atonia ſumma ac debilitate ſub ultimis iisque languidè ſpasmodicis conatibus &c.

Referri huc quoque ſolet ſternutatio, quæ communiter dicitur violenta aëris expulſio, ſeu exſpiratio à convulſione diaphragmatis orta ob conſenſum membranæ narium nimium irritatæ.

Vix ſpasmus eſt æquè naturalis ac ſternutatio. adeò plerumque innoxia imò ſalutaris quoque; ſæpè tamen & graviſſima portendens, ſecumque ac poſt ſe trahens mala; nec illius impetus, & exploſio in ſolo terminatur diaphragmate, ſed omnes iisque numeroſi, qui ad reſpirationem concurrunt muſculi, imò & plures alii concutiuntur, convelluntur que ſub tali irritatione, quæ uti tollere obſtructiones, excutere moleſtum, excitare Spiritus valet, ita ex adverſo rupturam minari teneriorum in capite ac pulmonibus vaſorum, effuſionesque ſanguinis graves poteſt, aliaque ſpasmodica per conſenſum ac concuſſionem mala &c.

Eſt verò totum ſternutationis negotium mirabile & intricatum, neque hactenus ſatis quâ circumſtantias tam ſalutates, quàm periculoſas in lucem protractum, poſitumque; præ-

præprimis notabilis est quorundam frequentissima & non numeranda sternutatio citra coryzam, vel narium lacessitionem sensibilem, aut abusum tabaci, orta, aliquando portendens mala subsequa & molestias, aliquando sine omni noxa in consuetudinem abiens, aliquando & salutaris & ob consuetudinem naturæ eò jam inclinantis necessaria facta.

Cap. IX.

DE MORBIS EX VITIO PRIMARUM VIARUM ORTIS.

PRimarum viarum titulo non œsophagum modò, ventriculum, & intestina comprehendi novimus, sed & ob connexionem fluidique sui secreti huc factam destinationem ac derivationem pancreas, ac hepar eorumque ductus, & annexum intestinis sustentansque lactea vasa mesenterium.

Etiam hîc naturalis status præternaturalem illustrat cum igitur quæstio est de causis depravatæ digestionis, respiciendum ad requisita probæ laudabilisque concoctionis, & ejus instrumenta.

Saliva seu primum menstruum, si vel spissius sit, vel nimis tenue, vel copiosius justo vel parcius, vel nimis acre, aut acido tinctum, aut cruditatibus inquinatum, aut nimis torpidum ac vappescens; Calor corporis, sanguinisque vegetior, ac hujus prompta efficaxque per ventriculi vasa affluxus ac circulatio si deficiat; ac denique si ventriculi, tanquam musculi blandè triturandis ac se stringentis, tonus langueſcat; ejusque cavum cruditatibus ac viscidis, pravisque succis inquinetur, cibisve nimium obruatur, aut hi sint nimis coctu difficiles ac naturæ haud congrui læditur omninò digestio.

Ventriculi nimirum illa actio correspondet reliquis actionibus machinæ, earumque vigori ac integritati, hinc non

poſſunt non & appetitus & digeſtio peſſundari , quoties vel ſanguinis vigor , vel Spirituum robur ac elater languent, aut pravis motibus, ſuccisve inquinantur.

Quidam ſalivam pro vero ventriculi menſtruo habent, neque aliud agnoſcunt, hinc ubi illa nimium vellicet, nimiam dicunt fieri appetentiam , multasque cruditates generari acidas & viſcidas , ſicque oriri famem caninam , quæ ſi cum deſiderio rerum inſuetarum & phantaſiæ vitio conjuncta ſit, dicatur pica. Nota verò, ſalivam omninò eſſe partem menſtrui ciborum quibus primò mox in os ingreſſu admiſcetur ſub maſticatione intimius, ſolam tamen menſtruum non conſtituere , cujus quoque pars , præter potum liquidamque ciborum portionem , eſt lympha ex ventriculi glandulis ſtillans.

Non ergò ſola ſalivæ acrimonia vel aciditas ſufficit ad nimium appetitum excitandum , quò & ventriculi lympha, & ciborum qualitas , & cruditatum varietas , & abſumptio nutrimenti labores, tranſpiratio aucta, conſuetudo &c. contribuunt.

Pica autem ad caninam famem referri non debet, quippe quæ non uti hæc vel ad vomitum uſque nec uti in bulimo ad deliquium appetit cibum, ſed ſaltem deſiderat ingeritque inſolita, gravidis potiſſimum, quamvis etiam infantibus ſubinde accidens, quocunque demum phantaſiæ errore &c.

A menſtruo ventriculi nimis tenaci & viſcido , caloreque imbecilli audias deduci anorexiam , ſeu inappetentiam cum nauſea conjunctam , & intemperiem frigidam ventriculi ac cruditatem pituitoſam ; à ſaliva autem nimis ſalſa & bilioſa cruditatem, dictam nidoroſam conjunctam cum ructu putrido &c.

Notandum verò circa iſta , anorexiam & inappetentiam cum nauſea non ſemper idem dicere , nec à dicta ſemper

per menſtrui tenacitate ac viſciditate oriri , uti nec frigida ventriculi intemperies hinc derivanda eſt , ac pituitoſa cruditas , quæ ciborum ſæpè copiæ , pravitati , corruptioni ac ſubactioni minus ſufficienti debetur ſine vitio menſtrui præcedente ; idem circa nidoroſam monendum cruditatem menſtrui vitio vel acri, vel bilioſo non ſemper adſcribendam ; atonia quoque ventriculi plerumque inter præcipuas horum malorum cauſas referenda.

Vomitum dici videas periſtalticum motum ventriculi inverſum à violenta conſtrictione dextri orificii & duodeni ortum & productum ab humore acri irritante volatili , item à ſpasmo in remotis partibus exiſtente , uti videamus in calculo. Ubi quidem advertes, inverti omninò motum fibrarum ventriculi, in vomitu , ſed hunc non ideò dicendum motum periſtalticum inverſum , ſi enim idem ille lenis motus periſtalticus nude inverteretur, nullus oriretur vomitus ; requiritur igitur ſpasmodica fibrarum ac violentior periſtaltica motione conſtrictio , contentorumque etiam ex duodeno huc propulſorum , ejectio per gulam ; nec neceſſe eſt in ipſo vomendi actu dextri orificii conſtrictionem ſtatuere , quoniam etiam ex duodeno aſſurgunt ejiciendi humores, quanquam non ſit negandum, orificia ſub talibus ſpasmis reciprocè nunc conſtringi, nunc laxari, uti & ſuperiori contingit ſeu ſiniſtro.

Nauſea non debet confundi cum conatu vomendi , qui ſæpè inanis eſt & quibusdam dicitur nauſea , ſeu vomitus intentatus & quaſi in fieri , quemque dicunt oriri à contractione ac ſtrictura ventriculi & ipſius æſophagi præternaturali ; aliquando verò inde eſt quod talis ſtrictura non ſit ſatis fortis , nec ſatis inverſa ſeu ſurſum tendens , nec aptus ad ejectionem ob viſciditatem vel adhæſionem tenacem pravus ſuccus, aliquando verò ob ſuperiores partes fortius ſtrictas movetur ſed promoveri non poteſt cruditas illa ; nauſea verò

ſæpè ſine vomitu, & ſine conatu ad vomitum, imò & ſine propenſione, quæ tamen aliàs etiam jungi poſſunt averſioni à cibo ſeu nauſeæ.

Obſervatum eſt chronicum vomitum creberrimè ab obſtructione quadam graviori in hypochondriis ſuſtentari; quanquam & à cruditatibus, ab atonia ventriculi, per conſenſum, per quandam conſuetudinem (ſunt enim & pravæ & radicatæ morborum conſuetudines admodùm ſæpè poſtquam invaluerunt pertinaces) à tumore, ab affectu animi profundè diutiusque infixo &c.

Flatus gigni ajunt, quando perſpiratio effluviorum ex digeſtione natorum per inteſtina propter occluſos & conſtrictos illorum poros inhibeatur, hosque mirum diſtendere tunicarum inteſtinalium fibrillas, & ſic oriri dolorem.

Nota verò flatus non ſolis effluviis illis conſtare, ſed aëre potiſſimum, qui nunquam perſpirat per tunicas inteſtinorum, in ſtatu tamen ſanitatis partim non ea copia, qua ex cruditatibus fit, elevatur ac prodit, partim fibratum robore per inferiora facilè disjicitur.

Nec quævis tenſio flatulenta abdominis ſeu turgeſcentia inteſtinorum dolorem infert inſignem, niſi arctius illi inclusi nimium tendant & ultra ſphæram fibrarum, inteſtinorum tum tenuium tum craſſorum, uti fit in Colica flatulenta.

Neque enim omnis dolor Colicus à flatibus eſt, ſed & alius ab acrimonia bilioſi humoris ac acerrimi, atque alius à ſpasmodica conſtrictione, qualis cum retractione umbilici, graviſſimaque conſtipatione à vinis ortus eſt lithargyriſatis.

Quo ipſo tamen non negatur, etiam in bilioſa, ac flatulenta Colica poſſe conſtrictiones, ſpaſmosque accidere ac ſupervenire ſub atrocia dolorum, teſte vomitu, ſtricturisque dolorificis, maximè conſpicuis in Hyſterica colica, ubi in conſenſum raptus eſt uterus, cujusque ſymptomatibus propè ad-

admodùm accedit dolor Colicus hypochondriacis frequens tum à flatu tum ab acri crudicate, tum ab irritatione nervorum.

Morbus Iliacus dicitur, cum invertitur motus periſtalticus inteſtinorum, ita ut feces alvi per vomitum rejiciantur, cum maximo ventris dolore, & alvi conſtipatione, febre ſingultuoſa, inflammatoria; eo ipſo verò patet non ſufficere motum periſtalticum inverſum, niſi graviores motus ac ſpasmi Scybala ſurſum urgentes, vulvulamque via moventes accedant, ſub inflammatione præprimis jam incrementa in inteſtinorum membranis ſumente; ſive jam ab hernia incarcerata uti plerumque fit, ſit malum, ſive à variis obſtructionibus pertinacibus, contorſionibus, aut intro ſuſceptionibus, quas vocant inteſtinorum.

Cardialgia eſt ventriculi dolor, ardores, roſiones, vellicationes, dolores gravativos, conſtrictorios, lancinantes, aliasque ſpecies ſub ſe comprehendens, cujus ſubjectum aliqui ſolum orificium ventriculi ſiniſtrum dicunt, alii verò non tantum ſuperius hoc orificium, ſed magis inferius accuſant, quod ſitus id doloris videatur indicare; ſi dolor verò vergat ad dorſum, ubi ſitum eſt orificium ſiniſtrum, ſtatuunt hoc eſſe affectum; nil verò obſtat quò minus totum accuſes ventriculum, totum nervis crebrioribus intertextum ac valdè ſenſilem, totum quoque fibroſum ac muſculoſum, ac proin omnibus illis ſpeciebus patiendis aptam, ſive acrimonia, ſive halitus diſtendentes, ſive acres exhalationes, ſive ſtricturæ ſpasmodicæ dolorem excitent, aut moles, pravitasque cibi, aut cruditatum, ac flatuum &c.

Adſtrictionem alvi ab inertia deducunt bilis, vel ab acido conſtringente, vel à fibris inteſtinorum ſpasmodicè contractis, malique hypochondriaci ac hyſterici comitem dicunt; ſed jungitur incommodum hoc tot aliis quoque morbis, & præterea à variis cibis, à defectu ſeri, interno calore, nimio

ſudore, ac tranſpiratione, inteſtinorum ſiccitate, fæcum tenacitate, ac exſiccatione, fibrarum inteſtinalium laxitate ac atonia, aliisque cauſis originem ſuam ducit.

Diarrhœam vocant variorum liquidorum per alvum excretionem à continua glandularum & fibrarum inteſtinalium irritatione, facta à bilis ſale acri cauſtico. Notandum tamen, non ſufficere pro omnis diarrhœæ explicatione irritationem glandularum & fibrarum à bile acri, quia etiam requiritur fuſio humorum ſeu ſeri in ſanguinis maſſa, ejusque ſecedentis ad inteſtina determinatio; ac ſæpè oritur diarrhœa à laxitate & fibrarum & glandularum. Lienteria, fluxus cœliacus, hepaticus &c. docent quoque cauſarum varietatem.

Inter has verò allegant tranſpirationem prohibitam, aërem frigidum autumnalem, calidorum, purgantium, acrium, ſalinarum, fermenteſcibilium abuſum, depravatam digeſtionem, acredinem bilis, & humorum; quibus adde calidum nimis æſtatis aërem ac tempeſtatem humorum nimiam fuſionem procurantem, ac ventriculi inducentem, imò totius corporis atoniam, ac labefactionem toni fibrarum inteſtinalium, imò & inertiam, viſciditatemque bilis, unde novæ, variæque cruditates &c.

Rectè autem notatur in dolore colico, æquè ac diarrhœa irritationem non ſemper fieri ab humore acri in inteſtinorum cavitate ſtabulante, ſed ſæpiſſimè in ipſis inteſtinorum membranis latere cauſam, adde etiam in partibus vicinis æquè ac remotioribus, talia enim ſæpè per conſenſum fiunt.

Dyſenteriam nonnulli diſtinguunt à diarrhœa in eo, ſi à ſale cauſtico, corroſivo nimia fiat eroſio & exulceratio inteſtinorum ſicque ſanguis cum pure excernatur. Nota tamen & diarrhœæ eſſe gradus, & dyſenteriæ, ac præterea majorem adhuc differentiam intercedere, cum dyſenteria malignam febrem ſecum cum Epidemica eſt habeat junctam; nec ſemper excernuntur ſolùm cruenta, & purulenta, ſed & alii

pecu-

peculiari pravitate peccantes humores, ſi verò accedat inflammatio lethale fit malum.

Non in omni promiſcuè dyſenteria exulceratio æquè adeſt, nec inflammatio, ſufficit vaſcula ſi non eroſa, tamen rupta ab orgaſtico ſanguine ſub irritatione acrium humorum tam enormi ſuum fundere ſanguinem, triſti poſtmodum fato, ſi nimis fuſi humores febriliter exardeſcant inflammatio exulcerationem vel comitatur vel ſequitur, necroſi facilè fatali cum ſingultu ſuſpecto accedente.

Teneſmus moleſtiſſimè jungitur, continuo & plerumque fruſtraneo egerendi conatu dolorifico maximè conſtans, quam ab ani ſphincteris criſpatura ob mucum acrem in glandulis inteſtini recti lenticularibus hærente excitata derivari audias; licet non talem præcisè harum glandularum acrem liquorem accuſare liceat in morbo, ubi ſatis manifeſtæ acrimoniæ, irritationis, ſtimuli, roſionisque eſt in toto canali inteſtinorum, maximè in recto, per quod omnis illa acrimonia ejicitur, transeundoque toties ſphincterem miſerè laceſſit.

Choleram dicunt, cum vomitus cum diarrhœa ſimul conjunctus eſt, & cum maxima ventriculi & inteſtinorum ſpasmodica contractione, ita ut excretio ex improviſo quaſi ac ſubitò ſimul ἄνω καὶ κάτω uno quaſi impetu non ſine virium proſtratione contingit, id quod non ſine humorum fuſione ac turbis inſignibus accidit.

Malum hypochondriacum ampliſſimum eſt quà varietatem Symptomatum ac miram combinationem; ea quidam unicè adſcribunt ſpasmodicæ contractioni & criſpaturæ partium nervearum ac membranoſarum; quamvis id nimis generale ſit, potiusque determinandum maneat, ubi, & cur, atque à quibus cauſis patiatur tum nervoſum genus, præprimis plexus abdominis, an fomes mali in ventriculi vel cruditatibus, vel atonia, an inteſtinorum vel cavo vel plexibus, alibive hæreat, præprimis in liene, &c.

In

In primis enim viis potiſſimum ſedem, fomitemque mali quæras, licet omnem corporis affligat ambitum, æquè ac malum hyſtericum, cum quo dicitur convenire, utero in conſortium primarum viarum ob nervos communes tracto.

Unicè tamen hi morbi non ſunt deducendi à ſpasmodica nervearum partium criſpatura ac contractione, ſed ad ſtatum ſanguinis, ad atoniam partium, ad teneritudinem, ſenſilitatemque Spirituum, ad varias humorum aggeſtiones, affectusque animi ſimul probè reſpiciendum eſt; cum ſuam quoque flatus cumprimis, halitusque in hoc malo ludant fabulam.

Ad omnia iſta in complexu reſpiciendum eſt, neque ſatis erit fundamentum horum morborum unicè ponere in circulo ſanguinis per abdominis viſcera, & maximè meſenterium impedito, unde digeſtio & chyloſis penitus deſtruatur, propter vitiatam ſalivalem & gaſtricam lympham; hæc enim ſaltem remotam cauſam, & particularem attingunt, latius patet id malum, atque amplioribus cauſarum circulis continetur; nec impedita per meſenterium circulatio tantis ſufficit, tamque variis malis cudendis.

Pro regionum varietate cum Endemiis morbis, imprimis cum ſcorbuto variè combinatur hypochondriacus affectus, unde & ampliora & magis vaga & graviora ejus fiunt ſymptomata; Spasmodicæ verò ſtricturæ quæ in abdominis ambitu paſſim fiunt, in iis maximè qui tenerioribus gaudent nervis ac ſpiritibus, & in hyſtericis cumprimis, ab aggeſtione aliquando & ſtaſi ſanguinis, aliquando à flatibus, ab acrimonia, à bile, aliisque pravis ſuccis; vel etiam aliunde per conſenſum fiunt, in malo maximè hyſterico fundantur in uteri partiumque annexarum variantibus mira ac multiplici varietate vitii ac erroribus.

Hinc ſæpè & convulſiones hyſteriçæ varii ratione modi

ac

ac Symptomatum generis, ac ſuffocatio ſeu ſtrangulatio dicta uteri; quam deducunt à plexuum meſentericorum & inteſtinalium, & tendinum muſculorum abdominis contorſione ac conſtrictione, quo facto partes conglobatæ diaphragma ſurſum propellant, & aeris ingreſſum impediant, quanquam omnia iſta poſſunt evenire ſine conglobatione partium iſtarum, & diaphragmatis ſurſum facta truſione, per ſolùm plexuum conſenſum, vi cujus etiam thoraciei nervi ac muſculares fibræ in conſortium rapiuntur, imò totius graviſſimè tum patientis corpuſculi ſyſtema nervoſum univerſum.

Bilis neceſſitas ac nobilitas ab omnibus agnita facilè cuivis perſuadet graviſſima mala ab ejus vitiis ac deſciſcentia oriri; ſive quantitate, ſive qualitate, ſive motu peccet, febres, cachexias, hydropes, pathemata hypochondriaca, & hyſterica &c. producit.

Icterum verò oriri dicunt, cum bilis motus ad inteſtinum duodenum impediatur ſive obſtructo, ſive ſpasmodicè contracto ductu cholodocho, vel calculo in veſica exiſtente, vel poris hepatis bilariis calculoſa viſcida materia oppleris ſicque bilis per vaſa lymphatica regurgitet. Perinde verò erit, ſive regurgitet ex hepate bilis, ſive nimis evolvatur ſuique juris fiat in ſanguine; nec tam facilis eſt per lymphatica vaſa regreſſus, nec cætera omnia tam plana; unius tamen poſitio non eſt alterius excluſio &c.

SEMIOTICES

Cap. I.

DE SIGNIS MORBORUM EX SANGUINE, URINA, PULSU ET SALIVA PETITIS.

QUanta Diagnoſeos ſit neceſſitas in Medicina, & quam graves ex ejus neglectu lapſus, erroresque in perverſis morborum curationibus contingant, dici ſatis atque inculcari nimium non poteſt, ut diſcentes eò majori ſedulitate rei tam neceſſariæ atque utili navent operam, eò magis quod ex libris quà partem quidem aliquam, plenè autem non niſi in ipſa praxi & per ipſam in aſſidua ægrotum obſervatione acquiri notitia illa queat.

Ardua enim res eſt, Diagnoſin per genuina ſigna exactam tam quà morbum ipſum, quàm quà cauſas diſtinctè & cum certitudine formare; quoniam non niſi is bene curat, qui benè cognoſcit.

Quando legis univerſalem cautelam, Diagnoſin petendam eſſe ex ſignis, quæ conſtitutionem humorum, illorum temperiem & motum aperiant, quoniam omnis morbus oriatur ex intemperie & motu partium fluidarum; notabis, ſimul ad alia quoque reſpiciendum ſigna, eum & ex aliis morbos principiis oriri conſtet, nec ſolidæ partes, eatumque actiones, ac diſpoſitio negligenda.

Nunquam nimis in diagnoſi attentus, circumſpectusque eris; adque morbi indolem penitius indagandam omnia ſigna, & Symptomata attendi debent, non ſeparatim modò, ſed & conjunctim ſeu combinata, ſive ſigna illa pathognomonica ſint, & eſſentialia atque à morbo inſeparabilia, ſive accidentaria atque ſeparabilia.

Hinc

Hinc duplicia dicuntur meritò ſigna morborum diagnoſtica ; cum vel ſint ipſius morbi Symptomata & accidentia, vel deſumantur ex ægri natura , complexione , habitu corporis , victu , ætate, ſexu, climate, excretis, retentis, conſtitutione parentum , vitæ genere , pulſu , lingua , vigiliis, ſomno, ingenio, juvantibus, lædentibus &c. paucis medicus circumſpectus ad omnia attendit , quæ non poſſunt non pro individuorum ratione mirè variare ; hinc & reſpiciendum ad morbos prægreſſos , ad labores ante actos , ac præcedentium ætatis periodorum conſtitutiones , aliaque quæ corpori , animoque acciderunt ; maximè in fœmina , quæ omnem morbum bis pati dicitur, ubi altero ſemper oculo ad uterum, eoque pertinentia ſigna ac Symptomata reſpiciendum.

Spirituum animalium intemperiem & motum colligunt ex ſenſibus tam internis, quam externis, & maxime ex oculis, vi phantaſiæ, & ingenii, vigiliis, ſomno, movendi potentiis, ratiocinatione &c. Quanquam ratiocinatio poſſit eſſe integerrima Spititibus ſummè debilitatis , atque ingenii vis non pereat ſtatim vigore Spirituum vacillante ; ex adverſo robuſtiſſimi Spiritus non ratò nihil ingenii , ac minus adhuc judicii, fundatæve ratiocinationis habent conjunctum.

Sanguinis temperiem ac motum ex pulſu , reſpiratione tranſpiratione, ſanguine , & urina dijudicant, nec malè modò attendas, ne iſta quidem ſigna tuta ſemper ac ſufficientia eſſe, quoties enim decipit urina , quæ tam ſæpe verum ſolet enunciare ; omnia igitur ſolicitè conjungenda ſunt , cum ne ipſi quidem ſanguini de ſanguinis diſpoſitione credere tutum ſemper ſit , florido ſæpe ad aſpectum ſanguine inſignem malitiam occultante , fœdoque ejus aſpectu craſin ſæpe non adeò pravam docente, quod vel pleuritici, ac gravidarum ſanguis confirmet, ſæpè admodùm ſimilis, ut proin omnium facta collatione non ſine circumſpectione ſumma judicandum ſit,

Digeſtionis in ventriculo ſtatum, ac diſpoſitionem menſtrui ejus concludunt ex lingua, ſaliva, appetitu, ſiti, excretis per os, vel per alvum. Quanquam iſta digeſtionis quidem ſucceſſum queant docere, ſtatum verò gaſtrici liquoris non æquè omnem, ac adſcribetur facilè huic, quod cruditati ex cibis corruptis reliquæ debetur.

Pulſui multum meritò tribui videas, ſed & aliquando nimium, uti eum indicem faciunt non tantum ſpirituaſcentiæ ſanguinis, & ejus inteſtini, ac circularis motus, verùm etiam conſtitutionis Spirituum animalium; de hoc enim æquè, ac de inteſtini motus ratione non eadem ſemper pulſus certitudine perhibebit teſtimonium, ex quo ne quidem de circulationis præciſa ratione certus eſſe omninò queas.

Eo ipſo quidem hoc firmatur, quod pulſus dicatur motus arteriæ, ſive dilatatio ejus extrorſum facta à ſanguinis per Syſtolen cordis in arterias impulſio; qui ſanè idem eſſe poteſt ſub mira varietate utriusque, motûs ſanguinis; eſt enim paſſio potius arteriæ, quàm motus ſeu actio, hinc ſuſpenſo gradu ac probè perpenſis circumſtantiis ex pulſu judicandum, maximè de Spiritibus, ac motu humorum inteſtino.

Multi fuerunt veteres in diſcernendis accuratè pulſibus (ut taceamus Chinenſium ἀκρίβειαν nimiam,) adeò ut hodiè audias pronunciari, multas eſſe ſuperfluas pulſuum differentias. Non decet nimium eſſe in his curioſum, ſed tamen non æquè ac ferè ſolent ex modernis multi, negligentem; multa hîc merentur attentionem, nec illa doctrina ſatis exculta eſt, licet multum in illam ſuperflui irrepſerit.

Pulſum magnum dicunt indicare copiam, ſpirituaſcentiam ſanguinis & Spirituum animalium, quoniam magno impetu tunc dilatantur arteriæ. Cave, ne ex apparente pulſus magnitudine concludas ſemper ad copiam ſpirituum ac ſanguinis, cum ſub nimio orgaſmo & impetu caloris mentiri poſſit

poſſit hanc copiam ac ſpirituaſcentiam ipſa inopia vel ſaltem mediocritas &c.

Pulſus debilis ac parvus à debiliori ſanguinis ſpirituaſcentia, & inopia ſanguinis & ſpirituum animalium oriri dicitur; notandum tamen hanc inopiam non ſemper eſſe veram, ſed magis oppreſſoriam & occultatoriam aliquandò, quare ad alia ſimul ſigna, ac veram proportionem inter fluidum ſanguineum turgens, aut plethoricum ſeu abundans, & organa promotoria ſeu antliam cordis ac tubos vaſorum reſpiciendum &c. imò & ad ſtatum Syſtematis nervoſi, influxumque Spirituum in cordis nervos.

Hinc, quandò dicitur, Spiritus addere calcar ſanguini, id quidem intelligendum eſt fieri per nervos, fibrasque muſculares, materiali enim admixtione nihil ipſi conferunt; influxu autem ſuo omninò calcar illi addunt, ſed & easdem ab his calcaribus intempeſtive adhibitis ataxias obſervamus, quales in ferocientibus equis, ut difficile ſæpè ſit iſta amovere irritantia nimium calcaria.

Pulſus vehemens qui fortiter manum tangentis premit, indicare dicitur ſanguinis circulum citatiorem, præſertim quandò ſimul magnus vel plenus eſt, item influxum in cor intenſiorem. Nota autem hanc vehementiam docere quidem arterias vehementer dilatari ab allidente ſanguine atque cor fortiter laborare, ſed non indicare ſanguinis circulum citatiorem, qui non præcisè ex illa vehementia ſequitur.

Celer ſive frequens pulſus dicitur, quando pulſus pulſum ſequitur exiguo ſpatio à velociori influxu Spirituum, ob heterogeneum, vel ratione quantitatis, qualitatis, aut motus, ſanguinem, eſſeque hunc pulſum, ſi à cauſa interna fiat, febrilem. Quanquam illa celeritas magis videatur fundari in crebriori ſtimulo fibrarum cordis illato à turgente, elaſticoque ſanguine eum penè obruente, quàm à velociori Spirituum

influxu, qui tum vix erit velocior; nec opus eſt ejus velocitate majore ad velociorem efficiendum pulſum, cum ſufficiat illum influxum eſſe perpetuum, qui poſtea variè â ſanguine illabente & cor laceſſente determinatur.

Pulſus intermittens ab inæquali particularum ſanguinis mixtura, & ejus ſpirituaſcentia in corde paululum ſuppreſſa oriri dicitur. Quod conceſſeris de levi & rariore quorundam hominum ſatis ſanorum pulſu intermittente (qualem quoque obſervavimus) non de ordinario illo gravique, quem graves offerunt morbi; qui ſane graviores indicat cauſas, obſtructiones ſcil. circa cor polypoſas, ſtricturas ſpasmodicas, ſpiſſeſcentiam ſanguinis, inclinationem ad ſtaſin; aliâs in omni febri talis eſſet pulſus, ſi mixturæ turbatio ad eum producendum ſufficeret; nunc verò ille indicat ſummum in cordis ſanguinisque motu languorem, irregularitatem, inſtabilitatem, imò plerumque appropinquantes conatus ultimos ſuccumbentis jam fatiſcentisque antliæ vitalis tam inæqualiter ſe ſtringentis.

Pulſus inæqualitas identidem ſanguinis mixtioni & motui perverſo deberi dicitur non malè, ſi ſimul reſpicias ad cordis actionem & tenſionem ejus fibrarum, an nil illi ſubſit ſpasmodici; quanquam & ſine mixtionis læſione inæqualitas fieri poſſit ſcil. ſucceſſiva, à turgeſcentia inæquali, quod in vario febrium ſtatu brevi ſæpè temporum intervallo contingere obſervabis.

Ad naturam ac conſtitutionem ſanguinis cognoſcendam plurimum facere inſpectionem ſanguinis ex vaſis educta receptum eſt vulgatumque axioma, ac ſuo modo certum in iis caſibus ubi evidenter ſanguinis vitium in oculos poteſt incurrere, ſæpiſſimè enim decipit color, probèque ad reliqua ſigna attendendum eſt.

Quando ſpumoſus emittitur ſanguis, inteſtinam ejus agitationem adauctam, dolores, reſpirationem difficilem, & pectoris affectus ſignificare dicitur. Nota tamen, aliam eſſe

ſpu-

ſpumeſcentiam ab intrinſeco & domeſtico vitio ejusdem ortam, aliam, qualis plerumque fit à modo effluendi, dum ex alto parabolico arcu altius delabens in vaſculum agitur in ſpumam ob gelatinoſam tenacemque indolem nunc magis, nunc minus copiosè durantem & ſubſiſtentem ; ac judica an talis vel dolores indicare valeat, vel reſpirationem difficilem, pectorisve affectus.

Sanguinem floridum & tenuem ajunt indicare Salis volatilis copiam, & arthritidem volatilem, dolores ſcorbuticos vagos, ac hæmorrhagias præſagire. Æſtum nimium, atque elaterem ſeu turgeſcentiam præternaturalem declarare floridum talem, nimisque intenſum colorem certum eſt, copiam verò ſalis volatilis non præcisè oſtendit, quippe quod in hoc æquè ac alio ſanguine nondum ſui juris eſt ; nec iſtos præcisè affectus portendit, frequentius cephalæas, phlogoſes, ſimilesque affectus æquè detegit; cum ex adverſo hæmorrhagiæ, & arthritides ſub alio ſanguinis colore non ſint infrequentes.

Sanguis craſſus, & nigricans, ſero pauco ſtipatus, diſpoſitionem ad Melancholiam, & ſcorbutum frigidum, ac inflammationes graviores notare dicitur. Nota verò alium eſſe, atque aliud indicare tum ſanguinem floridum, tum nigrum, ſi vel ſit in ſuperficie talis, vel in tota grumi profunditate, vel utrinque: bonus ſanguis in fundo grumi nigricat, calidior juſto rubet ; æſtuans ac nimis tenuis ubique rubet; grumus verò nigricans nec ſtatim Melancholiam vel diſpoſitionem ad eam, nec graviores notat inflammationes &c.

Sanguis ſecta vena emiſſus, quo magis abundat ſero acri, eò magis denuare dicitur defluxiones, catarrhales, dolores, hæmorrhagias &c. Neque hoc perpetuum eſſe deprehendes ; notandumque pro diverſa ſanguinis diſpoſitione abundantia partis gelatinoſæ, & intimiore mixtione hujus cum ſero, plus vel minus ſeçedere ſeri à reliquo gru-

grumo, licet illius abundantia non ſtatim hinc à qualicunque ejus copia colligi poſſit, cum ſemper purpurea portio etiam naturaliter minima ſit. Deflexiones etiam ſine ſeri abundantia poſſunt fieri; multò magis dolores &c.

Pleuriticorum ſanguis utplurimum in ſuperficie firmam, craſſam, ac glutinoſam habet ſubſtantiam ſeu quaſi inductam cutem; quamvis & talem in aliis paſſim morbis, imò & in apparenter ſanis, ſi impuriore ſanguine, nec probè mixto gaudeant, atque in prægnantibus ſæpè obſervatur.

Sanguinem viſcoſum & tenacem, ac facilem ejus grumeſcentiam indicium aiunt ſcorbuti, luis veneræ, paralyſeos; & prænunciare diſpoſitionem ad inflammationes. Nota tamen celerem emiſſi ſanguinis coagulationem & grumeſcentiam effectum quoque eſſe abundantis gelatinoſæ in ſanguine portionis, facile concreſcentis ac condenſatæ; ſed & multis aliis in morbis talis ſe offert ſanguis, ac differunt ſanguis viſcoſus, tenax, & facilè grumeſcens, neque idem dicunt, eundemve ejus ſtatum.

Solent & ſanguinis è vena educti indolem tentare additis ſalibus, acidis illum condenſantibus, purpureumque cum nigredine commutantibus colorem, alcalinis verò & volatilibus & fixis illum floridum tenuemque reddentibus. In illationibus tamen ex talibus inſtitutis tentaminibus faciendis cautus eſto; rarò enim in ſanguine talia reperire eſt ſalia, enixo ordinariè in illo, ſi quæ prævaleat acrimonia, eminente.

Cum in morbis malignis, imò peſte in ſanguine ſæpè nullum appareat vitium externum, concludunt, cauſam malignitatis magis radicari in ſpiritibus, inque motu magis quàm materia; tu rectè forſan hinc inferas, nec in aliis affectibus ſanguini apparenter bono in diagnoſi eſſe fidendum, nec nimium metuendum fœdiorem ejus colorem & apparentiam; paucis, hoc ſigno ubique cum circumſpectione, combinatis aliis utendum.

Uri-

Urinam dicunt conſtitutionem ſanguinis, ſeri, ſaliumve in lympha contentorum, & primæ digeſtionis vitia patefacere; ſubintellige, quousque patefacere hæc aliqua veriſimilitudine poteſt; neque omnibus iſtis manifeſtandis ſufficere cenſenda eſt urina, nec latent quenquam mendacia impudentia Uromantarum, re utiliſſima abutentium.

Urinam aliam dicunt ipſius ventriculi, quæ ſtatim poſt cibum & potum excernitur, aliam ipſius ſanguinis, quæ tempore matutino mingitur, quamque ad inſpiciendum, judicandumque aptam cenſent, tanquam non obiter uti priorem ſanguinem quaſi præter vectam, ſed intimioribus ejus receſſibus ſub nocturna quiete in renum tubulis ſubducta.

Attendunt verò in urinæ inſpectione ad quantitatem, qualitatem, pondus, colorem, odorem, conſiſtentiam, contenta, eaque vel per ſe fundum petentia, vel adjectis aliis præcipitantibus, vocata quoque in ſubſidium nonnunquam exhalatione, aliisque tentaminibus probatoriis.

Quantitatem urinæ auctam ſeceſſionem ſeri à ſanguine, vel ſudorem ſuppreſſum, aut nimium potum indicat; adde & ſtricturas quasdam ſpasmodicas, & tendentiam ſeri ad vias urinarias certis temporibus, maximè in hypochondriacis, ubi tamen non ratò quoque quædam ſanguinis accedit fuſio.

Si urina in morbis acutis & malignis profluat tenuis, ſive copioſa ſive non, peſſimum meritò habetur ſignum; impuritatibus per ſolennem hanc viam ex ſanguine non eliminatis; imò ad caput raptis pravis humoribus, inde enim phrenitis, vel motus convulſivi ſolent imminere.

Urina pauca notare dicitur vel vias urinarias obſtructas, vel ſanguinis mixturam & circulum turbatum, vel ſeri effuſionem aliorſum factam, aliquando & ſtricturas tubulorum renalium ſpasmodicas, imò & eorum flacciditatem atque atoniam, aut ſeri nimis arctam cum ſanguine unionem, aut humidi in ſanguine defectum; turbatio mixturæ id ratius efficiet.

Sunt qui contenta urinæ ſalino - terreſtria fixa ratione quantitatis ſuæ manifeſtari cenſeant ipſo urinæ pondere ſpecifico variante, indagando hydroſtaticis inſtrumentis; Sit verò aliqua illa manifeſtatio, ſcopum tamen vix attinget, ſcias eſſe ponderoſiorem urinam, nihil inde colliges certi an ſal, an terra abundet, an terreſtris mucus ac viſcida pituita, vi cujus ipſius conſiſtentiæ ratione talis viſcida urina menſioni hydroſtatici inſtrumenti magis obſtabit ac reſiſtet; quanquam id alii moderni ad prognoſin potius referant explorationis genus conferendo urinas diverſorum morbi creſcentis, decreſcentisve ſtatuum.

Salium & contentorum in urina copiam ex ſapore, odore, & evaparatione inquiri novimus, quin & deſtillatione, capitisque mortui calcinatione; ubi tamen nemo non advertet, concluſiones inde cautè formandas, cum & iſtæ ignis violentæ actiones res non ſolum ſeparent, ſed & immutent; nec ſufficit noſſe præſentiam talis tartari in urina, quo nulla penitus deſtituitur, nec deſtitui debet, proportionem verò & reperire difficile eſt, & ſi repereris dubites an inde ad ſanguinem ejusque craſin liceat concludere, cum criticè forſan tum plus in urinam fuerit propulſum ex maſſa ſalis, quàm ipſius quævis portio proportionatè contineat.

A calore urinæ non ſemper ad caloris in ſanguine gradum licet concludere, cum & in maximo æſtu tenuis, limpidaque eſſe poſſit urina, cujus tamen color in febribus præcipuè optimum ordinariò indicium præbet, ſi maximè turbationis gradus, contenta, ſedimentaque conjungantur, probè verò rubedo urinæ flammeæ diſtinguenda à rubedine ex admixto ſubtiliter ſanguine oriunda, qualis in affectibus nephriticis, quin & hæmorrhoidalibus ad veſicam tendentibus non adeò infrequenter licet obſervare, ſi ſimus attenti.

Commune effatum eſt, Salia ſanguinis quo magis ſint inco-

incocta, & alcaliſata, ac fixiora, eo urinæ intenſiorem colorem conciliare, & quo pauciora adſint, illaque magis diluta à lymphaticis & aqueis, eò magis ad flavedinem, & diaphaneitatem inclinare urinam; Ubi tamen notandum, non ad Salia ſola in colore ſanguinis conſiderando eſſe reſpiciendum, ſed ad ſulphureum quoque cumprimis principium, colorum fontem; neque ſal urinæ ita fixum, ac lixivioſum concipiendum, cum enixum ſit, miræque varietatis; neque ſola ſeri præſentia ad colorem tollendum ſufficit.

Nec contrarium hic eſt, quod dicunt, urinam intensè rubentem protinus flaveſcere, & naturalem colorem acquirere, ſufficienter ſi fuerit aqua communi diluta; neque enim perpetuum erit experimentum, ob turbationem urinæ flammeæ in febribus celerem, utpote quæ contentis eſt ſaturata, & ſedimento ad fundum acto non amplius apparet flammea, ſed minus tincta, etiamſi ſal adhuc in urina ſolutum maneat.

Quando autem ſcriptores Semiotici monent, urinam rubram ſine febre notare ſcorbutum, & Salia copioſa terreſtria in lympha; ſimul reſpiciendum erit ad urinam hydropicorum huc quoque referendam, ſiquidem ita tincta ſit, quod non ſemper evenit; nec tamen præcisè in tali urina Sal copioſum terreſtre accuſandum tanquam tincturæ cauſa, quæ ſulphureum principium, ipſamque bilem agnoſcit non rarò originem ſine ſalium inſigni prædominio.

Tenuis, aquoſa, & limpida urina obſervatur in multis morbis, in chlorotici, hyſtericis, hypochondriacis, & nephriticis, hypochondriaci cumprimis talem per intervalla ſine incommodo experiuntur; in febribus acutis periculum indicat; in chronicis & intermittentibus dicitur indicare contumaciam morbi, & ſpasmodicam contractionem viſcerum & renum; quod aliquando non tamen ſemper ita evenit, imò poteſt talis & cum laxitate tubulorum conſiſtere, pertinaciam

verò morbi vel ideò indicabit, quod oſtendat heterogenea manere maſſæ ſanguineæ admixta nec excerni.

Coctionem, quam Veteres urinæ ſedimentum ritè dimittenti attribuebant, reipſa adhuc hodiè non poſſunt non agnoſcere, dicunt autem illam ſedimenti promptam depoſitionem in febribus præſagire materiam morboſam ſeu febrilem non adeò malignam, vel acrem, ac rebellem, ſed ſub involucres aliarum particularum fixarum eſſe mitigatam; adde & à ſanguine ultrò ac facilè ſecedentem, quæ ſi arctius maneret innexa ejus maſſæ nihil non grave periculoſumque minaretur.

Effatum tritiſſimum: Urina bona, pulſus bonus, & æger moritur; malignos, acutosque morbos reſpicit, ubi ſæpè cum inſigni graviorum ſymptomatum periculo limpida manet urina, ſanguine intimè turbato, nec tamen impuritates propellente foras ac dimittente; unde non delirium modò, ſed & phrenitidem, & convulſiones urinam talem prædicere experientia docet.

Craſſæ autem urinæ dicuntur indicare copiam viſcidorum humorum in ſanguine, & contra tenues & lividæ caloris nativi defectum, & pravam digeſtionem, ac ſpirituaſcentiam ſanguinis deficientem; nec tamen hæc perpetua eſſe vel hinc patet, quod poſſit craſſa urina eſſe ex turbatione licet in ſanguine viſcidi humores ultra modum non abundent, & teſte theſi præcedenti ſub calore ingenti tenuis quoque & livida dari urina.

Quò magis urinæ ſint oleaginoſæ, & pinguedinem habeant ſupernatantem, ſintque rubicundo colore tinctæ, eò majorem dicunt adeſſe ad corporis contabeſcentiam proclivitatem; neque tamen ſemper iſtæ urinæ ſunt tinctiores; neque idem dicunt oleaginoſæ qua conſiſtentiam, & innatante pinguedine obductæ, neque omnis ſemper innatans pinguedo indicat certam contabeſcentiam.

Urinæ arenas copioſas continentes dicuntur indicare renum

num calculum; notandum tamen, hunc ſæpe eſſe ſine ullo arenæ excretæ indicio, & hanc ſæpè excerni ſine calculi præſentia; ad hæc diſtinguendum inter arenas hypochondriacorum & nephriticorum, illæ licet ſæpe ſplendentes, nitentes, ac rubentes, & copioſæ calculum tamen non indicant, nec inter digitos tritæ reſiſtunt, ac largæ lateribus tamen matulæ affiguntur.

Urinæ quæ contineant viſcoſum album ſedimentum, indicare dicuntur veſicæ calculum; ſed præterquam quod in pueris etiam vermes indicent, nec veſicæ calculi certum præbent indicium, nec tales renum calculos non indicare dici poteſt, & quis horum nexum ignorat, cum nuclei veſicæ calculorum ex renibus deſcendant &c.

Urinæ, quæ pus, & ſanguinem continent, ulcus veſicæ, & renum, vel etiam mictum cruentum dicuntur patefacere; hic verò ſine pure eſt, variosque habet gradus, unde & puri ſanguis, ſi ulcus ſubſit, jungi poteſt; reſpiciendum tamen etiam ad proſtatarum ulcera, aliasque illarum viarum læſiones, & exulcerationes, imò & veſicæ hæmorrhoides, de quibus non deſunt quæ obſervari mereantur.

Quidam urinas fuſcas, nigras lethalia dicunt ſigna, alii verò cenſent eas non ſemper præſagire mortem, ſed utplurimum arguere colliquationem acidarum, terreſtrium, fixarum particularum, eſſeque melancholicis, ſcorbuticis, ac hypochondriacis familiares, ſi calore p. n. corripiantur.

Sint verò aliquot tales obſervationes, manent tamen illæ urinæ plerumque ſuſpectæ, nec ſufficit allegare colliquationem illam acidarum partium, quæ talem per ſe colorem non inferunt urinæ, notant ſanè pravitatem & deſciſcentiam humorum inſignem; aliquando tamen & tales à ſanguine admixto feculento tinguntur, ut patet illo ſubſidente.

Urinæ turbidæ, & gelatinoſæ emiſſæ ſignificare dicuntur copiam terreſtrium, viſcidarum particularum

in ſanguine, quæ ætheri non innatent, vel ejus motui non obſecundent; æquo jure laxitatem tubulorum renalium arguunt tales, nec præcisè viſcidarum partium in ſanguine copiam demonſtrant; neque æther Carteſianus huc quicquam confert, cui nullæ innatant ſanguinis particulæ, nec poſſunt innatare.

Ex urina plurima vano auſu & dicuntur & prædicuntur. Hinc meritò falſum judicatur indicium ex urina de certitudine imprægnationis, & certi cujusdam viſceris labe; utut in caſibus ſpecialibus ſæpe etiam in ſimilibus rebus multum lucis afferre poſſit urinæ attentior, crebriorque conſideratio.

Si quid ex odore urinæ velis judicare, reſpiciendum erit ad aſſumta, cum illa peregrinum ipſi frequenter odorem imprimant, uti ab allio, aſparagis, cepis fœtidam urinam, è contra à nuciſta copioſius ſumta, oleo terebinthinæ, ſuccini, juniperi, gratiorem, ac violaceum ſubinde odorem acquirere paſſim legimus obſervatum.

Cum tot paſſim incertitudines circa hæc ſigna obveniant, eò quidam progrediuntur, ut aſſerant, pulſum & urinam infida morborum ſigna eſſe, & ex iis ſolis morbum judicari nec poſſe nec debere; quod ultimum uti rectiſſimè dictum putes, ita tamen ſigna illa utraque adeò infida non erunt ſi cum aliis combinentur, ac ſine præjudiciis ſedulò ad omnia attendatur. Nec nimium his tribui debet, nec nimis parum.

Salivæ inſpectionem, & examinationem ſecundum qualitatem multum facere cenſent ad indagandam digeſtionem ventriculi & inteſtinorum, nec non ſpirituum animalium motum; plus tamen forſan certiusque teſtabitur ſaliva de qualitate ac temperie ſanguinis, de diſpoſitione lymphæ, de craſi humorum & glandularum, de gradibus acrimoniæ humorum, & cacochymiæ &c. neque illa adeò commodè de ſpiritibus & eorum motu teſtabitur; nec directè de digeſtione paucam, ſpumo-

moſam, albam ſalivam denotare inquiunt efferatum ac impetuoſum Spirituum animalium motum, corporisque incaleſcentiam ; cæteris ſcilicet paribus, neque enim directè parcitas, ſpumoſitasve ſalivæ quævis teſtabitur de Spirituum motu, imò nec de nimia illa corporis atque intima incaleſcentia.

Salivam autem tenacem, viſcidam, calorem, ſitim, & æſtum ſanguinis p. n. indicare aſſerunt ; probè tamen cæteræ quoque attendendæ ſunt circumſtantiæ, eſt enim ubi & à pituitoſa, frigidaque diſpoſitione & torpore humorum tenax oriatur viſcidaque pituita ; incertus proin caloris index, niſi alia concurrant, ſitis verò ſe ipſum manifeſtat niſi mens laborer.

Ex effluxu ſalivæ copioſæ limpidæ concludunt præſentiam acidi, tranſpirationem impeditam, & depravatam ventriculi digeſtionem ; ſed & inferes inde in aliis caſibus abundantiam Lymphæ aquoſioris, tenuioris, minusque gelatinoſæ, glandulas ſalivales magis juſto patulas, ſeri extraordinariam quandam fuſionem, aut ad has partes metaſtaſin.

Salivæ autem ſalia & contenta inquirunt deſtillatione, & putrefactione ; neutra forſan via ſcopo ſatisfacit, neutra genuina ejus proximaque & immutata detegit offertque, elementa, neque inde firmiter concludes quod inquiris, vel deſideras, ſtatum ſcilicet lymphæ, ſanguinis, ventriculi &c.

Neque forſan illi majori potiuntur evidentia, qui antliam pneumaticam in ſubſidium vocant, ſalivamque immittunt in recipiens, ejus mutationes factas ſub extractione aëris obſervaturi, hinc enim ejus colligunt ſpirituaſcentiam & vigorem, argumento haud admodùm firmo, qui enim ex ſaliva ſe extricat aër, eamque attollit in ſpumam nec ſpiritus eſt, nec ſpirituaſcentiæ validum argumentum, ſalivæ gelatinoſitate & aëre intertexto variis hîc phænomenis incertis inſtabilibusque mirè & ſine certitudine ludentibus.

Cap. II.

Cap. II.

DE SIGNIS ET DIFFERENTIIS MORBORUM ESSENTIALIBUS.

NOn ſemper liquet in principio febrium atque acceſſu primo, continua ne an intermittens illa ſit futura; continuæ viſæ ſæpè transeunt in intermittentes, & quæ mentiri videbantur intermittentes evadunt ſubdola mutatione continuæ.

Certior res evadit ſi intermiſſionem paroxyſmi & apyrexiam liceat obſervare, febri intermittente præcipuè tum graſſante, ſi frigus & horror, cum ſubſequente calore p. n. dolore dorſi, anxietate præcordiorum, pulſu celeti, urina rubicunda, quæ tamen mirè pro individuorum ratione variare poſſunt ac ſolent, & pro graſſantis diverſo tempore mali indole.

Febris tertiana ſe prodit acceſſu diebus álternis, urina flammea, frigore, horrore, cæterisque Symptomatibus modò memoratis, & aliis quoque cephalalgia, artuum dolore, ſiti intenſa, apyrexias die &c.

In tertiana duplici omni die recurrit paroxyſmus, ſed non idem & tempore, & gradu intenſionis ac Symptomatum, hinc alii malunt duas vocare tertianas, diebus & paroxyſmis ita diſtinctè ſibi reſpondentibus; alii duplicem & duas putant ab invicem diſtinguendas.

Tertianam notham ſunt qui dicant, quando urina non tām flammea eſt, & craſſa, nec calor corporis tam intenſus, quæ tamen ſoleat diutius durare quàm exquiſita, quam ſeptem circuitibus terminari per ſe ac ceſſare vulgatum eſt; duratio autem multum pendet à methodo qua ipſi itur obviam, & à remediis.

Quar-

Quartanæ febres, quæ duas habent apyrexias dies, magis dicuntur invadere cum pandiculationibus oſcitationibus, rigore, pulſu inæquali, & horis pomeridianis; quanquam & iſta omnia in tertianis æque obſerventur; reliquæ potius circumſtantiæ, ipſumque intervalli tempus ſatis eas diſtinguunt, variant enim & illæ qua Symptomata & gradus.

Indicia malignitatis tam in peſte, quam in febribus, & petechiis dicunt, ſubitaneum virium lapſum, ſyncopen frequentem, mentis ac ſenſuum turbationem, pulſum debilem & inæqualem, urinam ſanorum ſimilem, ſomnum nullum, variaque exanthemata, neque tamen illa indicia ſunt univerſalia; reſpice potiſſimum ad pejorem morbi, quàm ordinariò habere ſoleat, morem, & modum invadendi truculentiorem, decubitum graviorem, ut extra lectum degere nulla ratione æger poſſit, contagium, ſeu graſſationem, caſtrenſem indolem, aliaque graviora præter talis morbi morem Symptotomata.

Ajunt petechias differre à pulicum morſibus, dum hi in centro punctum, ſeu morſus veſtigium habeant, ſecundo petechiæ compreſſæ totæ evaneſcant, morſuum autem centra neutiquam, tertiò petechiæ rarò in facie conſpiciantur, & non tam amplæ ſint quàm morſus pulicum. Loquuntur verò quam maxime ſymptomata graviſſima juncta, graſſans malum & Epidemium, quæ dubitantem facile reddent certiorem.

Eademque ratione petechiæ à ſcorbuticis maculis diſtingui haud difficulter poterunt, neque enim his illa malignitatis Symptomata ſignaque junguntur, ac intenſa febris, ſubitusque virium lapſus; adde pruritum harum, differentiamque magnitudinis, coloris ac ruboris &c.

Febrium ſcorbuticarum ſigna dicuntur Symptomata ſcorbutica, artuum dolores diuturni, maculæ, urina ante febrem rubicunda. Non eſt tamen quod ſingularia quæramus harum

febrium ſigna, cum ſcorbuto omnis generis febres, poſſint ſupervenire; actusque crebro etiam aliis in febribus doleant &c.

Imminentium variolarum ſigna dicuntur, æſtus corporis maximus, cum pruritu cutis, rubore & tumore oculorum, dolore dorſi, ſomno inquieto, quandoque delirio improviſo, maximè illo tempore quo graſſantur. Et ſanè ſi malum ſit Epidemium ſtatim de illis cogitandum, proſpiciendumque, licet non videantur imminere, omnemque alium mentiantur morbum, neque enim eodem modò invadunt, nec iisdem Symptomatibus appropinquant, ſæpè præcedunt convulſivi motus, aliquando vomitus, dolores abdominis &c. non ſemper æſtus adeſt intenſus, qui ſæpè ſe occultat, ac tardius prorumpit, ipſa quoque variolarum eruptione ſæpè multum retardata; quanquam & mira varietate graduum, & malignitatis medico negotium ac difficultates faceſſant,

Variolæ differre dicuntur à morbillis, quod illæ pedetentim in tubercula creſcant, & in pus mutentur, hi autem paucos poſt dies inſenſibiliter evaneſcant; quanquam ſigna potius requiras non à terminatione morbi deſumpta; ſunt autem variolæ mox ſub preſſione digiti tangentis duræ, morbilli non eminent; licet ſint quoque qui in maculis non ſubſiſtant ſed elevantur quodammodò, exaſperent cutem, & tandem ſubtilium quaſi furfurum ſpecie decidant ſiccati; eſt & varius in illis malignitatis gradus, dantur enim morbilli æquè ac variolæ utriusque generis, benigni ac maligni, innumeris gradibus.

Signa peſtis dicuntur, virium totalis proſtratio, cum erumpentibus carbunculis, bubonibus, & intra paucos dies interitus, mala victûs ratione præparante humores, ira verò, terrore, metu, ac triſtitia ſpiritus ad recipiendum peſtis venenum diſponentibus; Signum verò potiſſimum eſt ipſa peſtis graſſatio, ſine qua rarò in principio poſſet cognoſci atrox malum, cum varias morborum mentiatur ſpecies, referatque ab ini-

initio; addendæ verò ſignis ſunt maculæ, petechiæ, ac ſtriæ tales, varii coloris, quæ ſe omnia ad necroſin partis hujusque vel ſeparationem vel mortem tendunt, ipſa verò ſymptomatum gravitas ſat ſigni eſt.

Funeſtum cumprimis ſignum notant, quando poſt eruptionem carbunculi, vel bubonis Diarthœæ, vomitus, aliaque gravia ſymptomata adhuc continuent, vel petechiæ nigræ miſceantur, quæ ſcilicet ſphacelum jam adeſſe & humorum necroſin apertè teſtantur.

Febris lentæ ſeu hecticæ ſigna allegant, calorem ardentem maximè poſt partum, & tempore veſpertino, cum pulſu frequenti, ſiti, debilitate, & conſumptione corporis, ſudore copioſo, urina pinguedinoſa & rubicunda; notandum tamen ipſum diſcrimen hecticæ, & lentæ tabificæ febris, etiam in ſignis inferre diverſitatem, cum illa pulmonum, aliusve viſceris ulcus ſupponat; ipſorumque ſudorum, maximè nocturnorum non ſit eadem ratio.

Febrem lentam quam vocant ex ventriculo dignoſci ſtatuunt, quando poſt febres malè curatas & ſuppreſſas, calor lentus, debilitas, ſomnus turbatus, ſudor copioſus, pulſusque frequens ſit; notandum verò febribus ſæpè etiam ſi non ſuppreſſis vel ineptè curatis ex ipſa ægri debilitata jam ante diſpoſitione tales poſſe ſuccedere; nec quivis copioſior talem indicat ſudor, ſed nocturnus maximè, debilitans, circa mediam noctem potius, quàm manè erumpens.

Hecticam verò propriè dictam cum viſcerum corruptela junctam comitari dicunt, reſpirationis difficultatem, tuſſim, dolorem, ardorem, internam, & externam refrigerationem, pulſumque ſemper frequentem. Ipſa verò dyſpnœa, tuſſis, ſputi, febriculæ junctæ hujusque exacerbationis, ac nocturni ſudoris ratio ac gradus, cæteræque circumſtantiæ ſpecialius docent ubi ſit exulceratio, ſique in pulmonibus illa exiſtat, an

liberum depaſcensque, an concluſum obſeptumque tunicis ulcus ſit, an verò vomicis veſiculoſum parenchyma occupatum ſit; unde & ad hæmoptœn vel prægreſſam, vel junctam, vel abſentem reſpiciendum &c.

Sanguinis impuritas latè ſe extendit, ac generali admodum loquendi modo dicitur, ſe que immiſcet ferè omnibus morbis chronicis, & pro diverſitate temperamentorum & partium affectarum varias induit formas. Sunt verò innumeri impuritatum varietates, & gradus, vel genitarum in corpore per domeſticam ſanguinis deſciſcentiam, vel aliunde illatarum; nec chronicis ſolùm illæ morbis, ſed & acutis nunquam non immiſceri compertum eſt, utrinque enim pravi, crudi, impuriique humores ſuas ludunt fabulas, pro varia qualitatum excedentium & eminentium ratione.

Scorbutum indicare dicuntur, dolores, & contractiones ſpasmodicæ partium fixæ vel vagæ, exulcerationes graves gingivarum putreſcentia, hæmorrhagiæ, urina ſaturatè rubicunda, maculæ lividæ crurum. Ac probè combinanda erunt ſigna, cum ſine ſcorbuto dolores & ſtricturæ partium, imò & exulcerationes, & hæmorrhagiæ tam frequenter eveniant; ac nimis forſan facilè ac frequenter ad ſcorbutum recurratur à nonnullis; neque enim omnis humorum acrimonia, nervorumque laceſſitorum ſtatus ſcorbuticus eſt.

Veneream luem manifeſtari ajunt ex laſſitudine corporis, dolore fixo & diuturno tam capitis quam aliarum partium tempore maxime nocturno, ex fungis & excreſcentiis oſſeis, ulceribus, carie oſſium palati & faucium, puſtulis putrilaginoſis in capite & partibus genitalibus, caruncuſis, & difficiliori horum ſymptomatum curatione. Eſt verò & hîc magna caſuum varietas, ac Symptomatum, quæ diverſis modis idem venenum magis minusve radicatum indicant, prout gonorrhœa, vel fluens, vel ſuppreſſa, magis vel minus maligna, ulcera, bubones &c. malum vel in principio, vel in ἀκμῇ eſt. In-

Inflammationis notæ perhibentur dolor, rubor, ardor, tumor, pulsatio arteriolarum in parte affecta, & febricula; quæ tamen non omnia in omni inflammatione concurrunt, dantur enim & leviores & erysipelaceæ inflammationes sine tanto ardore, tumore, dolore &c. qui verò in graviori adest inflammatione pulsatorius dolor à fermentante potius, turgentequè sanguine fibras nerveas tendente oritur, quam ab arteriolarum pulsatione, quæ tam violenta non esset.

Pleuritidis signa, si maximè illa epidemicè illo tempore grassetur facilia sunt detectu si omnia rectè succedant, solet verò illius etiam principium subinde esse valdè occultum & tectum, donec plenè malos suos exerat mores, non dolore solùm lateris acuto (qui aliquando varia sua forma eò magis decipit, quò frequentiores sunt etiam alii lateris, nec tamen inflammatorii & suppuratorii dolores) cum tussi vel ex ipsa doloris ratione molestissima, respiratione difficili, sanguinis sputo, ac puris dehinc, & continua, sæpè admodùm maligna febri; si præcordiorum * totiusque pectoris adsit gravitas spiritus difficultas & magna febris, cum metu suffocationis affectum illum peripneumoniam vocant.

Tonsillarum tumorem, quem alii spuriam vocant anginam, inflammationemque, & inspectio, & calor febrisque plerumque juncta catarrhalis indicat, & deglutitionis difficultas inde nata; patetque facilè quod ab angina exquisita differat, quod in hac intensior longè acutiorque sit febris, & respirationis ac deglutitionis major difficultas, licet tumor non semper æquè fuerit magnus.

Gangrænam fieri dicunt, quando inflammatio in intensissimo sit gradu; nisi rectius forsan dicas, eam sequi degenerante in gravius malum inflammatione, in qua scilicet sanguinis adhuc, licet tardior fiebat circulus, illo autem penitus ferè sublato, gravissimè increscit ardor stagnantis humoris, ac do-

lor tenſarum ſummè fibrillarum, donec, ſi non tollatur pertinax obſtaculum, ſciſcis quaſi fibris, tubulisque necroſis illorum & humorum & tubulorum ſeu ſphacelus ſuccedat, putrida ſine ſenſu parte ac emortua relicta, quæ paulò ante, fibrillis adhuc ſentientibus tantos ſenſerat dolores, ardoresque.

Polypum cordis, occultum ſatis malum, manifeſtare ajunt, reſpirationem difficilem, cordis palpitationem, ſyncopen frequentem, pulſum intermittentem, habitum corporis obeſum; quæ tamen ſigna exceptione majora vix erunt, cum & aliis adſint morbis; nec vetat quidquam quò minus non obeſus polypo laboret; dolendum tamen tam grave eſſe malum, ut detectum etiam ex indefeſſa ſignorum collatione curationem tamen reſpuat; quis enim tenacitatem illam lamellarum membranacearum remediis diſſolvat, abigatque ex anguſtiis illis psrtium antliæ vitalis? Syncopen ajunt fieri cum facie pallida, pulſu debili, vel planè intermittente aut ceſſante ad ſenſum, & frigore extremorum; adde & membrorum flacciditatem, ut ab affectibus ſpasmodicis evidentius eam diſtinguas.

Catarrhum ſuffocativum dicunt, quando ſumma adeſt anxietas in pectore cum ſpirandi difficultate, ſtertore, pectoris elevatione, pulſu inæquali, atque etiam intermittente, & expectoratione ſuppreſſa conjuncta utplurimum ſumma virium debilitate, diciturque quibusdam quaſi paralyſis pulmonum; quanquam minus accuratè; facilis tamen confuſio eſt cum aſtmate, cumprimis ſpasmodico, hinc ad circumſtantias probè attendendum; fit enim in hoc malo ſubito ſanguinis ſtaſis in pulmonum vaſculis, ut celeriter circulatio ſubſiſtere cogatur, qui obex niſi brevi amoveatur ſequitur preſſo pede ſuffocatio.

Suffocationem uteri monent cognoſci ex reſpiratione difficili, faucium ſtrangulatione, quaſi aliquid hæreret in faucibus, & ex ſenſu quaſi globi in abdomine oberrantis, ſyncope

pe &c. Cave tamen ne mali hujus varios confundas gradus, hyſtericam colicam, deliquia levia hyſterica, & graviora, item convulſiones hyſtericas, violentas æquè, ac tacitè quaſi deliquii more affligentes, unde & ad cauſas prægreſſas, menſes, imprægnationem &c. reſpiciendum.

Incubi ſigna ſatis manifeſta ſunt, cum præter ſubitaneam reſpirandi difficultatem, ſpiritumque cohibitum, in ſomno accidentem ſub decubitu in dorſo, adſit ſenſus non ſolum ponderis præcordiis incumbentis (quod & in aliis accidere queat aſthmaticis & ſpasmodicis morbis) & prementis, quaſi ſtrangulantis, ſed & perſuaſio de animali plerumque corpori incumbente cujus vel tetigiſſe pilos conſtanter expergefacti aſſerunt.

Renum inflammationem colliguunt ex calore & dolore pulſatorio gravativo lumborum, ſtupore cruris, febre vehementi, & mictione ardenti, ſi verò ſanguinea illa & purulenta ſit, indicare renum ulcus &c. hîc multis opus eſt cautelis; ſanguis ſæpe prodit ſine ulcere; ac ſæpè calculi tranſitus iſta producere valet ſymptomata, licet vera inflammatio renum nondum adſit, ſed levior ſanguinis aggeſtio, reſpiciendum ergò probè ad omnes circumſtantias, conſuetosque ægri morbos, ac mala prægreſſa &c.

Veſicam inflammatam oſtendere dicitur tenſio, durities, ardor, & dolor in regione veſicæ & pubis, urinam reddendi impotentia, teneſmus, febris, vigiliæ, delirium, alvi ſuppreſſio, &c. Calculus tamen iſta omnia ſine inflammatione actu præſente poteſt excitare ac producere, hinc combinatione & collatione ſignorum ſedula opus eſt.

Phrenitidem, ſeu inflammationem cerebri indicare dicitur delirium grave cum febre ardente, facie rubicunda, dolore interno capitis pulſatorio, urina alba; quæ tamen cautè conferenda, tale enim cum acuta febri delirium fieri poteſt

etiam

etiam cum furore, ſine vera & actuali cerebri inflammatione, hinc gradus probè perpendendi; nec phreneticus talis poteſt amplius diſtinctè teſtari de dolore interno capitis pulſatorio; urina verò limpida potius, claraque eſſe ſolet, quàm alba &c.

Ophthalmiam vel ſanguineam vel ſeroſam dicunt; illam vocant inflammationem tunicæ adnatæ cum rubore, ardore, dolore, tumore & lachrymis profluentibus; hanc verò, epiphoram quoque aliis dictam, continuam & copioſam lachrymarum ex oculo deſtillationem ajunt, conjunctam plus minus cum ejus dolore, morſu, ardore, rubore. Parva verò inter has differentia eſt, niſi quod aliquando major minorve inflammatio, vel ſolas palpebras vel bulbum ſimul oculi ejusque tunicam attingit adnatam, vel majori & acriore, vel minori dolore, fluentibus ſemper vel liquidioribus, vel ſanioſis ex carthis glandulisque humoribus ac lachrymis.

Ad quod quidam reſpicientes ophthalmiam diſtinguunt in veram & notham, bilioſam & ſeroſam, epidemicam & non epidemicam; in bilioſa ſupponentes oculum quaſi eryſipelate correptum, lachrymis acerrimis extillantibus, in ſeroſa glutinoſam magis, viſcidamque lympham lachrymalem efluere. Eſt ſcilicet idem quando alii inter calidam frigidioremque diſtinguunt cauſam, inter ſerum acrius, ac mitius, inter ſimplicem largioris ſeri fuſionem, & acrioris ſanguinis aggeſtionem, itidemque ſtillantes ſeri erodentis guttas; quæ quidem nunc criticè, nunc ſymptomaticè, imò & cum noxa fiunt ſæpe, ſuccreſcente ungue pelliculisque, & nubeculis oculorum &c.

Si hepar inflammetur, contingit vel in gibba parte, vel in concava, ſi in parte gibboſa, ajunt urgere magis ſymptomata pleuritidem mentientia, in concava magis ſymptomata ventriculi & inteſtinorum. Dubites tamen an illa partium ſtructurâ earundem, ſitu ſaltem variantium tam diverſa affectio

ctio poſſit obtinere, ubicunque fuerit illa inflammatio, erit illa graviſſima, & maligna, & quà ſymptomata moleſtiſſima, & nunquam non pleuritide gravior, acutior, ac periculoſior, ſi vera fuerit inflammatio viſceris ſanguine adeò abundantis.

Sunt verò talis inflammationis ſigna non ita obvia; ac diſtinguendum, omninò erit inter quandam ſanguinis aggeſtionem ac ſtaſin in vaſculis ejus ac inter inflammationem veram, inter hanc acutè contingentem, & lentam quandam hepatis quaſi à vomicis violationem tardioribus; quò forſan ſpectant quæ paſſim allegantur ſigna inflammationis hepatis, quando illam comitari dicuntur ſenſus ejus gravativus in dextro hypochondrio, cum dolore ſimul obſcuro & tenſivo, qui ſub ſuppuratione punctorius plus minusve evadere ſoleat, adeſſe dein febrem acutam & lentam, tuſſim ſiccam, difficultatem reſpirationis, decubitum in latere affecto difficilem; quæ quidem ad ſtrictè dictam acutamque inflammationem hepatis vix quadrant.

Sanguinem congrumatum & collectum in abdomine, præter vulnus penetrans imprimis probare dicitur, abdominis tumor, durities, reniſus, virium proſtratio, impedita reſpiratio; Sunt tamen & iſta ſigna non omninò certa, atque à flatibus, ſtictiſque ſpasmodicis ſimilia evenire poſſunt; nec ſemper vulnus adeſt externum, uti legimus de repleto ſanguine abdomine ex crepatura percuſſi graviter lienis ſine externa conſpicuave læſione.

Collectum in pectore & coagulatum ſanguinem indicare dicitur reſpirationis læſio, gravitas, ac pondus circa nothas coſtas, extremorum frigus, febris, & prægreſſa contuſio, vel caſus ab alto, aut vulnus in pectore; ubi & de Empyemate cogitandum ſeu pure ex pleuritico abſceſſu in pectoris cavum effuſo cum læſa ſummè reſpiratione, nec niſi paracentheſi thoracis educendo.

In capite & ſub cranio collectum ſanguinem grumoſum

monſtrare dicuntur, gravativus dolor, ſenſus pulſatorius, rubor faciei, oculi nonnihil lachrymantes, vomitus, ſanguinis per os, aures, vel nares exitus, mentis ſtupor, & antecedens valida contuſio aut percuſſio; omnia ſcilicet conferenda, cum ſæpe dubium ſit quid ſanguini, quid officulis ſeu feſtucis pungentibus, quid oſſis depreſſioni tribuendum ſit, ubi, & an trepanum applicari poſſit ac debeat, plerumque multum ſubeſt incerti.

Hæmorrhagiam ex plethora fieri perhibent, ſi evacuationes conſuetæ ſuppreſſæ, ſi victus plenus & ſpirituoſus fuerit aſſumptus, & Venæſectio diu intermiſſa, aliaque plethoræ adſint ſigna; quæ eò magis ſunt plerumque dubia ac incerta, quod ab orgaſmo ſanguinis etiam non nimii eadem oriri ſymptomata ſatis compertum ſit.

Dicuntur quidem Hæmorrhagiæ à turgeſcentia ſeu commotione, & inæquali circulo ſanguinis fieri poſt immoderatos animi affectus & inordinationes, ſpasmodicas contractiones, copioſo aſſumpto vino, item in variolis, morbillis, febribus &c. Sed notandum, non confundendam turgeſcentiam, ſanguinis, & ejus commotiones à circulo inæquali vel impedito, ac proin duplex quaſi turgeſcentia debet concipi, una ab impedimento circuli excitata humoribus lentius motis inteſtino motu magis turgentibus, imò à fibris irritatis magis pulſis, altera ab inteſtino partium motu, internoque ſanguinis elatere aucto, quem orgaſmum dicimus, qualis & ſine circuli obice frequenter ſanguini accidit &c.

Hæmorrhagia ex acrimonia ſeri eſſe dicitur, ſi ſigna ſcorbuti adſint, vel acria varia aſſumta, vel externè applicata; quanquam non omnia acrimonia ſcorbutica eſt, nec ſcorbutus ubi acrimonia, nec cum hæc hæmorrhagiæ cauſa eſt, hæc ideò dicenda erit ſcorbutica; acrimonia eſt genus, cujus ſpecies eſt acrimonia ſcorbutica, uni præ alia regione endemicè familiaris ac frequens.

Hæ-

Hæmorrhagiæ à circulo ſanguinis & lymphæ impedito fieri ajunt, quando ſcirrhoſæ adſunt viſcerum conſtitutiones, hypochondriorum tenſiones, ac flatulentiæ, uti fit in hydrope, affectu hypochondriaco &c. hæ verò vel ab acrimonia ſanguinis, vel ab orgaſmo, vel à fuſione cachectica ac vappeſcente potius oriundæ ex ſuis ſignis innoteſcunt; quanquam & ſpasmodicæ, & flatulentæ tenſiones, & ſcirrhoſi humorum obices aggeſtiones ſanguinis formare ac dehinc eruptiones vaſculorum ruptione efficere ſoleant.

Imminentem narium hæmorrhagiam indicare perhibent, dolorem capitis & cervicis, rubedo oculorum, pulſus arteriarum, pruritus narium, irritatio in interiore nare. Quæ pro cauſarum varietate variant, ſunt enim qui certis indiciis præſciunt hæmorrhagiæ adventum, aliis ſine ullo indicio præcedente ſubitò evenit ac prorumpit.

Menſes inſtantes patefacere lumborum, femorum, & regionis epigaſtriæ tenſionem, gravitatem, æſtum, tempus conſuetum, pulſum auctum, & nimiam laxitatem, humiditatemque genitalium &c. aſſerunt, ſed vel hinc conſtabit, quam non ſufficiant præcepta librorum Semiotica, quantumque ſit relinquendum experientiæ ac praxi; quàm enim hæc varient palàm eſt.

Hæmorrhoidalem fluxum cognoſci ferunt, cum absque fecum excretione etiam ſanguis ſincerus ſtillat, ſine dolore abdominis, ſed cum tumore ac dolore hæmorrhoidum, & teneſmo; quæ mirè etiam variant; multis enim ſine dolore, & nonniſi cum fecibus fluunt excretis, aliis ſecus; dolor enim ſæpè intenſiſſimus eſt, maximè tamen ſi non fluant ſed cæcæ tumentesque meneant.

Hæmoptyſin ajunt à ſanguinis ſputo differre, dum illa cum tuſſi ſicca, reſpiratione difficili, & impetu fiat, ſanguisque floridus ſit & copioſus, ſputum autem cruentum ma-

gis fiat ſcreatu, & tempore nocturno, vel matutino, & ſanguis magis obſcurè rubicundus, qui ex faucibus læſis ortum ſuum ducat.

Sed voces illæ promiſcuè ſumuntur, unde duplex erit ſputum cruentum; vel ſine tuſſi, imò & ſine læſione faucium ulla, ſanguine noctu ex narium anguſtiis ad fauces confluente tem, ac tale ſputum non attenditur; aliud verò eſt cum tuſſi, vel ſaltem tuſſicula, quod etiam poteſt manè exſpui, & quidem obſcuro colore, imò & partim tingens reliquum ſputum ſtriisque ſaltem inficiens, interim tamen ex bronchiis aſcendit, eſtque fructus plerumque vomicæ alicujus occultæ, citius aut tardius erumpentis.

Tale tamen ſputum cruentum eſt vera hæmoptoe, ſeu hæmoptiſis, æquè ac illa quæ oritur copioſior, magis vel minus, ex vaſculis in bronchiis, pulmonibusve ruptis, ac floridiorem tuſſiendo ejicit ſanguinem, ſuis triſtibus indiciis ſatis manifeſtum, & nî in tempore ſuccurratur, ſiquidem ſuccuri poſſit, metum meritò phthiſeos ſubſecuturæ incutit.

Sanguis, qui ex ventriculi & inteſtinorum vaſis prorumpit, dicitur plerumque excerni nigricans per alvum; ſed ſæpè quoque per vomitum ejici, etiam valde copioſum, ita tamen ut etiam per inferiora pars quædam dejiciatur, experientia cruenti vomitûs non infrequens docet, & iſta excretio per ſe oculis patet, præcedit verò ſæpè ingens anxietas, terribilis cardialgia, pondus & compreſſio in ſtomachi regione.

Cap. III.

DE COGNOSCENDIS MORBIS EX LYMPHÆ VITIO, AC A SPIRITIBUS ANIMALIBUS ORIUNDIS.

PHthiſis pulmonalis dicitur cognoſci ex reſpiratione difficili, dolore fixo in latere ſiniſtro vel dextro, anhelitus fœtore

re, materiæ purulentæ ſanguineæ excretione, & corporis conſumptione, cum calore & pulſu frequenti p. n. maximè poſt paſtum. Utut verò nec dolor ſemper fixus in latere adſit, nec ſoli anhalitus competat fœtor, collata tamen omnia in unum certius indicant, de quo jam ſupra.

Imminentem quoque Phthiſin quando ajunt prænunciare, ſubſtantiæ carnoſæ conſumptionem, ſaporem ſalſum, & putridum cineream in ore, ſtimulum ad tuſſim, ſudorem nocturnum copioſum, corporis debilitatem, pectoris oppreſſionem; notabis, certiori indicio jungi, ſi præceſſerit, hæmoptœn vel parciorem, vel largiorem, ſputi rationem, tuſſis primùm ſiccitatem, ac ſudorem nocturnum non quemcunque ſed largiorem, & circa vel mox poſt mediam noctem ingruentem.

Quando autem leges Phthiſin ex obſtructione vaſorum, vitio ſtomachi & viſcerum ortam, diſtingui à pulmonali, ac cognoſci, quod materia purulenta non excernatur, nec reſpiratio difficilis, aut anhelitus fœtor adſit, ſed ſaltem conſumptio. & laſſitudo corporis; cum tuſſi, calore p. n. appetitu dejecto, ſudore copioſo &c. Nota, hanc eſſe non Phthiſin ſed febrem lentam tabificam, ſed & his quoque ſignis non ſatis circumſcriptam vel diſtinctam, quippe quæ nec dyſpnœa careat, nec ſæpe anhelitus fœtore, ſi qui non ſemper eſt ab ulcere pulmonum & in qua ſæpè ſatis viget æquè ac in Phthiſi appetitus; ſed & iſta inter ipſos noſſe ac diſtinguere ægros juvabit.

Lepram vel Græcorum, vel Arabum, Elephantiaſin, vocant, illam univerſalem dicunt, & inſtar ſquamarum piſcium ac furfurum decidere cruſtas, & profundius depaſcere carnem, difficulterque eſſe curabilem; Arabum autem eſſe particularem, quando v. g. pedes livido vel nigricante tumore cum varicibus & ulceribus corripiantur, & cutis tunc ſcabra, aſpera & rugoſa, inſtar Elephantum ſit.

Lepra hodiè tam frequens non eſt, reperitur tamen maligna talis, furfuracea, ac ſuis nota indiciis ſcabies ; ſunt tamen qui veterum lepram putent Luem Veneream de quo multa Guid. Patinus paſſim diſcernit.

Catarrhales acres defluxiones, coryzam, tuſſim, & dolores arthriticos prænunciare dicuntur appetitus auctus , gravitas & laſſitudo membrorum & corporis, horror, cum pulſu p. n. quæ quidem nec ſemper , nec his ſolis eveniunt , & præcedunt, ac alii ſanè ſunt prodromi dolorum arthriticorum, quàm tuſſis, vel coryzæ , nec iisdem illa imminere ſignis cognoſces , nimium iſta tamen quà individua variant , quam ut certi quid valeas ſtatuere.

Tuſſis ſtomachalis à pulmonali differre dicitur, quod in hac raucedo, & ſapor ſalſus ſit, cum reſpiratione difficili, ac pectoris gravitate, illa autem magis profunda, elangoſa, pèrtinax, cum ſpiratione facili, absque raucedine, & excretione. Ipſa verò hæc indicia docent , non facilem eſſe utriusque tuſſis diſtinctionem , cum utraque à difficili reſpiratione nunc ſit libera, nunc illi conjuncta, utraque nunc ſublatu facilis , nunc pertinax , nunc ſaporem ſalſum offerat linguæ, nunc non ; licet verò non primò mox obtutu diſtinguere has tuſſes queas , tamen ſigna in progreſſu ex circumſtantiis facilè ſuppetunt, ſi ad ſtatum ventriculi, ac pectoris reſpicias, imò & ad antecedentia , occaſionem , & juvantia , aut lædentia &c.

Calculum renum agnoſcunt & dolore lumborum fixo, cum vomitu , ſtupore crurum , & urina aquoſa arenacea ; ſæpè tamen hæc abeſt, & dolores quoque allegati certa ſigna non ſunt , aliis quippe etiam affectibus communia , nec indubitatò calculi in renibus præſentiam oſtendentia ; Hinc tanta ſæpè ac tam diuturna incertitudo. Excernuntur ſæpè arenu-

arenulæ & parvuli calculi, nec calculus hæret in pelvi vel rene, vel hoc præſente nihil ſuſpecti excernitur.

Unde & veſicæ calculum dubium eſſe magis adhuc mireris, quippe quem Cathetere quàm certiſſimme detegendum putes; cætera enim ſigna pariter laborent incertitudine, difficilis ſcil. urinæ excretio, dolor, pruritus, ac pondus in pube, teneſmus, urina gelatinoſa, mucilaginoſa, quæque alia ſolent ab authoribus allegari.

Gonorrhœam benignam à purulenta ac virulenta eo dicunt diſtingui, quod in hac materia putrida, fœtida, vario colore tincta ſit, & major corporis debilitas, in illa autem leniora ſymptomata adſint. Æger ſi errores fateretur optimò Medicum incertum extricaret, niſi enim originem agnoſcat, poterit decipi, cum & in principio & progreſſu ipſius virulentæ gonorrhœæ non levis intercedat inter fluentem ſaniem differentia, nec ſemper æquè vires vacillent, aut imminuantur, clarius verò adjuncta teſtantur, ſi adſint, aut permittatur inſpectio, bubones, ulcuſcula glandis &c. membri dolorifici intumeſcentia cum incurvatione violenta &c.

Anaſarca ab aſcite diſtinguitur, quod in illa tumor totius corporis ſit æqualis, urina flava, vel ſaltem non multum tincta, calor imbecillis, œdematoſa ubique diſpoſitio; In aſcire verò partes ſuperiores marceſcunt, cum inferiorum tumore, urina pauca, ac rubente, craſſa; cum calore ac pulſu intenſiore ac ſpirandi, ingenti ſæpe difficultate, ſenſuque nonnunquam fluctuationis in abdomine; In Tympanitide verò major abdominis duriorve tenſio, ſiccior cachexiæ ſpecies, ſanguinis vappeſcentia, & extenuatio corpotis obſervatur.

Hydropem ajunt ex febribus intermittentibus chronicis, malè tractatis, & ſpeciatim ex quartana diuturna, ex aſthmate humoroſo, vel convulſivo, item ex vitio

renum

renum vel viſcerum, ictero, ac ſanguine p. n. excreto, vel ſuppreſſo in menſibus, & hæmorrhoidibus frequentiſſimum eſſe; hinc facilè poſt vomitum cruentum tympanites, ex nimiis hæmorrhagiis aſcites, non æquè ex aſthmate, quod non eſt cauſa aſcitis, ſed effectus ejusdem cauſæ, à febri ortus hydrops facilius curatur, niſi qui nimia jam Cachexia adſit, vel viſcera graviter laborent; non enim ſemper ex mala tractatione transeunt in hydropem.

Diſputari quoque audias, quî Hydropica differat, ac diſcernenda ſit à gravida, eò verò colorem faciei referunt, & oculorum vividum, fluctuationem & lapſum aquarum, quod non fiat in geſtatione, ſitim quæ hydropi juncta eſt, in imprægnatione autem deſit, ex tumore corpus gravante, qualis in graviditate non ſit. In plerisque caſibus facile erit iſtos tumores diſcernere, niſi gravida ſit cacochymica ſimul, & quod ſæpe contingit, cachexiæ multa prodat indicia, oſtendetque quo caſu res dubia erit, exſpectandumque donec fœtus commotio decidat, quod in his caſibus ſignum eſt præ aliis evidens ac ſi cautè adhibeatur, omnem litem controverſiamque dirimens.

Cachexiæ ſigna dicuntur, corporis à nativo colore in pallidum, humidum, flaccidum, & ſubtumidum, degeneratio, crurum & univerſi corporis laſſitudo, ac anxioſus præcordiorum dolor, difficilis reſpiratio, urina cruda, pulſus inæqualis, & debilis, lenta febris; ſique ulcera, ſcabies, dolores, ac ſpasmodicæ contractiones jungantur cachexiam dicunt ſcorbuticam. Notandum tamen non omni iſta omnia cachexiæ adeſſe; ac ſummum præcipuè hic notari gradum, difficilius erit utiliusque noſſe malum in radicibus adhuc hærens, gliſcensque in principiis cacochymicis, ubi vitia digeſtionis, & excretionum variarum, corporis vires imminutæ, viſciditas humorum, quædam ſæpè œdematoſæ tumeſcentiæ

tiæ veſtigia imminere tantum malum docere te ac monere poterunt.

Signa apoplexiæ dicunt omnium ſenſuum tam externorum quam internorum abolitionem, faciem rubicundam, & pulſum adhuc ſalvum; nec tamen rubicunda facies perpetua erit, cum maximè inter ſanguineam & pituitoſam apoplexiam diſtinguatur, nec negligandus ſit ſtertor, reſpirationis modus, atque ipſa invadendi ratio.

Paralyſin, quæ apoplexiam ſequitur, & ex cerebro vel ſpinali medulla læſa & nervis oritur dicunt paraplegiam, ac ſi unum ſaltem tetigerit latus, hemiplegiam, ſenſumque partis ac motum perire ajunt. Quod tamen cautius aſſerendum, cum utut de motu res ſit evidens, omnem tamen ſemper ſenſum partibus adimi experientiæ refragatur, neque idem ſemper eſt obſtructionis nervorum gradus, nec plenaria omnium ſpirituum excluſio.

Unde nec ſatis à Paralyſi Pareſin diſtinxeris, ſi dicas in hac remanere aliquem ſenſum, qui nec in illa ſemper omnis aboletur, nec diſtinctio ſufficit quæ allegatur, in paralyſi affici cerebrum ac nervos, in pareſi magis muſculos & tendines, ſanè in utroque nervi graviter affliguntur obſtruunturque, nec niſi per horum obſtructionum tendines, muſculique patiuntur, hinc & eadem colica ſpasmodica, quæ perversè purgantibus tractata, vel vino irritata, vel affectibus animi efferata, convulſivos quoque motus, & quandoque guttam ſerenam poſt ſe trahit; fumi enim ſaturnini, & moleculæ etiam ſaturninæ non in muſculos ſolum & tendines agunt, & ſed imò potiſſimum in nervos eorumque plexus.

Lethargum dicunt manifeſtari ſomno profundo, delirio, febre; Carum ſopore profundo cum ſtertore, ut ægri excitari difficillimè poſſint; obſervata poſt paroxyſmum memoriæ depravatione. Verum in ipſo paroxyſmo memoriæ quaſi ab-

olitio inter præcipua ſigna habetur, cum ægri expergefacti tantillum, vel potum poſcunt, vel matulam, vel aliud quid, mox autem ſe popoſciſſe ignorant, nec recordantur, etiam moniti; cætera circumſtantiæ ſatis declarant, & ſi tantus tandem gradus, progreſſusque ad carum fiat in limine apoplexiæ conſtituti ſunt, imò non dubites iſta ſubinde confundi.

In Catalepſi inquiunt ſenſuum tam internorum, quam externorum eſſe abolitionem pulſu integro, oculis apertis, & quaſi torvum videntibus, & quod affectus in illa poſitura æger membra rigida relinquat, in qua ipſa deprehenderit. De rigiditate tamen non omnes conſentiunt obſervatores, qui annotarunt, ſitum quidem ſervare membra quem habuerint, ſed facilè vi externæ obtemperantia, ductiliaque in alium ſitum, quem itidem retineant, rurſus mutandum nulla obſtante rigiditate, quæ tamen forſan pro caſuum varietate variant, ut ſit aliquando rigiditas ductilis quaſi, aliquanda refractaria & magis convulſiva ac contumax.

Unde & Catalepſin vocant vel graviorem, vel leviorem, leviorem fieri per paroxyſmos breves, & poſt finitos paroxyſmos ægros varia narrare, quæ viderint; in graviori autem paroxyſmos eſſe longiores, hosque nihil ſcire quod in paroxyſmo cogitaverint; & infrequentiores forſan illi qui recordentur eorum quæ in paroxyſmo cogitaverint, ac frequentius tales ſpectabunt ad hyſtericarum claſſem, nec ecſtatici cum Catalepticis confundendi.

Vertigo ſæpiſſimè oritur è ventriculo, ejusque indicium dicunt, ſi jejunium ferre nequeant, ſi in hypochondriis flatus ſint, & ſpasmos ibi patiantur ægri; poterit tamen etiam ſine his ſignis eſſe à ventriculo, ſpiritibus occultiori modo & ſine tam evidentibus primarum viarum turbis & debilitatibus hinc affectis.

Gravior tamen Idiopathiça eſt vertigo, domeſtica ſpiri-

tuum

tuum debilitate, & confuſione eveniens, ſæpe tamen utrumque & idiopathicum & deuteropathicum malum conjungitur, Spiritus jam in ſe tenerioribus ac debilioribus eò facilius à ventriculi atque hypochondriorum erroribus turbandis; qui ſi gravius turbentur graviorem cum metu prolapſus, imò cum prolapſu ni caveatur ſequente, vertiginem efficiunt ac patiuntur, facilè in Epilepticos motus transeuntem, vel & in apoplexiam, aliaque ſimilia mala &c.

Signa Melancholiæ allegant mœſtitiam, & timorem ſine cauſa, cum anxietate animi, cogitatione fixa & forti circa aliquam rem, & ſomno turbulento, pauco, deſperatione, quodque pejus ſe habeant tempeſtate obſcura & humida, nimisque ſicca. Iſta quidem in mali ἀκμῇ evidentia ſint, ſed in detegendis mali initiis, atque obſcuris adhuc radicibus major occurrit difficultas cum maximè circa pauca ſaltem, imò unum errent objectum, illudque magis pectori infixum gerunt; præprimis ſi attendas ad differentiam, quâ alia in hypochondriis ſedem radicemque habet.

Melancholia ſcilicet ex hypochondriis tum judicatur nata, cum ſigna hypochondriaci adſunt mali; ſed occultum ſæpe malum eſt, gliſcens ubi illius ſigna affectus ſe non produnt, vel cum illius non niſi principia quædam jacta ſunt; ecquis enim gradus hujus protei innumeros ignoret; utrinque igitur cautelis opus eſt, & cognoſcendi quaſi per inſidias mali fontes atque indoles, quod ex converſatione Medico experto non erit difficile, neque enim præcepta facilè, ſignave ſufficientia dederis & adæquata.

Maniam cognoſcunt ex delirio ſine febre conjuncto cum furore, viribus plusquam humanis, vociferatione, ſomno pauco, pudore depoſito, dilaceratione veſtium. Et iſta quidem in gradu ſummo ac eminenti, aliàs ſæpè mirè innectitur melancholiæ, ſuntque utriusque notabiles plerumque viciſſitudines, ut mire-

ris tam ſubitò à ferocibus tum ſubitò evadere Spiritus meticuloſos, dejectosque; ſemper in mania auctæ ſunt vires, ſed non ſemper plus quam humanæ, nec eadem omnibus ferocia, nec perpetua, quin potius ſubdola ſæpè affabilitas, in furorem ſubitò eruptura &c.

Cephalalgiam & vehementem & diuturnam ac quandoque periodicam Cephalæam dicunt, hemicraniam ſi dimidiam capitis occupet partem, pariter ſæpè periodicam ac per intervalla affligentem; uti & clavum, fixum in una capitis parte dolorem; quivis iſtorum dolorum iſtis ſe prodit circumſtantiis.

Cephalalgiam aliam novimus derivari à cauſa frigida, ubi dolorem adeſſe ſupponunt gravativum faciem pallidam, cum frigore, pulſu tardo; in calida autem adeſſe calorem & ruborem faciei, & fervere ſanguinem, pulſumque eſſe vehementem & celerem; ſanguinis temperies indolem cauſæ detegit, cave tamen ne in illa diſcernenda fallaris, nec enim iſta ſemper tam evidenter adſunt, nec ſemper in frigida cauſa pallor faciei, nec in calida tubor & externè advertendus calor eſt; ac poteſt ſtagnatio quædam non adeò calidi ſanguinis calidam mentiri cauſam, cum maximè Cephalalgia frequenter nec ab una directè nec ab altera, ſed à primarum viarum pendeat cruditatibus ac impuritatibus.

Cephalalgia ſæpe in externis capitis reſidet integumentis, & tum levari eam conſtrictione capitis ajunt, ac dolore aliquando etiam è contrario ad tactum; aliquando verò in interiori capite ac cerebri membranis hærere dolorem, concludunt ex tinnitu aurium, vertigine; quod tamen alii ex ipſa malunt doloris ratione ac gradu agnoſcere, cum nec vertigo vel ſatis vel ſemper id doceat, nec tinnitus aurium ſoli interno dolori poſſit adſcribi, cum & externus turbare ac commovere internum auris aërem poſſit.

Arthritidem calidam dicunt, cum paroxyſmus ſit brevior,

vior, acerbior, calorque ac rubor manifeſtior; à frigida verò cauſa, cum tumor magis adſit œdematoſus, cum nullo vel levi ſaltem rubore, pulſu tardo & paroxyſmo longiori; quod etiam obtineat circa alios omnes dolores, nec dubium eſt eſſe gradus caloris in morbis ac doloribus, licet non ſemper iſta ita ſint manifeſta, & in frigida quoque cauſa ſtaſis calorem poſſit excitare inſignem.

Arthritidis & Rheumatiſmi differentiam non eandem omnes conſtituunt, quidam illam morbum ætatis dicunt, hunc non: illam magis hæreditariam; hunc epidemicum, illam pertinacem, revertentem hunc non; alii verò illam in articulis, hunc in partibus magis muſculoſis locant, locoque diſtinguunt.

Aſthma vel ſtomachale dicunt, ſi ſit à ſtomacho flatibus diſtento & infarcto, vel hypochondriacum & ſcorbuticum, ſi horum morborum adſint ſigna, vel hyſtericum, vel denique hydropicum, ſi hujusmodi affectibus conjungatur. Alii diſtinguunt id in ſpasmodicum, humoroſum, & flatulentum, ſuis quodque ſignis manifeſtum, cauſis tamen aliquando complicatis.

Alii ſic efferunt, ut aſthma vel humidum vocent, vel ſiccum ſeu convulſivum; Humidi ſigna dicunt, ſi magis ſit continuum, & reſpiratio cum ſonitu, profundo ſtertore, tuſſi, & pituitæ copioſæ excretione; ſic cum autem ſeu convulſivum, quando ſine notabili excretione per intervalla magis affligit, & comitatur, ſequiturve morbos ſpasmodicos, v. g. paſſionem hyſtericam, hypochondriacam, ſubluxationem vertebrarum, epilepſiam &c.

Verum nec deſunt aſthmata ſine expectoratione, quæ tamen ſpaſmodica non ſunt; nec ſemper ſpasmodica ſunt ſine excretione, cum ipſe ſæpe ſpasmus exprimat mucum; & poſſunt quandoque iſta combinari, concurrentibus maximè flatibus, ac diaphragma ſurſum urgentibus &c.

Eſt & Aſthma quod metallicum vocant, à copioſis ortum vaporibus ſaturninis, quod ſiccum quoque dicunt, ac fieri nerveis pulmonum tunicis; nî rectius accuſes nervos præcordiales laceſſitos, & in ſpasmum actos &c.

Iliacam paſſionem prodere ajunt alvum pertinaciter occluſam, inteſtinorum tenuium tormenta crudeliſſima, & nauſea, cum ſingultu & vomitu fœtido; quod ultimum obtinet in ἀκμῇ morbi, reliqua ſigna enim æquè in Colica ſpasmodica adſunt, quando verò iſte fœdus ſupervenit vomitus, vel & incarcerata hernia jungitur, ſignaque hujus inflammatæ, res manifeſta ſed & extrema eſt.

Non eſt ergò quod gravior colica pro iliaco ſtatim morbo habeatur, ſed omnia probè penſitanda, atque ad iſta reſpiciendum ſigna; colicæ enim facilius ibis obviam.

In diabete plus humidi dicitur excerni, quam fuerat aſſumptum, ſitis adeſſe, ac debilitas virium urina dulceſcens, dolores vagi, cum ſpasmis ſi malum gravius. Cave tamen ne largiorem mox urinam, & potûs quantitatem multum excedentem diabetem voces, cum & aliâs in hypochondriacis maxime tales eveniant ſeri fuſiones & excretiones largiores, aquoſæ & non ſalſæ urinæ ſine malo tam gravi, & quid evenit bibulis, & minerales aquas haurientibus?

In affectu hypochondriaco dicunt eſſe ſputum pituitoſum, ac copioſum, vomitum, ructus, flatus, & dolores tenſivi in ſiniſtro hypochondrio, reſpirationem difficilem, anguſtias præcordiorum, phlogoſes, alvi adſtrictionem, ſpasmos partium nervoſarum, ebullitiones ſive translationes ſanguinis p. n. ad caput urgentes.

Tam verò varius eſt affectus hypochondriacus, ut nec ſemper iſta habeat, nec ſola, nec deſcribi ſatis poſſit, ipſa tamen ſua ſingularitate facilè agnoſcendus, vel ex ipſis ægri

quere-

querelis ac genio, ab illo qui his in rebus expertus fuerit, noveritque periodos, exacerbationes, erroresque hypochondriacorum, ad quorum præprimis temperamenta reſpiciendum & vitæ genus, & conſuetudinem & priſtinos morbos &c.

In hyſterica paſſione allegant præfocationem faucium, difficultatem reſpirationis cum metu ſuffocationis, ſyncope, cardialgia, alvi adſtrictione, abdominis doloribus; ſed attendendum varietatem mali hyſterici diverſa quoque poſcere ſigna, aliquando; non ſemper dolor adeſt, nec ſemper illa dyſpnœa, aut ſuffocatio, ſtrangulatione, plerumque tamen ſpasmodici quid ſubeſt, ac præcipuè reſpiciendum ad uteri, menſiumque ſtatum &c.

Icterus ſuo ſe colore prodit, flavedine ſcil. cutis, etiam adnatæ tunicæ, urina grocea, quæ linteamina tingit, fecibus albis; præcordiorum anxietate & gravitate; ſæpe vomitus accedit, ſique color ille in lividum vel virideſcentem degenerat, icterus niger vocatur; utrumque formatum haud difficulter dignoſcas, ſed difficilius formandum ac gliſcentem, antequam ſcil. ſigna omnia adſint, ubi ad digeſtionem vitiatam, corporis laſſitudinem maximè reſpiciendum, cum etiam à febribus ac cacochymia non rarò flavus cuti color inducatur, qui tamen Icterus ideò dici non merebitur, qui ſæpe lento ſatis gradu producitur, aliâs utut rarius celerrimè corpori ſuffundendus, qui tamen & tollitur citius faciliusque, bile minus viſcida facilius attenuanda, diſcutienda, ac cum ſanguine ſuo priſtinovigori reſtituenda; cum lenta ſæpe vapidaque omnem reſpuat emendationem &c.

Cap.

Cap. IV.
DE PROGNOSI MEDICA.

NOn tam præceptis addiſcitur prudens ac circumſpecta prognoſis, quam ipſa experientia, ſedulaque ægrorum, eventuumque & omnia circa illos evenientium obſervatione, quæ impoſſibile eſt præceptis, certisque regulis ita comprehendere, ut diſcentes cum ad praxin acceſſerint, ſine hæſitatione inniti iis, ac ſecundum eas pronunciare ſecurè poſſint; variant enim iſta quà individua plusquam dici vel concipi poteſt ab iis qui rem inexperti aggrediuntur.

Cumque nihil æquè Medicum commendet aliis tanquam artis ſaluberrimè apprimè gnarum, quam formata prudenter prognoſis, ſeu judicium de futuro morbi decurſu, variationibus ac eventu; Cautè in re tam ardua ac difficili ſe gerat Medicus, cum temeraria, ineptaque prædictione & ſuam facilè lædat famam Medicus, & artem proſtituat tanquam incertam meritisque, & quaſi arbitrariis fundatam conjecturis.

Indicat ſcilicet prognoſis eventum morbi, atque omnia decurſûs tempora, variationes, commutationes, ac anomalias, quæ ſæpè ſubdolæ, intricatæ, ac prædictu nimium difficiles ſunt, ac facilè ſit hîc ſpecie quâdam melioris ſigni decipi atque in transverſum agi, ſive ratione longitudinis & brevitatis, ſive ratione ſolutionis morbi & operationis medicamentorum, ſive ratione ſalutis & mortis prædicendæ.

Sunt tamen generaliora quædam ita comparata ut evidentioribus quoque includi queant præceptis; quale e. g. eſt quod dicunt: Periculum in morbis eò eſſe gravius, quò temperies, & motus partium fluidarum naturalis magis ſit deſtructus; quo enim major horum deſtructio & receſſus à naturali

ſtatu

ſtatu, eò major, propriorque, ad necroſin acceſſus eſt, ſeu ad plenam putredinem, ſeu ad vappeſcentiam, vel totalem quamcunque craſeos deſtructionem.

Nec de inteſtino ſolùm hoc monent ſanguinis partium motu, ac de temperie, quorum quippe mutationes non ita prope accedunt & immediatè ad necroſin, ſed majori jure hoc judicant de circulatione ſanguinis, & mixtura ejus turbata, quo majores in utroque ſunt turbæ & receſſus à ſtatu naturali, eò majus periculum, ſumma enim Mixturæ ſanguinis turbatio eſt plena quaſi partium heterogenearum ſeceſſio, ſeu putredo, ac necroſis, ac ſi circulatio hujus fluidi ſit omninò in parte aliqua ſublata, ejus quoque mortificatio ac ſphacelus præſtò eſt, & conſequenter periculum ſummum, cujus plurimi ad illam vim ſummam ſunt gradus.

Virium defectus in omni morbo quò major eſt, eò periculoſiorem arguunt morbi ſtatum; nemine forſan contradicente; cogitabit tamen cautior Medicus ſæpè eos evadere, qui vix movere digitum præ ſumma valeant laſſitudine, nec attollere caput, iis majori cum periculo luctantibus, brevique obeuntibus, qui vel ſurgere adhuc atque obambulare audent, vel ſaltem ſe in lecto habent pro robuſtioribus, nec de ulla conqueruntur inſigni laſſitudine; cujus frequentia exempla videas, in malignis febribus, in dyſenteriis, imò & in inflammationibus internis nonnunquam &c.

Mens turbata cum febre peſſimum dicitur indicare ſtatum; ac ſæpiſſimè id verum eſt, minimè tamen perpetuum, cum & in ſimplicis tertianæ paroxyſmo aliquando turbetur mens in certis ſubjectis, & in graviſſimis malignisque febribus, etiam ad mortem tendentibus vix imò non turbetur &c.

Pulſum debilem, ſubitaneum virium defectum, turbationem mentis, ſyncopem, exanthematum eruptionem ſigna dicunt malignitatis; ſed nec iſta omnia, nec ſola, nec ſem-

per indicant malignitatem, cum & exanthemata ſine malignitate in morbillorum & variolarum tot ſpeciebus dentur, & ſæpe ſæviat malignitas mente non turbata, ac frequentiſſimè ſine ſyncope, nec debilis pulſus ad malignos reſtrictus eſt morbos.

Excreta quo magis recedant ratione quantitatis, vel qualitatis à naturali ſtatu eò pejori loco rem ægri eſſe dicunt. Quæ quidem valdè generalia ſunt, nec temerè cuivis individuo applicanda, vel ob ſolas excretiones criticas, quæ cum ad ſalutem tendant, ſæpè tamen & quantitate videntur nimium excedere, & qualitate à ſtatu naturali admodùm recedere, omnes igitur conferendæ ſunt circumſtantiæ.

Excretiones copioſæ illis in morbis, ubi ſerum laudabile deficit, ut in hectica, phthiſi, præſentiſſimum prædicere periculum cenſentur; quia totalem indicant humorum fuſionem, & vappeſcentem diſſolutionem, ac atoniam ſimul viſcerum, ac fibrarum totalem; cautè tamen pronuncies, ne aliquando criticam excretionem & quodam naturæ enitentis conatu factam pro formidanda tali dejectione intempeſtivè habens.

Omnis morbus, qui per intervalla recurrit, expers magis periculi dicitur, quam qui continuò urget; ſic enim novæ naturæ laboranti induciæ pro viribus denuò excitandis ſubminiſtrantur ut novo dehinc inſultui ſuſtinendo par ſit; cujus febres exempla miniſtrant, quæ etiam malignæ facilius feruntur ſi remittendo paroxyſmos exacerbationesque ſuas habeant, exemplo tertianæ malignæ &c.

Morborum recidivæ dicuntur eſſe ſemper periculoſiores ipſis morbis; cum jam per morbum ſint attritæ vires, novis nunc inſultibus non æquè pares; ac novæ turbæ profundius ſanguinem, ſpiritusque peſſundant, ac dejiciunt; neque tamen omnes tam pravæ ſunt recidivæ, quippe quæ in febribus frequentes facilè iterum ſubiguntur, ejiciunturque; aliorum

alia

alia ratio eſt morborum, qui Spiritus, fibrarumque cumprimis tonum aggrediuntur, quorum repetitio omninò periculoſior eſt.

In omnibus acutis morbis prædictiones ratione ſalutis & mortis admodum habentur meritò incertæ; ac requiritur multa Medici experientia, ſi quid hic certitudine velis pronunciare, imò ne ſic quidem tutum erit, ob animalias & protei formem quæ jungitur plerumque indolem, cautius hinc ſuſpenſaque pronunciandum gradu, imò ſæpe abſtinendum, neque enim vaticinari decet Medicum, nec quisquam id jure poſtulaverit, brevi decidente eventu, modò quæ ſuarum ſunt partium rectè agat convenienterque morbi genio Medicus, eventum Deo facilè committet.

Excretiones omnes ordinariæ ſuppreſſæ morbum futurum prænunciare dicuntur; ſi ſcilicet ſuppreſſio nimis diu duraverit, atque obſtinata fuerit; aliâs namqua & hæc regula ſuas habet exceptiones, ut nec deſint mulieres quæ ſine morbo ſequente ſuppreſſa patiantur menſtrua, nec viri quibus hæmorrhoides ſine noxa ſubſtitére &c.

Naturam arte adjutam facere interdum miracula pronunciari audias; hoc eſt, eos morborum eventus circumſpecta medendi methodo obtineri ſæpe præter ſpem omnem atque apparentiam, quos ordinariæ prognoſeos regulæ vix videbantur admittere, cum omnia ſpectarent ad interitum; ex adverſo ſæpius eos videas fatis cedere, fruſtra obnitentibus optimæ etiam Methodi præſidiis, quos omnia prognoſeos ſigna ſalvos fore promittere videbantur.

Tranſpiratio & reſpiratio quò magis in morbo libera ſit & natutalis, eò melius dicitur indicium ſalutis; & rectè quidem, quod utraque functio inter præcipuas ſit, tranſpiratio quidem nimia etiam eſſe queat, reſpiratio nunquam nimis libera, eò tamen magis attendenda, quod circularem ſanguinis motum unicè quaſi, vel ſaltem præcipuo moderetur loço.

Quò nobilius viſcus laborans, eò gravius præſentiusque meritò malum metuas ; nobilius verò dicitur, cujus functio vitæ magis intimiusque neceſſaria eſt ; unde & inflammationes partium nobiliorum morbis acutis ſupervenientes lethalem utplurimum nanciſci eventum judicantur ; cum difficillimè tali internæ inflammationi ſuccurri poſſit, etiamſi nequidem ex primo nobilium partium ordine fuerint illæ quæ inflammantur.

Vertigo, ſudor corporis frigidus, pulſus debilis inſtantem Lipothyimam prædicere cenſentur ; quanquam & vertigo aliquando graviora minetur, ut apoplexiam, vel ſpasmodica mala, aliquandò verò & frequenter nihil ; ſæpe vix ſigna præcedent ſyncopem, quæ plerumque aderit cum eam non ſuſpiceris ; multa verò hîc latitudo & varietas obtinet ; ratò enim præcedit frigidus ſudor &c.

Dolores acerbiſſimi ſubitò deſinentes & indolentes facti funeſti habentur, & ſphacelum indicare dicuntur ; excipe caſus, ubi à ſpasmodica conſtrictione dolorum furor eſt, qui ſubitò ſpasmo ceſſante poterit evaneſcere ſine tali metu ; & quis ignorat ſubitaneas odontalgicæ, & innanium ſub illa dolorum, viciſſitudines, itus, reditusque ; Alia ergò ratio eſt ſimplicis congeſtionis ſanguineæ, & inflammationis, quæ ſi produxerit intenſum dolorem, non poterit non ejus ceſſatio eſſe ſummè ſuſpecta ob metum ſphaceli ſuccedentis.

Tumores in atrophicis morbis, & contra atrophiæ in morbis hydropicis vel aliis tumoribus periculum præſens indicare dicuntur ; præſentius tamen periculum minabitur in phthiſi tumor pedum, quam in tumore aſcitico atrophia partium ſuperiorum, admodum ſæpe diu morbo tam diuturno adjuncta, imò & cum illo ſubinde feliciter ſublata.

Omnis morborum curatio tempore verno & æſtate non adeò fervida, in ætate juvenili, temperie exiſtente ſanguinea, melius dicitur procedere, quàm hyeme, in ſenibus, & melan-

lancholicis, ac pituitoſis. Sunt verò hîc exceptiones innumeræ, cum & juventus & ſenium non annis, ſed viribus Medici metiantur; nec tanta temperamentorum prærogativa ſit modò diſtinguas inter temperamentum pituitoſum vel melancholicum, & inter intemperiem pituitoſam ac Melancholicam, quæ ſæpè confunduntur; nec nimium anni temporibus tribuendum, utut aliquid vel prodeſſe queant, vel obeſſe negandum non ſit.

Plerique morbi chronici circa ſolſtitia vel æquinoctia inſignem ac ſubitam alterationem perhibentur acquirere; quæ quidem nonnulli explodunt; experientia tamen rem veriſſimam pronunciat ſi non in plerisque morbis chronicis, ſaltem in multis, imò & in acutis ſubinde idem obſerves.

Tumores interim viſcerum dicuntur generare morbos diuturnos; intellige ſi ſcirrhoſi ſint, nec ad turbas proclives; ſi enim inflammatorii fuerint, vel evaſerint acutè ſatis nocere, triſtesque aperire morborum ſcenas ſolent.

Omnes excretiones criticæ ſuppreſſæ, vel retropulſa ex anthemata ingens diſcrimen ſanitati ac vitæ minantur; morbilli, variolæ, petechiæ teſtimonium perhibent; ſcabies retropulſa rem comprobat funeſtis eventibus; licet nec deſint qui impunè utantur remediis ſcabiem ſiccantibus.

Solvi dicitur febris, ſi feliciter curatio ſuccedat, notabili quadam excretione critica, vel per ſudorem, urinam, alvum, ſalivam; intellige ſi ſolvatur critico modo, nec omnia remedia criticam producunt evacuationem per aliquam iſtarum viarum; aut enim ſine excretione ſenſibili diſcutiunt, immutantque febris fomitem, aut excretionem quidem ſuam juxta indolem procurant, ſed non criticam, vomitorii actio excretoria critica non eſt, nec orta à purgante alvi ſubductio; criſis naturæ opus eſt.

Febres malè curatas, vel etiam diuturnas corruptelam

insignem viscеribus & succis vitalibus affricare docet experientia, hinc affectus hypochondriacus, hydropis variæ species, cachexia, digestionis vitia, febris lenta, hectica, aliaque mala. Quod verò dicitur de male curatis, & diuturnis febribus, idem & majori jure dicendum de febribus supervenientibus cachexiæ seu pravæ humorum dispositioni, hæ enim & diuturnæ sunt, & in graviora facilè transeunt mala succis adhuc magis desciscentibus.

Febres intermittentes, & omnes morbi chronici, qui autumno invadunt, difficilius tolluntur, quàm qui sub vernum vel æstivum tempus accedunt. Quanquam justæ methodo omni tempore cedant, nisi occulta foveantur sustenturque & inveterata cachexia, unde major oritur pertinacia.

Intermittentes malignas dari sine tamen periculo audias pronunciari; ac dantur quidem omninò tales, & in specie tertianæ; neque tamen sunt eo sensu intermittentes quo tertianæ communes, neque enim hîc apyrexias dies est, sed perpetua febris, sed intervalla habens exacerbationis; nec illa quidem æquè periculosa est ac continua maligna ejusdem gradus, quia aliquæ hîc in intervallis naturæ induciæ conceduntur, periculo tamen carere non dicenda, si maximè dispositum pravè corpus attigerit.

Ingentes ac præternaturales tam sanguinis quam aliorum humorum effusiones junctæ cum viribus prostratis, corporis tabe, somno laborioso, calore lento, appetitus dejectione funestum prænunciare eventum censentur; nisi integritas viscerum, tonique quædam firmitas restaurandis succis, viribusque sufficiat, ac succurrat rebus fessis; si nulla scilicet viscerum vel alia interna inflammatio aut labes subsit, aut spasmi gliscant graviores &c.

In morbis pectoris quo respiratio est liberior, eò majorem dicunt affulgere salutis spem, & contra; nota tamen omnem

omnem periculi dijudicandi fontem ex reſpiratione non petendam; alia ratio eſt acutorum malorum, alia chronicorum; ſæpè urget per plures dyſpnœa annos, per vagas periodos in aſthma frequentius erumpens vita tamen ſub iſtis protracta anguſtiis, ex adverſo jugulat ſæpè ſatis citò phthiſis eos, qui minus difficili reſpiratione fuerant tentati. Alia igitur indicia conjungenda ſunt neque huic fidendum uni ac ſoli.

Vertigo cum capitis dolore, & aurium tinnitu in ſenibus plethoricis apoplexiæ habentur prodromi ; imò & in iis qui plethorici non ſunt ; neque tamen certa ſunt & conſtantia, aut perpetua hæc ſunt indicia , multi impunè hæc à catarrhis patiuntur ; & rarò capitis dolor cephalalgiam præceſſerit, imò hæc frequentiſſimè adoritur ſine prodromis, obruitque in cautos & nil tale advertentes; aliquando tamen inſtantis mali ſigna quædam præcedere his ſimilia non neges; illi tamen qui hæc anxiè, cautiſſimèque obſervant, & in ſe experiuntur minus ferè tam atroci corripiuntur malo, quam ii qui de illo ſecuri vix tale quid cogitaverant.

Scorbutum confirmatum, malum hypochondriacum, & podagricum, ſi diu duraverint, & ſuccos corporis notabiliter detur paverint, levari quidem aſt perfectè ſanari non poſſe commune effatum eſt; cujus tamen ratio non in ſola ſuccorum inquinatione, ſed & in ipſa ſolidorum textura, fibrarum tono, imò & ſpirituum diatheſi ac quadam quaſi conſuetudine quærenda eſt ; diutius enim radicata hæc mala ipſas ſolidas partes fortius invadunt, infiguntque ſe tenacius, ac debilitant profundius.

Ubi propter nimiam ingurgitationem aquæ, vel ex menſibus, aut hæmorrhoidibus ſuppreſſis hydrops naſcitur, curationis ſpem adhuc eſſe aſſerunt; Rarius tamen ille naſcatur forſan ex aquæ ingurgitatione, ſique illius moles perruperit lymphatica abdominis vaſcula parum ſpei ſupererit; ſique à menſium ſit ſuppreſſione hydrops, ingens præceſſerit cachexia oportet, cujus profundæ radices ſpem haud leviter labefactabunt.

Poſt

Poſt febres tamen, ſi illis laboraverint ægri nondum nimis ante febrem cacochymici, natus hydrops ſæpius tollitur diæta ac Methodo medendi apta ac proportionata, ſi ſcilicet viſcerum faveat integritas & toni adhuc adſit quoddam robur; quod & circa hydropem ex aliis obortum cauſis notandum.

In Senibus, & in omnibus morbis, ſopores profundi multum habere periculi cenſentur; indicant enim Spiritus admodùm debiles, ſopitos, ligatos, diſperſos, confuſos &c. niſi in quibusdam melior affulgeat ſpes, illique morbo declinante ac miteſcente profundius, diutiusque conſopiti ſe recolligant; quorum quidem à priorum ſtatu diverſa eſt ratio, ac diverſus dormiendi, decumbendique modus, non tamen ſemper primo mox tempore ac obtutu detegendus, an ad ſalutem tendat ſopor, an ad mala graviora.

Senes qui frequenter tentantur Eryſipelate, tandem illo mori ſunt obſervati; niſi & conſueti mali ceſſatio, ſuppreſſio, impeditusque fatiſcente naturæ tonique robore recurſus conſueti morbi funeſtus ex adverſo fuerit.

Non omnem fluorem album ſteriles reddere mulieres rectè monent; cum frequentiſſimum hoc ſit, præprimis ante vel poſt menſes malum, iis etiam quæ & feliciter & frequenter pariunt; nec enim ſemper impedi & quò minus actuentur ovula, & in utero enutriantur.

Singultus & ſpasmus nimiis excretionibus ſuperveniens periculoſus eſt, neque tamen ſemper affert lethalitatem, cum non ab eodem fluat Principio, nec ſemper inflammationem habeat comitem internam.

Periculum pulſus intermittentis nemo non agnoſcit, malumque inde ſuſpicatur morborum exitum; quidem tamen id diu ſatis patiuntur; hinc & monitum legas, hunc pulſum adeò formidabilem, non ſemper magnum portendere periculum; obſervavimus etiam eam in ſano; non tamen frequentius;

tius; præſtat illi, ubi adſit, non fidere. Pulſus enim intermittens, vel ſummè debilis manens in morbis periculoſis intra ſex horarum ſpatium mortem attuliſſe obſervatum dicitur; nec opus eſt ut ſemper tam ſubitus ſit effectus, ſufficit eventum ſemper triſtem eſſe.

Dolores graviores, maximè in teneris corporibus, & quæ imbecilles habent nervos convulſionem, diarrhœam, febrem, ſomnum terroris plenum, ſudorem frigidum, ſyncopen, ſpirandi difficultatem, & mortem non ratò dicuntur excitare; non tamen de omni hoc quantumvis gravi dolore dixeris, vix ſequentur convulſiones niſi certa ratione ac ſpecifico ſtimulo irritentur nervi, non à quovis dolore, utut intenſo; unde nec ſyncope, cæteraque adeò facilè ſubſequentur, multò minus mors, niſi ſpasmodicis id eveniat ſtricturis ac Spirituum natis hinc diſſipationibus.

Omnes morbi inveterati, hæreditarii, & qui longas egerunt radices, morbique ſenum curationem vix admittere ajunt; quis enim & humores, & fibras profunde affectas & depravatas plenè reſtituat, poſt indurationem quaſi, habitum & conſuetudinem pravitatis; curantur tamen & ſeniles & hæreditarii & diuturni morbi.

Omnes capitis contuſiones, cranii fiſſuræ, multum habent periculi, præcipuè ſi cum vomitu bilioſo, delirio, ſtupore ſint conjunctæ; contuſiones ſcilicet intellige ingentes, quasque vel depreſſio cranii, vel fiſſura, vel extravaſatio ſanguinis in Meningem, vel officula pungentia ſequuntur aut comitantur; ecquid enim his queat eſſe periculoſius, eò magis quod ratò verus fiſſuræ pateat locus, vel ubi hæreat ſanguis, aut pungat officulum &c.

Tendinoſarum ac nervoſarum partium læſiones ſæpe maximum periculum inducunt, & remotas partes in conſenſum rapiunt; ratò enim tendines præcisè ac plenè præciduntur,

puncti , autem vel ſecando ſaltem læſi graviſſimos excitant ſpasmos; ut de Synoviæ fluxu nil addamus.

Paralyſin ex nervorum dislocatione & luxatione ſanari vix poſſe inter effata prognoſtica eſt; dubites verò an frequens eſſe queat nervi dislocatio, & inde nata paralyſis , major potius nervi vel tendinis à luxatione & dolorifica tenſio concipienda quam paralyſis, ac ſpasmus potius quàm relaxatio &c.

Tuſſim antea humidam, ſubitò verò in ſiccam deſinentem cum pectoris gravitate minari pulmonum læſionem annotatum eſt; obſtructionem hinc bronchiorum, ac veſicularum metuas ab incraſſato retentoque ſputo potius quàm alias læſiones, aliter verò erit pronunciandum pro varietate ac ſpecie, & origine tuſſis.

Excretiones tam alvi, quam vomitûs, nigræ peſſimæ habentur; nec immeritò, quamvis & caſus dentur, maximè in ſequiori ſexu ſuppreſſis menſibus, ubi minus iſte color alat portenti, à ſanguine ſcilicet grumeſcente ortus; quod forſan & obtinere queat in quibusdam hæmorrhoidibus obnoxiis &c.

Qui quotidiè vomunt , & quidem à paſtu , facilè incidere in hecticam dicuntur; nota tamen hoc intelligendum de vomitu non quovis, etiam poſt paſtum, qualem nonnulli ſine metu tabis diu ſatis perferunt, quibus id ab erroribus diætæ evenit; neque enim omne neceſſariò nutrimentum rejicitur ; & quis neſcit innumeros quorundam gravidarum vomitus ſine tabe & alio periculo, ſtato iterum tempore ceſſantes.

Vomitus ſanguinis, qui eſt à menſium ſuppreſſione , vel à nimia ſanguinis ebullitione expers habetur periculi ; minus eſſe in hoc vomitu menſibus obſtructis periculi certum eſt, periculi expers ille nobis nunquam dicetur; maximè ille qui eſt à ſanguinis ebullitione, quam triſtia enim ſymptomata ſequantur praxis docet , hæc enim non eſt via congrua , per quam exeat ſanguis, omnis potius talis excretio metuenda.

Pete-

Petechiæ aliæque febres malignæ ſæpe ſolvi dicuntur diarrhœa ; certum eſt hoc aliquoties obſervari in certis talium morborum epidemicorum ſpeciebus, cave autem ne ad omnes extendas; pluribus diarrhœa fatalis eſt.

Dyſenterici quando veluti carunculas ejiciunt , in magno verſari cenſentur periculo ; cum de putredine humorum ingenti vel muci inteſtinalis quaſi abraſione ob nimiam fuſionem & acrimoniam , vel exulceratione immodica teſtentur ; ſæpe tamen etiam merus mucus concretus talia refert & repræſentat.

Omnes affectus nervorum ab illorum obſtructione nati & diuturni difficillimè ſanationem recipere obſervantur; difficulter enim ex tam occultis tubulis excutitur id quod obſtruit, mora jam magis incraſſatum fixumque; hinc difficulter gutta ſerena radicata tollitur; ſubitò ortam in Colica ſpasmodica ſubitò quoque videas ceſſare, vix aliam.

Singultus, delirium, vigiliæ, animi deliquium, ſudor frigidus, anxietas maxime præcordiorum , ardor internus cum externa refrigeratione , pulſus debilis , ſi morbo vel aucto , vel chronico ſuperveniant, præſentiſſimum adeſſe periculum indicare judicantur; quia plerumque teſtantur de interna inflammatione ſummè periculoſa ; ſæpe enim non ſine exceptione etiam hæc eſt regula , præprimis ſi hyſtericarum proteiformia penſitemus ſymptomata.

Alvi pertinax obſtructio multorum chronicorum morborum mater eſſe obſervatur, & difficilem reddere curationem, & capitis affectus ſemper facere graviores ; ſæpe tamen tot malorum cauſa non eſt, ſed ejusdem cauſæ cum illis effectus conſtipatio alvi ; at ſæpe quoque per conſenſum ac communes nervorum plexus graviter affligunt alias partes laceſſentia fibras inteſtinorum excrementa, vel mole ſua, vel ſcybalorum figura, vel acrimonia infeſta.

Tumores ſcirrhoſi viſcerum minari dicuntur hydropem, maraſmum, febrem lentam, icterum nigrum &c. & quid non minari queant, debeantve ſcirrhi illi viſcerum? quanquam plus minari, vel ſaltem propinquius videantur, antequam fiant ſcirrhoſi iſtamque acquirant duritiem, dum molliores facilius inflammatione corripianturque, iſtoque incendio machinam omnem lethaliter involvunt; quanquam & tardius ſcirrhoſi in cancri malitiam tranſire poſſint tumores.

In omni tumore corporis urina pauca, craſſa, ac rubra, febris lenta, difficilis reſpiratio, marcor ſuperiorum partium funeſtum ſignificare exitum notantur; quæ quidem de hydrope intelliguntur, cujus iſte gradus ac circumſtantiæ portendunt omninò vix evitandum periculum.

Hypochondriaca & Hyſterica affectione laborantes ſi moriantur, perire dicuntur apoplexia, hydrope, hectica, aſthmate &c. & quis chronico ſuccumbens morbo iſtis non moritur modis ac morbis? ſi verò acutè obeundum, quid obſtat continuis febribus tales quoque obire; & Hyſtericas cumprimis affectibus convulſivis &c.

Facilius ulcera faucium & pedum curari obſervantur, quam ani ulcera; quàm igitur hæc difficulter, cum illa adeò ſæpè refractaria ſint, hæc verò niſi ingens adhibeatur diligentia & feſtinatio in conſolidando in fiſtulas promptiſſimè transeant.

Ex inſpectione oculorum Spirituum animalium conſtitutio, & motus elucere dicitur; quia omnium partium, & ſic oculorum quoque vigor pendet à ſpiritibus animalibus; neque tamen ideò res perpetua erit; quoties enim debilioribus oculis, ophthalmia, imò variis oculorum vitiis laborant, qui cætera Spiritus & quà craſin, & quà motum debitè habent conſtitutos, ſuaque ad munia vegetos.

Exanthemata livida & nigra dicuntur peſſima, ſed non ſemper indicare mortem. Eſt enim ubi quædam variolæ nigræ

græ conſpiciantur evadente tamen ægro ; noli tamen fidere huic colore, ſemper tibi ille fuerit meritò ſuſpectus, ac necroſeos triſte præſagium, paucæ enim exceptiones funeſtam non tollunt regulam.

Surditatem & obauditionem in febribus malignis & acutis convaleſcentiam ajunt nunciare, niſi mox auditus redeat; eſt incertitudo ingens, & varietas incerta, ſurditas nunc funeſta eſt, nunc præſagit lætiora, hinc illi nonniſi aliis indiciis conſpirantibus fidendum.

Omnes febres malignæ, variolæ, morbilli tempore hyberno invadentes pejores dicuntur, habet verò & hæc regula exceptiones plurimas ; ecquis enim ignorat quàm periculosè talia ſub ingentibus æſtivi caloribus, nimiaque tum humorum fuſione ægros corripiant.

Illi juvenes in majori dicuntur verſari periculo, qui intemperantiæ dediti, & quorum in familia exitiales fuerint variolæ. Intemperantia enim cruditates, pravos ſuccos, imputitatesque ſanguini profundius imprimit, eo ipſo tantum malum reddens funeſtius; cœterum dubites an aliorum ex familia exempla adeò formidanda ſint, & non potius domeſtica variolarum malignitas hujusque gradus.

Si poſt eruptionem exanthematum vel variolarum ceſſent Symptomata, bonum ajunt ſignum, ſi continuent gravem eſſe metum; Si verò non ceſſent, ſatis erit ſi remiſerint, ſi verò de novo quaſi ſuperveniant atque augeantur nihil non metuendum erit, exemplo motuum convulſivorum, qui in principio variolarum ſubinde quaſi utiliter ſuperveniunt, ſi verò in ἀκμῇ morbi redeant, ſignum erit peſſimum.

Omnes confluentes variolæ propter gravioris inflammationis metum habentur periculoſæ ; quanquam ex inter illas diverſitas ſit autopſia potius quam regulis addiſcenda.

Diarrhœa in principio variolarum accedens non ſemper habe-

habetur mala, in infantibus etiam in ſtatu ſæpe periculi dicitur expers; noli tamen fidere huic ſymptomati, nec pauca te extraordinaria exempla, & monſtri quid habentia reddant ſecurum, qui toties diarrhœæ ſupervenientis pericula & obſervabis ipſe, & à mulierculis audies relata.

Variolæ quo profundiores in cute latent, & cutis ſtrictior, eò majorem excitare dicuntur inflammationem, & contra; niſi malis majorem ad inflammationem pronitatem humorum vitio ac malignitati majori adſcribere, quæ ſeſe exſeret, quomodocunque ſe habeat cutis, quæ vix adeò queat ſub illis caloribus eſſe ſtricta.

Urina ſanguinea in omnibus inflammationibus peſſimum ſignum præbere dicitur, ſive à ſanguinis fuſione, ſive à viarum eroſione & inflammatione oriatur.

Variolæ, morbilli, purpura non rarò relinquunt phthiſin, ulcera cacoethica, cœcitatem &c. ſi ſcilicet ſanguis nimis acri pure ſit & maneat infectus atque obrutus, ut ab illo peſſimo charactere liberari ſatis per illam criſin non poſſit, imò magis illo inficiatur.

Surditatem ex morbis acutis non rarò provenire monent, quid enim facilius, quam vel in meatu, vel in glandulis ejus, vel in tympano, vel in ipſo utroque nervo hærere aliquid & obſtruere; quanquam & aliquando ſpasmodicæ tranſeuntesque ſtricturæ brevius ſaltem cudant malum.

Inflatio ventriculi, quæ fit inconvaleſcentibus, mali prioris recidivam dicitur ſignificare ſi diu duret, diſponere ad hydropem ſiccum ſeu tympanitidem; ſi verò à ſola ventriculi atonia ſit inflatio tanta non inferet mala, modò ipſi ſuccurratur; ac probè diſtinguendum inter flatulentas ventriculi & inteſtinorum ex cruditatibus diſtenſiones, ac tympanitidem, multi enim perpetuis tumidi flatibus tympanitici tamen non fiunt.

Mulieres dicuntur pati vomitus, quando ſunt gravidæ, item

item quandò cupidæ vitorum , & quando menſtrua non ritè fluant ; ultimæ cauſæ vomitus vix ſunt ita frequentes ac primæ, à graviditate enim vomitus eſt notiſſimus.

Quoties ſudores fluunt in malignis debito tempore , remittere obſervantur anxietates, & ſudore ſuppreſſo, vel ſaliva iterum invadere; materia morbifica à circumferentia ad centrum repreſſa, cordique minante ; eſt tamen ubi nec ſudor minuat anxietatem, illaque ſuperveniat in mediis etiam & largis ſudoribus , prout cauſa fuerit vel ſpasmodica magis , vel humoroſa ex aggeſtione.

In omnibus fermè morbis ſpasmodicis alvum notant eſſe adſtrictam; nec tamen id univerſale erit; cum ſpasmi æqui protrudere feces, ac retardare queant; ubi verò ſpasmi cauſa eſt calor nimius, vel illi ſaltem jungitur , mirum non erit tardiorem ob ſicca ſcybala eſſe alvum.

Diarrhœa ſuperveniens inflammationibus periculoſa habetur, non autem in febribus; cautè tamen hæc dixeris, ac non de continuis ac malignis febribus , ſed de benignis intermittentibus, quibus & tutò laxantia opponas.

Incubus vigilantibus ſuperveniens cum tremore cordis & ſyncope peſſimus dicitur morbus; eſt enim ſpasmodicus, ac principales aggreditur partes; quanquam in vigilante non omnes poſſit habere incubi circumſtantias , & ſit potius referendum malum ad aſthma ſpasmodicum, ac partim ad Cardialgiam ſpasmodicam implicito ſemper ſtricturis diaphragmate.

Obſervant dolores plerumque ſolere paroxyſmare , ſic enim libet loqui nonnullis; ac certum eſt neceſſariam eſſe in morbis ad periodos iſtiusmodi attentionem , quæ & ſelectui medicamentorum , & tempeſtivæ exhibitioni eorundem queat eſſe utilis.

Fluor albus, familiaris affectus, curatu difficilis habetur, inveteratus tabem inferre dicitur ; Diſtinguendum inter ejus gra-

gradus varios, nec omnis tutò tollitur, nec negligitur, cautè ad circumſtantias reſpiciendum.

Abortum cauſari frequenter vehementem terrorem compertum eſt, ob Spiritus in confuſionem & orgaſmum actos; contumacem alvi adſtrictionem non ratò eundem efficere non eadem veri ſpecie dicitur ab aliis, cum rarius id obſervetur, & à purgantibus violentis frequentius, quanquam nec ſemper res malæ famæ mulierculis ſuccedat, tenacius adhærente utero firmioris toni ſecundina &c.

Omnes morbi acuti puerperarum multum habere periculi obſervantur; quia puerpera conſideranda tanquam graviter vulnerata, & conſequenter inflammationibus facilè obnoxia, & propter lochia, lactisque formationem multa pati queat, quorum febris talis acutior vel effectus queat eſſe vel cauſa pro circumſtantiarum varietate.

Larga mictio, & ſudor copioſus cum mentis turbatione in febribus dicuntur funeſta; ſed funeſtiora ſæpè horum contraria; ac ſæpè his ſolvitur febris, mentis verò turbatio pro reliquarum ratione circumſtantiarum nunc plus nunc minus habet periculi, tum verò plurimùm ubi à cerebri & membranarum fovetur inflammatione, minus cum à turbato ſaltem ſpirituum motu & elatere.

In malignis vermes per vomitum ejecti, item animi deliquium peſſima habentur ſigna; eſt tamen ubi non adeò videantur minari, imò obſerves mox ab egreſſo per os eductoque verme mitiora Symptomata & ægri ſalutem.

Qui ſæpius ſine cauſa manifeſta tentantur ſyncope, illa tandem mori dicuntur; circa hyſtericas erit exceptio admittenda; imò & in aliis ſæpius paſſi ſyncopen non tamen ſyncope præcisè, ſed aliis morbis, mori obſervantur; atque ambiguum eſt illud pati ſine cauſa frequentem ſyncopen.

Omnes perſonæ pinguiores majori periculo dicuntur expoſi-

poſitæ in morbis quàm macilenti ; nec dubites ſæpè obeſſe pinguedinem vaſis liberoque ſanguinis fluxui gravem , neque tamen id univerſalem in omnibus morbis fundare valet regulam , eos macilentis minus minari, qui ſanè & ſua alunt intus pericula.

Somnum morbis ſupervenientem , & vires reficientem optimum præbere uno ore aſſerunt ſignum , datur enim & ſomnus , de quo quærelæ frequentes , qui nec reficiat vires, nec ſine moleſtia ſit ſubſequente ac majori, addens quaſi laſſitudine incrementa.

Puerperæ quando lacte penitus deſtituuntur graviori in periculo verſari dicuntur; teſtatur enim defectus ille de interni ac p. n. caloris ingenti prædominio , ac de ſtatu uteri ac lochiorum minus laudabili.

Hæmorrhoidibus cœcis male tractatis ſupervenire obſervata eſt fiſtula; nulla enim ulcera facilius in fiſtulas transeunt, quam illa ani , quæ & ab hæmorrhoidibus oriri poſſunt.

Colica ſæpe graviſſima oriri dicitur à ſuppreſſione hæmorrhoidum in hypochondriacis ; dum ſcilicet congeſtione ſanguinis irritati nervi ac Spiritus in ataxias , ſpasmosque graves aguntur.

Omnes morbi hæreditarii difficilius ſanari ab omnibus agnoſcuntur , ob profundè in ipſis quaſi ſtaminibus vitalibus radicatum malum , ac labem humorum intimam.

Morbum qui per conſenſum fiat , facilius ſanari pronunciant; ſunt verò & iſti ſæpius ſatis pertinaces , prout ſtimulus fixior fuerit ac obſtinatior , utut in alia parte.

Epilepſia ante pubertatem magis admittere curationem obſervatur , quam poſt illam. Interim tamen ſemper metuenda ſi duraverit ultra annos infantiles, multum verò in ſpeciali ſubjectorum & cauſarum diſpoſitione ſitum eſt , ſi curationis reſpicias poſſibilitatem.

Uti vigiliæ in acutis, ita in chronicis appetitus dejectus periculum mortis notare dicitur. Utrinque multæ ſunt exceptiones; nec ſemper vigiliæ ſunt lethales in acutis, nec evaneſcens appetitus in chronicis; quot enim chronici ſunt morbi in quibus diu appetitus eſt emortuus quaſi vel ſaltem languens.

Ubi frigent exteriora & interiora ardent peſſimum ſemper habetur indicium; inflammationis enim vel præſentis, vel inſtantis ſunt notæ triſtes, imò & imminentis jam gangrænæ &c.

Cap. V.
DE CRISI.

CRiſin dicunt judicium de morbo, ſed uſitatius ita appellant ſubitam aliquam ad mortem vel ad ſanitatem mutationem; quamvis pletique hoc reſtringant ad ſalutarem ſolutionem; cum Criticum opponant Symptomatico, & ad perniciem & interitum tendenti motui.

Criſin bonam, ſive ad ſanitatem fieri ajunt à reſtituto æquabili motu ſanguinis & ſpirituum; malim criſin talem, viam ad hunc, quam effectum ejus dicere; nondum enim tum reſtitutus eſt æquabilis motus, perdurant adhuc turbæ, licet jam ſeparatio puri ab impuro facta quodammodo ſit, iſtisque naturæ conatibus ſummis expellatur.

Criſin malam ſeu in perniciem fieri dicunt à motu ſufflaminato ſpirituum & ſanguinis; ſunt ſane iſti ultimi conatus indicium non omninò iſtos motus eſſe ſufflaminatos, alias fieri non poſſent, certum tamen eſt iſtas virium reliquias ſub ipſis iſtis conatibus fatiſcere, & ſic ſummam ſpirituum debilium & humorum confuſorum ataxiam ſuis legibus confuſis relinquere.

Bonæ

Bonæ criſeos indicia allegant coctionem in urina comparentem, excretionem per ſudorem, vel alvum, & meliorem ægri ſtatum; malæ autem & lethalis criſeos notas dicunt excretiones ſuppreſſas, & pejorem ægri ſtatum criticis obſervatum diebus; licet & ſalutares criſes dum in motu ſunt poſſint videri ægros gravius affligere, donec melior ſtatus criſi demum perfecta manifeſtetur; unde non feſtinanter judicandum, ſed maturè omnia ponderanda ſunt in tali criſi.

Spiritus uti morborum medicos dicunt, ſic quoque ſubjectum ipſius criſeos, quoque illorum craſis ac motus minus vel magis deſtructus ſit, eo meliores vel pejores expectandas eſſe criſes; nec dubites multum ſpiritibus competere in hoc negotio, ſed & plurimum diſpoſitioni humorum ſeu ſanguinis, quæ niſi faveat ac diſpoſita ſit ad feceſſum nil efficient ſpiritus utcunque ſe habeant; cæterum illi criſeos non tam ſubjectum erunt quàm efficiens, promovensque cauſa.

Uti influxus aſtrorum ſupponitur maximè diſponere mõtus, ita illud præcipuè obſervari dicunt in ægris & debilibus; neque negligendos eſſe monent planetarum aſpectus in movendis tempeſtatibus loquente experientia, alii explodunt hanc experientiam, quo jure ipſi viderint ac curioſi obſervent ſine ſtudio partium qui vera dicat; ad minimum æquinoctia ac Solſtitia in ægrorum ſtatu mutanda admodum efficacia deprehendunt ii qui attentius ad omnes reſpiciunt circumſtantias.

Unde non malè dicunt aliis, Lunam uti ad Solem collatam quadris ſuis potiſſimum mutationes ſubitas tempeſtatum efficiat; ita etiam in ægris variè operari. Sed nec quadræ ſolæ accuſandæ, plerisque in phaſibus principalibus plenilunii & novilunii (quanquam hæc phaſis non eſt) plus efficaciæ deprehendentibus quam in quadris pro morbis vel immutandis, vel exacerbandis, vel accerſendis.

Quò acutior morbus eò celerior dicitur criſis; ſi modò

per criſeos modum ſolvi velit morbus, quod non ſemper accidit; nec tamen indiſſolubili nexu cohærent acutus morbus, & celerrima criſis; quid obſtat hanc ſequi tardiorem, ac lentiorem eſſe morbi finem quàm decurſum, cujus exempla videmus ſatis frequentia.

Neque enim expectandæ ſunt promiſcuè in omnibus morbis criſes, ſcil. Propriè ſic dictæ, & ad dies adſtrictæ, in quibus multi adeò & prolixi ſunt veteres, quibusque modernæ & noſtratum regionum obſervationes vel non reſpondent, vel cautè applicari poſtulant, ac conferri.

Motus criſeos duplex dicitur, ac fieri vel per manifeſtam aliquam excretionem, v. g. per ſudorem, alvum, urinam, ſalivam, hæmorrhagiam, vel per metaſtaſin & translationem, quando humor vitioſus in partem aliquam ſolidam effunditur, tumorem, bubonem, aut abſceſſum producens; quò autem illa pars ratione functionis ſuæ fuerit ignobilior eò tutiorem fore etiam translationem; ſi verò ad nobiliores ruat, feraturque partes non criſeos merebitur nomen, ſed fatali à circumferentia ad centrum motu gravius lædat, ac Symptomatica erit metaſtaſis, eò ipſo funeſta futura.

Criſin aliam dicunt ſalutarem & perfectam, aliam non ſalutarem & imperfectam, ſæpè etiam infidam; quæ quidem criſeos nomine indigna eſt, nec ita intempeſtivè vocanda, ni graviter velis prognoſi errare præcipitii poterit tamen & ſalutaris eſſe, quæ imperfecta eſt, cum non ſemper æquè uno impetu perfectè judicentur morbi, præſtabit ſæpè imperfectè ac per vices, aut varias vias, modosque naturam ſibi proſpicere, quà impetuoſa unicaque egeſtione eam præcipiti lapſu proſterni.

Plerumque evacuationes, quæ teſtari dicuntur de circulo rurſus naturali ſanguinis, fieri die 7. 9. 11. 14. perhibentur; quæ tamen latitudinem habent inſignem, nec adeò ſtri-

ctè

ctè diebus allegari obſervantur, quàm quidem in libris Medicorum aſſignatum ipſis legimus.

Solſtitia & æquinoctia in corpora noſtrà ingentes mutationes & alterationes inferre, magnamque habere vim, illoque tempore in deterius facilè mutari morbum à pluribus circumſpectè obſervatum eſt, nec quidquam contra valent ratiunculæ aliorum neſcio quid oggannientium, cum loquente experientia, tacere debeant tam levis armaturæ argumenta.

Anni climacterici magnas mutationes inferre corporibus cenſentur, quoniam ſingulis ſeptenniis ætatis fiat mutatio, cui familiares certi ſemper ſint morbi. Ingenioſa ſanè ratio rei aliis incertiſſimæ viſæ; nil verò nunc attinet diſputare de annis iſtis climactericis, quos alii rident, alii metuunt, ii rectiſſimè agent, qui ſemper ſibi cavebunt, ſemper temperantes, ſemper ſobrii, ac neceſſariis fulti remediis vitam agunt tranquillam quà animum æquè ac corpus.

Cæterum ætates non ſeptenniis ſed ſæpius mutantur, nec cum omni ætatis mutatione tam periculoſa naturæ ac humoribus totique Machinæ imminet mutatio. Sed transeant & iſta, relinquanturque meticuloſis, harumque rerum curioſis, &c.

HYGIEINES MEDICÆ.

Cap. I.

DE REGULIS CONSERVANDÆ SANITATIS GENERALIBUS.

DUm facilius eſſe ajunt ſanitatem conſervare integram, quam illam reſtituere labefactatam; eo nituntur fundamento, quod facilius ſit omnem adhibere cautelam, ad functiones, humoresque conſervandos in laudabili ſtatu, avertendo noxia, quàm illis jam depravatis quærere remedia, illisque priſtinum reducere ſanitatis ſtatum.

Hinc monent, quemvis & noſſe corpus ſuum, ejusque robur ac vires, ſuumque eſſe Medicum debere; regula ubique obvia, nullibi & à nemine obſervata; imò & obſervatu difficilis, non minus quam intellectu; nec enim cujusvis eſſe arbitreriis, noſſe ac judicare vires ſuas, robur ſuum, in hoc nemo non hallucinatur, omnes enim ſibi blandiuntur ad ultimum uſque ſpiritum; quotusquisque igitur ſuus poterit eſſe ſibimetipſi Medicus? res magnæ molis, ac difficultatis inenarrabilis ſi mores noſtros, ingenia hominum, & perverſas voluntates libeat conſiderare.

Leges equidem & id monitum, non poſſe dari univerſales pro conſervanda ſanitate regulas propter conſtitutionum varietatem; ſed nec illa obſtat, nec aliud quid, quò minus obſerves ſpeciales cautelas, ſi univerſales dari neges, utut reverà dentur, licet depravato hominum guſtui minus aptæ, minusque acceptæ.

Et quod dicitur alimenta, & res non naturales, quæ uni proſint, alteri ſæpe nocere, id quidem evenire nec poteſt aliter

ter nec debet, cum vel ideò res vocentur nonnaturales, quod & prodeſſe queant & obeſſe uſu vel abuſu, ac varietas temperamentorum ſeu complexionum in ipſa Machinæ optimè conſtitutæ natura fundatur; huic igitur accommodanda ſunt illa, hæc eſt ipſa ſanitatis cura.

Optimam ſanitatis ponunt regulam: quæ juvant & profunt ſunt ſervanda, & quæ nocent ſunt fugienda; certiſſima regula, ſi poſſint obſervari, nec verò facilè eſt ſcire, quod proſit, quid noceat, quid proin ſervandum, quid fugiendum ſit; omnes ſe ipſos decipiunt; poſſent hoc ſcire ſi vellent, ſed decipit ingluvies, & gulæ blandimenta, & conſuetudines pravæ; poteſtque aliquid aliquandiu adhiberi ſine ſenſibili mox noxa quod revera noceat in progreſſu &c.

Omne nimium, quamvis ſit optimum, naturæ inimicum dicitur; ratio enim ſana docet non gravandum corporis viriumque robur ulla re ultra modum; omnis exceſſus in re quacunque corpori nocet, ac cum viribus proportionem non ſervat.

Conſuetudo eſt altera natura, hinc longo tempore conſueta non ſimul & ſemel ſunt omittenda; ſenſim ſenſimque emendanda ſunt talia, eundum per gradus, omnis ſubita mutatio periculoſa eſt; multi tamen abutuntur hac regula, ac conſuetudinem ineptè allegantes peſſundant naturam, quam poterant ſervare.

Ad analogiam hujus effati generalem audias formari canonem: Omnis mutatio ſubita periculoſa eſt; ſi ſcilicet fiat usque ad oppoſitum & contrarium, absque ullo per gradus tranſitu; cætera enim peſſimæ conſuetudines ingluviei, crapulæ perpetuæ, aliorumque errorum ſubitò intermitti poſſunt & debent, nec periculum hinc metuendum eſt ob ſubitam mutationem; idem de exceſſu animi affectuum quivis facilè capiet; regula igitur reſtringenda erit ad uſum rerum ſanitatem vitamque propius contingentium & contrariarum inter ſe.

Quæ

Quæ deteriora vulgo judicantur, modicè ſumpta non nocent; ambiguum eſt τὸ modicè ſumptum, habetque gradus infinitos ac prorſus incertos, nec conveniens eſt talem regulam formare generalem; plurima enim dantur etiam in modico noxia, ac fermenti rationem in corrumpendis humoribus, deſtruendaque eorum craſi habentia, unde parcius talia blandimenta ingluviei ac pravæ diætæ forent ſuppeditanda; congruit cum hac noxia alia excuſatio: parum parum nocet.

Medicè vivere, vel ut explicant, ſecundum rigoroſas & ſcholaſticas medicorum regulas vivere, eſt, ordinario vulgatoque effato, peſſimè ac miſerè vivere; quocunque tamen ſenſu vix effati hujus veritatem concipias; ſi enim ineptas ſubtilitates circa diætam intelligant per τὸ Medicè vivere, talis quidem incommodè vivet, nec tamen peſſimè ideò, nec miſerè; & videtur canon ille in favorem ingluviei inventus; nec enim miſerè vivit, qui ad ſanæ rationis ductum, ac pro in Medicè & juxta Medicinæ melioris probatas vivit regulas.

Abſtinentia à cibis, & inedia præſervatio à multis magnis morbis, atque etiam illorum curatio obtineri communiter, nec immeritò dicitur, cum vel parcior cibus ſolus multos præcavere morbos, multisque mederi cruditatibus jam collectis queat.

Uti ſummum jus ſumma injuria, ſic exquiſita vivendi regula ſumma eſſe miſeria dicitur; quanquam nec facilè connexionis rationem, nec illam agnoſcas miſeriam, ſi gulæ non ſervias, ſed neceſſitatem ſolam corporisque conſervationem ſpectes.

Sanus homo & qui benè valet nullis ſe obligare regulis, & varium habere vitæ genus, & omnibus, ſi regulæ quorundam credendum, aſſueſcere debet. Sunt verò quædam talia quibus nec neceſſe ſit aſſueſcere, nec tutum, multis enim carere poſſumus, ſine ordine vivendi nemo rectè valebit, ordo

verò

verò omnis regula eſt, etſi aliquam habens latitudinem, talem tamen quæ nimia non ſit nec adverſa rationis ſanæ ac neceſſitatis veræ, utilitatisque præceptis; ita enim qui valet, ſi ſapiat, vivit, ut non deſinat gulæ gratia valere.

Quia teneris aſſueti ſunt ferendo frigori & laboribus, minus in morbos prolabi, & facilius quoque ex morbis convaleſcere dicuntur. Rectè verò dicitur, qui aſſueti ſunt, multi enim pereunt antequam aſſuefiant; nec perpetua eſt illa facilior convaleſcentia, cum robuſtiſſimi ac maximè ſani ferè gravius ſoleant ac periculoſius decumbere, quàm alii frequentiori ægritudine tentati.

Populi ſeptentrionales, qui à primis annis frigoris & caloris repentinas mutationes ſuſtinere coacti ſunt, vita longioti & ſanitate diuturniore gaudere dicuntur; nec tamen iſti ſubſunt tam ſubitis mutationibus, utpote quæ ſuis quoque tempeſtatis gradibus contingunt; nec alibi deſunt & ſani & longævi.

Irritare nonnunquam ventriculum vomitu, ſudare, vel paulo largius vinum optimæ notæ biberæ ad ſanitatem multum conducere nonnullis cenſetur; primum quidem illis conferet qui à nimio cibo cruditatibus infarcti ſunt, alterum pluribus, non tamen omnibus, utile & nonnunquam neceſſarium fuerit, tertium nulli conferet ad ſanitatem firmandam, & nimis latè ac generaliter dicitur.

Qui integra gaudent valetudine, ægrè ferunt purgantia, Venæſectionem, & omnia draſtica; nec enim his indigent, ſi verò indigeant ob cruditates, vel copiam humorum ob pleniorem juſto victum, & probè ferunt talia, & requirunt, licet non draſtica, quæ nunquam tuta utiliave ſunt.

Qui benè ingerit, benè digerit, & bene egerit, ſanus habetur; multi tamen benè digerere ſe credunt, & creduntur ab aliis, unde & ſani habentur, at non ſunt.

Sanis omnia eſſe ſana generale effatum eſt, ſuis tamen

coercendum limitibus, quæ ſcilicet ſana eſſe poſſunt, & noxiam corpori ejusque ſuccis qualitatem non inferunt; ecquid enim non ingluvies docuit mortales ingerere corpori ſub hoc prætextu miſero ad perniciem propriam, utut lentam, & ſic minus agnitam.

Cap. II.

DE SEX RERUM NON-NAT. VARIO USU ET ABUSU.

SPiritus tales eſſe dicunt, qualis ſit aër; id aliquo reſpectu verum erit, cum ſerenum turbidumve aërem aliæ quoque animi diſpoſitiones plerumque comitentur; At licet in aere magnum pro ſanitate conſiſtat momentum, id tamen non fundatur in eo, quod ſpiritus ſint tales, qualis eſt aër, illa enim connexio ſtrictæ veritatis non eſt, ſæpe turbatur, inficiturque aër, ſpiritibus nec turbatis nec infectis; quo ipſo tamen ingens aëris in ſanitatem vis in dubium minimè vocatur, utpote quo nec carere corpus noſtrum, nec immune ab ejus vitiis atque defectibus manere facilè queat.

Aer mutatus magnorum ſæpe morborum remedium habetur; quanquam & juncta his mutationibus corporis motio, animi relaxatio, vitæ liberum à curis genus, conſiderari mereantur; unde commendata totics aëris ruſticani & motûs utilitas; quanquam nec deſint exempla iſtarum mutationum ineptè & tardius ſuſceptarum.

Pro conſtitutione ſoli aër variare, variasque in corpore alterationes efficere obſervatur; hinc & epidemiorum, & endemiorum varietas morborum, eorumque qui variè pro tempeſtatum viciſſitudine & qualitatum aërearum variatione eveniunt.

Aer temperatus, nec nimis frigidus, nec nimis calidus, nec exceſſivè humidus & ſiccus optimus habetur ſanitatis conſervator; iſta verò pro temperamenti ratione latitudinem habent.

Sic-

Sicca aëris conſtitutio emolumentum humidis, ſiccis autem damnum inferre dicitur ; verum lædet aliquando magis humidos, quam ſiccos, abſumendo fluxile humidum & incraſſando ſic magis viſcidas reliquias ; neque enim humiditas corporis præternaturalis exſiccari ab aëre ita poteſt uti humiditas terræ, vel linteorum, vel aliorum corporum.

Nec proin ſine diſcrimine valebit alterum axioma, minus habere periculi corpora multo ſero abundantia autumno exiſtente ſicco & boreali, mitiusque tum temporis invadere catarrhoſos & arthriticos affectus; hujus enim contrarium non rarò videas ſub attentiore obſervatione tempeſtatum & affectuum catarrhalium &c.

Sicut hiems frigida & ſicca ſanguinem & vires corporis concentrare & colligere, ſic è contra humida ſpiritus & vires diſſipare, corpus debilitare, & humores ad putredinem aptos reddere dicitur ; & quis ignorat moleſtiorem eſſe mitioris talis humidæque hyemis in corpus impreſſionem, ſi rem in generali conceptu complectamur ; verum tamen nihilominus manet gravius intenſumque frigus in ſe plus nocere quàm remiſſius.

Humidam hyemem gravidis infauſtam dicunt ; alii humiditatem hanc non præcisè reſpicientes nunc has, nunc illas tempeſtates gravidis judicant infauſtas, quidam etiam ex aſpectibus id derivant planetarum, quos explodunt alii, omne tempus gravidis periculoſum æſtimantes, ob intrinſecum rei ipſius periculum, quod à ſpeciali corporis diſpoſitione, fœtusque ſitu, per varia varie mutando, pendeat.

Aer ſiccus ſemper habetur ſalubrior humido, quia perſpiratio magis promoveatur, & aer ſiccus ſubtilior ad motum vitalem magis ſit aptus; quæ tamen aptitudo major, non ita manifeſta eſt, reſpiciendum potius ad fibras corporis ab humidiore aere moleſtius affectas, ſi maximè acceſſerit frigus, quod & reprimat tranſpirationem, & moleſtet, criſpetque fibras.

Calidiſſimus aer in æſtate morbos à frigida cauſa ortos ſæpiſſime ſolvere dicitur corrigunt quidem unius tempeſtatis intenſæ qualitates alterius exceſſus ſubinde ratò tamen vel calor intenſiſſimus, vel frigus ſummum utile deprehendetur; frigidus tamen ex adverſo exceſſus, nulli facilè in individuo utilis, in ſedanda peſte laudatur.

Hyemi frigidiſſimæ ſi ver ſuccedat humidum ac tepidum, à frigore concentrati & collecti humores in præternaturales & morboſas adigi fermentationes notantur ; quanquam talibus fermentationibus humorum omnis vera tempeſtas faveat; neque etiam intenſum hyemis frigus corporum, illi non ultra modum expoſitorum, humores ita colligit & denſat, ut à tepore veris tantæ inde turbæ ſint metuendæ.

Quorum ſanguinis motus eſt vehemens & calidior, illi bene ſe habere dicuntur in hyeme qui autem motum ſanguinis tardiorem habent illis in æſtate melius eſſe; tutius verò & melius utramque ferunt tempeſtatem quorum ſanguinis motus temperatior eſt, reliquis enim frigus æquè ac calor non mediocriter officere deprehenditur.

Recte monent, ſalubrem aerem non facere ſolum cœlum ſerenum, ſed loci ſitum & ſoli naturam, attendendumque eſſe ad vicinos montes, ventos perflantes, flumina ; imò magis adhuc ad ſtagna, paludes ; & ſi locum reſpicias ſpecialem, opificum officinas varias, fodinas, antra, &c.

Aeris quidem ſalubritas maximam partem à ventis pendere dicitur, adeò ut ventis mutatis ſubitus ſæpe ſequatur in ægrotantibus effectus ; exempla tamen ejus vix tam obſerves frequentia (ſuppoſito ventos ægrum corpus immediate non attingere) ventilant aërem venti, omnem tamen ejus ſalubritatem vix in poteſtate habent, quæ à tot cauſis pendet.

Aquilo multum dicitur auſtro præferendus ; nec dubites de eo in certo ſitu & caſu, etiamſi perpetuum id non æque li-

ceat

ceat pronunciare, ob frequentes quoque aquilonis noxas illatas corporibus debilioribus, pendentque ista plurimum ex reliquo regionis & loci situ.

In sanitate conservanda ante omnia monent observandum esse, ut temperies sanguinis & lymphæ conservetur, hincque omnia excessiva tam alimenta quàm medicamenta fugienda, temperata autem æstimanda esse; id verò pessimum ex in re erit, quod de eo non æquè conveniat, quidnam pro temperato habendum sit, multa enim pro talibus habentur, quæ omninò sunt excessiva sive qualitatem spectes, sive quantitatem qua assumi solent atque in usum duci; quis verò hîc speret consensum, in tanto opinionum animorumque divortio, tum quà medicamenta, tum quà alimenta.

Cum sanguinis laudabilis dispositio, temperies, vigor, ac consistentia à chyli potissimum probe elaborati pendeat dispositione, eò potissimum annitendum erit, ut recte procedat ciborum eupeptorum digestio, ventriculique conservetur tonus, ac menstrui vigor.

Alimenta igitur erunt optima, quæ chylum suppeditant blandum, gelatinosum, ac facile extrahendum; illa verò non congruent, quæ palato potius quam chylo serviunt laudabili.

Optima solent judicari alimenta, quæ duo chyli elementa, sulphur nempe blandum, ramosum, & serum dulce roscidum continent, quia chylum vocant emulsionem naturalem, proximumque sanguinis & seri nutritii elementum, constans ex particulis blandis, sulphureis, oleosis, & aqueis dulcibus; breviter, quæ gelatinosa sunt, blandamque secum mucilaginem gerunt, optime nutriunt reliqua hac indole destituta nutritioni minus apta.

Minus igitur laudabilem chylum dicuntur producere omnia indurata, salita, acida, nimis pinguia, leguminosa, spirituosa; hæc quidem quà spirituosa non possunt nutrire, le-

guminoſa verò, ſuppoſito ventriculi robore, ac tono huic claſſi videntur eximenda, utpote nutrientem præbentia ſuccum; talis quoque robuſtior ſtomachus nimio pingui poterit obrui, uti omne nimium vertitur in vitium, nimis pingue autem ipſi nihil facilè fuerit; de induratis quoque & ſalitis pro toni & temperamenti varietate variè erit pronunciandum.

Varietas ciborum non adeò nociva, ſed magis laudanda cenſetur, quia ſanguis conſtat ex particulis innumeris, & ratione figuræ ac molis diverſis; dubites verò de iſtius argumenti robore, cum utriusque varietatis alia planè ac diverſa ſit ratio; paucique cibi eam particularum varietatem & heterogeneitatem ſubminiſtrare omninò poſſint commodè, imò uniformis ſimplexque victus id præſtare poſſit; fruſtra igitur in varietate quæritur ciborum, quod in varietate contentorum ejusdem cibi continetur abundantiſſimè.

Largior ciborum ingeſtio plus negotii faceſſit ventriculo quàm copioſior potus, hic verò ſi ſpirituoſus, ardensve fuerit orgaſticum reddit ſanguinem, ſicque ex alio nocet capite.

Lac dicitur inter alimenta præſtantiſſimum, aſt requirere corpus purum, viſcera ſana, & primas vias liberas; benè eſt ſi requiſita hæc adſint, ſi non adſint, probum tamen manet alimentum, ejusque aſſumtio remediis tutior ſalubriorque eſt reddenda.

Alimenta quæ Sale volatili oleoſo pollent admodum habentur ſalubria, audias aliâs potius medicamenta hoc ex capite commendari, quàm alimenta, quæ nutrientia, gelatinoſa quidem eſſe debent, volatilitatem autem non requirunt, & ſi quidem in ſinu eam gerant occultam, ad nutritionis tamen haud concurrit negotium ſuis ligata compedibus.

Magna incommoda inferre corpori dicuntur cibi qui facilè in putrilaginem abeunt, uti mel, fructus horarii, ſaccharata, & facilè fermenteſcibilia; ex quo ipſo patet aliam eſſe fructuum cru-

crudorum, & ſaccharatorum rationem, utraque moderate ſumpta ſani facilè ferunt, impura verò corpora non impunè, facilius tamen dulcia quàm cruda, & diſtinguendum quoque inter fermenteſcibilia, ſeu turbas & orgaſmos humoribus inferentia, atque inter ea quæ in putrilaginem facilè abeunt, quamvis & hæc facilitas ſeu pronitas pendeat à ventriculi tono ac robore, facile ſi fortior ſit digerente id, cujus putrilaginem debilior vix impediat, quod vel ipſis accidere carnibus notum eſt.

Saccharata ſcorbuticis & hypochondriacis inſtar veneni eſſe dicuntur, quoniam humores reddant corroſiviores; de abuſu res certa eſt, non de uſu moderato, qui non rarò hypochondriacis ſatis commodus utilisque eſt; habet ſaccharum acrimoniam ſed non ſtatim evolutam & ſui juris, qualis ſanè vel major etiam pani ineſt; fermentationem potius in quibusdam movent ſaccharata in humoribus, hincque parcius erunt in iis adhibenda.

Acidum & frigus hypochondriacis & omnibus, qui nervos habent imbecilles admodum obſervatur infenſum; intelligе utrinque exceſſum, cum ſæpe & mitia acida & frigus moderatum haud ſine commodo ferant; fortius verò acidum crudum chylum, ac turbas excitat in primis viis, frigus autem intenſius teneras affligit fibras, ſtaſinque humorum inducit acida, dulcia, ſpirituoſa infantibus venena dicuntur; magis tamen acida, quippe lacteum corrumpentia nutrimentum, & ſpirituoſa blandis ætatis hujus ſuccis improportionata, dulcia non æquè omnia nocent, imò tum potius cum nimia exhibentur, ac pervertuntur ab acido, quod offendunt in primis viis, aliâs ſæpe blandi remedii loco erunt, ac vehiculum remediorum.

Lac nutricis nimis craſſum, butyroſum, ad coagulationem aptum, infantibus peſſimum dicitur; omne lac aptum eſt ad coagulationem, minus tamen butyroſum, neque iſta ſunt confundenda, cum ab acido ſe evolvente, vel extrinſecus admixto coagulatio oriatur.

Senes

Senes monentur ut fugiant omnia acida, flatulenta, viſcida, frigida, gaudeantque cibis optimi ſucci; rarò tamen iſta obſervant, nec eadem omnibus dari regula poteſt, cum mire inter ſe differant ratione virium, toni ventriculi, imò roboris totius naturæ.

Vinum generoſum parca manu datum ſenum lac dicitur; lactis tamen officium non præſtat, excitat, confortat, non nutrit lactis more; nec deſunt ſenes calidi, tenerisque præditi nervis, qui tutius abſtinerent vino, ſibique illo graviter nocent, cum putent prodeſſe.

Alimentorum magnam vim eſſe ex eo colligunt, quod humorum & ſpirituum præbeant materiam, ac proin qualia ſint alimenta, tales etiam eſſe humores, mores, ſpiritus, & inclinationes. Quæ quidem non ita abſolute ſumenda ſunt, utut enim humores ſpiritusque ſuppeditent alimenta, illi tamen non ſemper conveniunt cum alimentis, ſæpe bona alimenta pravos miniſtrant ſuccos vitio organi ſeu ventriculi, ſæpe pravo & exigua, duraque alimenta laudabiles ſuccos præbent ob organi robur, ac menſtrui vigorem; mores proin atque inclinationes remotius rariusque connexio hinc deducentur, nec tam arcta connexio eſt.

Carnes aſſatæ meliores ſemper coctis dicuntur; ſed nec omnibus, nec ſemper ſunt meliores, eſt ubi carnium præcipue ſuccus, isque integer expetitur, coctione plenius obtinendus quàm aſſatione; nec aſſæ carnes gelatinoſa præbent juſcula ſed coctæ, &c.

Juſcula ex bonæ notæ carnibus confecta plus nutrire, & ſtomacho minus faceſſere negotii dicuntur quam ipſæ carnes; proin ægris convenientiores fuerint; erunt tamen quibus præferendæ ſint carnes juſculis, quibusque proficuum ſit ventriculum faceſſere negotium aliquod, & ſolidiorem præbere illi cibum digerendum.

Bis de die edere quam ſemel præſtare arbitrantur alii, alii ſemel ſaltem cibum capiunt. Præſtabit tamen partiri operam ventriculi ac bis ipſi mediocre negotium faceſſere, quam ſemel operoſius atque abundantius, unde cruditatum facilior accumulatio, aliaque incommoda erunt metuenda.

Victum plenum & tenuem non eodem ſenſu omnes ex æquo æſtimant vel Medici vel nationes etiam; nota eſt Italorum tenuis imò tenuiſſima in morbis diæta.

Communiter plenum victum illum vocant, qui conſtat ex carnibus durioribus, infumatis, pane, vino generoſo, cereviſia craſſiori ac ſpirituoſiori; qui tamen victus non tam plenus, quàm durior, & naturæ gravior dici mereretur.

Tenuem autem victum conſtare dicunt ex carnibus molioribus, juſculis, vino rhenano & cereviſia tenui; qui ſane victus tamen adhuc pleniſſimus eſt, nec tenuis; res omnis redigitur ad tonum ventriculi, ad cibi parcitatem, menſtrui vigorem, cruditatum abſentiam; idem victus diverſis erit uni plenus, alteri tenuis, pro ventriculi robore, vel conſuetudine, vel naturæ neceſſitate &c.

A victu pleniori abſtinere jubentur omnes, qui debilioris ſint ventriculi, ex morbis convaleſcentes, phthiſici, hectici &c. Duriorem ſane hi victum impune non ferunt, nec plenum, nec abundantem licet tenuem, nam & tenuium & facilium coctu ciborum noxia eſt quantitas, etiamſi laudabilis ſit qualitas & digeſto facilis.

Monent hinc ut victus ſit nec nimis tenuis nec nimis craſſus, ſed mediocris, modò addiderint, quantitate ſumendum moderata qualiscunque fuerit.

Corpora impuniora quò magis nutriveris eò magis læſeris; cruditates enim jam collectæ novum inquinant chylum, malumque additur malo, facilè in majores erupturum turbas.

Duriores & concoctu difficiliores cibos monent prius aſ-

ſumendos, deinde leviores, ac cæteros; ſi alii ſuppetant præſtabit coctu difficiliores planè non aſſumere; aliis verò eodem res recidere videbitur, quocunque ordine aſſumantur diverſi cibi, qui ſcil. attendunt ad perpetuum ventriculi omnia miſcentis motum ac trituram.

Prandium ſemper cœna eſſe debere liberalius monent; alii rem invertunt, conſuetudo, & corporis diſpoſitio ac digeſtionis vigor quemque certiora docebunt, præſtat & in cœna & in prandio nonniſi neceſſaria corpori ſubminiſtrare.

Tempore matutino aſſumpta valde dicuntur alterare ventriculi fermentum, hinc & ſtomachica hoc tempore aſſumpta multum facere; quia vacuus tum ventriculus & à ciborum reliquiis expeditus eſt.

In cœna liquidiora & facile reſolubilia commotius aſſumuntur, quoniam nutritionem noctu meliorem, reſolutionem autem ciborum difficiliorem exiſtimant; utraque verò æquabiliter & diurno & nocturno ſuccedit tempore ſi nunquam prægraves ventriculum cibo, ſed parcas ipſius fibris ac tonos ſemperque attendas illius viribus ac corporis, digeſtionisque vigori.

Medicamenta balſamica temperata, inter cibos aſſumta uſu continuato maximam habere vim dicuntur in morbis chronicis alioquin rebellibus; nec deerunt tamen qui præferant alia quam cibi aſſumti tempora, malintque antea vacuo ventriculo talia etiam balſamica aſſumere, vel expectare donec iterum depletus ille fuerit, niſi tonum libeat tragea quadam poſt paſtum roborare.

Aquam illam cenſent optimam, quæ cryſtallina, inſipida, & levis ſit, nec facilè vertatur in glaciem; quid ad rem faciat ultimum hoc non liquet, nec levitas propria bonitatis nota ullo cum fundamento erit; uſus hîc magiſter erit optimus atque experientia.

Ab aquæ ſolubritate & aeris maximam partem ſanitatis noſtræ pendere monet, ſine excluſione tot aliarum rerum concurrentium, quorumque æquale vel majus hac in re pondus eſt.

Aqua dicitur verum menſtruum macrocoſmicum & microcoſmicum, & quò illa purior, ſalibusque privata, eò melior habetur ad laudabilem in corpore noſtro lympham generandam; quanquam lymphæ præſtantia non ſoli aquæ, ſed principio potiſſimum gelatinoſo debeatur; dubites tamen an illa ſemper melior ſit aqua, quæ minus habet ſalis, communis enim & inſipida aqua ſemper parum habet ſalis, aliquid tamen habet quævis nec forſan optima nimiam inter omnes portionem.

Aqua potus naturaliſſimus, & illis qui eidem aſſueverunt admodum habetur ſalutaris; magisque videntur gulæ ac palato metuere, quam ventriculo vel ſanitati, qui exiſtimant, omnem aquam ejusque potum debilitare ventriculum; conſuetudinis verò magnam eſſe vim fatemur, quæ tamen & contraria conſuetudine poteſt vinci.

Vinum temperatum habetur optimum, nec nimis acidum, nec tartareum, nec dulce nec ſpirituoſum; iſta verò pro temperamentorum, & diſpoſitionum varietate variant; multumque tribuendum conſuetudine, quæ ea facilè ferre doceat vina, quæ alii non ſine ſumma ferrent moleſtia, ut quod uni acidum, noxiumque eſt, alteri tale non eſſe videatur.

Vinum generoſum ac bonæ notæ parcè ſumptum inter ſtomachica, cordialia, & confortantia primum obtinere locum dicitur, intellige pro ſanis, iisve qui ordinariò vinum non hauriunt inque morbis qui ferant vinum, ſæpe enim vel modicum ejus graviſſimè noceat.

Vina varia ſeligenda pro diverſitate temperamentorum, populorum, ac conſuetudinum; huic enim plurimum tribuendum; omnium tamen uſus nimius eſt periculoſus; mirum hinc plures tantam ejus vim tam diu impunè ingurgitare, tanta eſt vis pravæ etiam conſuetudinis.

Aquæ vitæ admodum ſpirituoſæ tempore matutino & ventriculo vacuo exiſtente ſumptæ ſomnum inferre temperatæ autem & ipſos inter cibos hauſtæ, fermentationem & ſpirituaſcentiam ſanguinis & chyli blandè dicuntur juvare ; videas tamen qui utrasque egregiè ferunt, alios qui ab utrisque graviter lædantur quocunque etiam tempore hauſtis, cautè igitur talia adhibenda, neque unquam tantum digeſtionis promotioni favent quanto perſuaſum eſt vulgo, utut in quibusdam ſtimulando ventriculum eam juvet tantiſper, chylum tamen non adeò efficit laudabilem, in aliis omnino pravum, crudum, noxiumque &c. alia autem eſt ſanguinis boni ſpirituaſcentia quam quæ oriri queat ab ardentibus ſpiritibus, qui ſanguinis potius in plerisque vigorem debilitant, imò ſub abuſu deſtruunt.

Cereviſiæ illæ laudantur, quæ ſint temperatæ, nec facilè aceſcant, caput non repleant, ac per primas facilè vias transeant; multum verò & hic dandum conſuetudini, vitæ generi, tono ventriculi, ac temperamentorum varietati.

Omnis potus matutinus, & in ſera nocte aſſumtus ſanitati multum officere judicatur ; interim multi promiſcuè manè ac veſperi ingurgitant ſine noxa manifeſta, alii vinum, aliqui recentem aquam, alii calidos ſine fine potus, &c.

Potus calidi, ut infuſum herbæ Theæ, veronicæ &c. calore, tenuitate, ac fluiditate ſua humores viſcoſos reſolvere, ſanguinem fluidum ſervare; & ejus circularem motum promovere, acrimoniam ſalinam abſtergere, illamque per ſudorem & urinam educere cenſentur. Sit tamen & hîc modus in rebus, ſint certi denique fines, quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum; qui tamen fines habent latitudinem pro varietate ſubjectorum mire etiam in hoc variantium, quidam verò nimium in iſtis excedendo ventriculi tonum, & fibrarum ejus robur, & oblinentem mucum, & menſtrui vigorem perdunt incautè. Poſt potum calidum in copia aſſumtum, ſtatim ventriculum

cibis

cibis replere, & frigori ſe exponere peſſimum dicitur; frigus enim tranſpirationem largiorem inde excitatam ſubitò non ſine diſcrimine reprimit, nec ferre cibos valet ventriculus aquarum calidarum mole obrutus diſtentusque ac fervefactus &c.

Infuſum Thée dicunt magis eſſe temperans, Coffée magis deſtructivum acidi, Succolada nutriens ac nervinum; præcipuè quærendum an tibi talia neceſſaria ſint, plerumque enim iis utuntur quia mox ita fert vel conſuetudo, & ii maximè qui omnibus iſtis poterant carere; Thée temperat quidem, ſed & alios exſiccat, & calefacit, noſtrates herbæ ſæpè fuerint convenientiores & ſcopo temperandi, & eluendi, & diluendi, & acidum domandi &c. ſaccharum additum ſæpe plus nocet quam proſit aqua pota; ſuccolada plerumque palato magis ſervito.

Potus calidi nimia in quantitate & uſu intempeſtivo hauſti, tonum ventriculi laxare, & corpus infirmare non immeritò dicuntur, optimarum enim rerum peſſimus eſt abuſus, his verò nimium videmus abuti bibulos, & quantitate & qualitate, imò & additione ex quorundam more volatilium nimia

Motus & vigiliæ excitare ſpiritus, ſomnus & quies ligare eos magis dicuntur; eſt verò ubi & ſomnus & quies excitent magis ſpiritus quam motus & vigiliæ, ubi ſcil. illi ſunt exhauſti ac debilitati, ibi per motus novos non excitantur ſed proſternuntur, è contra quiete inſtaurantur ac vigorem acquirunt.

Æquilibrium uti in omnibus rebus nonnaturalibus ſic quoque in ſomno, motu & quiete ſervandum eſſe paſſim monetur; omninò enim hic proportio requiritur, quæ tamen inſigni gaudet latitudine, ob ſubjectorum inenarrabilem qua res iſtas varietatem, ac conſuetudines, habitusque corporis varios &c.

Somnus meridianus non æquè omnibus probatur, cenſent tamen plerique, eum non omnibus nocere, præcipuè aſſuetis, ſed tempore tamen æſtivo magis prodeſſe; quibusdam

nunquam convenit, quibusdam ſempet, aliis aliquando nemo tamen ſatis exactè hîc penſitat circumſtantias, ſed quilibet pro lubitu, arbitrioque ſibi fingit regulas, ut fert commoditas, otiumque ſæpè non ſine diſpendio ſanitatis, quæ majorem hîc attentionem requireret, quidnam verè proſit, quidque vel ferat, vel requirat, vel ſuadeat corporis diſpoſitio &c.

Ignavia enervare vires dicitur, excrementorum congerie quotidiè in majus creſcente, calore verò conſopito languente; ſupponendæ tamen ſunt vires ad activiorem vitam neceſſariæ, ne reliquiis vano inutilique motu diſſipatis corruat omnis corporis vigor; ita enim ignavia vitanda, ut nec nimium teneræ fibræ, tenuesque ſpiritus laceſſantur.

Unde quando dicitur: Sicuti ſtagnantes aquæ putreſcunt, ſic etiam ſanguis immotus manens, non de quovis intelligendum motu, nunquam enim conſtitutus in perpetuo circulo ſanguis niſi in morte plane quieſcit, ſed de motu corporis intelligendum eſt, qui vigorem conciliet ſanguini, ſimile verò valdè diſſimile eſt, cum alia ratio ſit aquæ, alia ſanguinis, hicque longè citius putreſcat à quiete.

Vigiliæ dicuntur nimis exſiccare, ſpiritus conſumere, & vires enervare; ſomnus verò nimius torporem undique inducit, cumulat cruditates & humores lentos efficit.

Motus fortior ante aſſumtos cibos melior habetur quam poſt illos, cum ille acuat appetitum. abſumatque ſi quid reliquum in ſtomacho ſit cruditatum, hic verò chylificationem præcipitat, chylumque efficiat crudum, & non ſatis excoctum, ſpiritibus qui ſervire debebant digeſtioni in motus validos inſumtis, chyloque citius quam par eſt promoto.

Somnus optimum virium refectorium eſt; ſic enim ſpiritus quieſcentes ſeſe recolligunt, eorum copiæ inſtaurantur, fibræ tonum ſuum recuperant, niſi ab aliis viciſſim cauſis

sis dejiciantur, uti à crapula, affectibus animi, mœrore, indignatione &c.

Mens verò tranquilla meritò dicitur optima ad vitam longævam medicina; hæc enim vigorem spirituum, tonum fibrarum, humorum crasin conservat integram.

Transpiratio, alvus libera, & excretio urinæ semper procuranda meritò monetur; quæcunque enim harum excretionum diutius quam par est supprimatur, ea molestias corpori præsentaneas minatur non solùm sed inferre mox incipit.

Gaudium moderatum affectus est ad vitæ prolongationem quam utilissimus; immoderatum enim se fuerit morbos, mortemque ipsam posse producere docuit experientia.

Cum verò dicunt amare sanitati magis prodesse quàm nocere; loquuntur nimis generaliter, ob adjuncta plerisque amoribus mala, molestias, turbas, inquietudines &c.

Nihil magis vitam observatur abbreviare, quàm continuus mœror ac tristitia, spiritus enim continuò dissipat, opprimit, fatigat, fibrarum tonum pessundat, humorum crasin pervertit, consistentiam ac vigorem depravat, vappescentiamque inducit.

Affectus scilicet animi excedentes æquilibrium spirituum animalium, sive elaterem eorundem naturalem tollere solent, uti ira, nimium gaudium, amor insanus motum nimis augent, terror verò, metus, tristitia, eum imminuunt, elaterem deprimunt, ligant, torporem inferunt, dissipant, prosternunt; adeò ut plus quam omnes cæteri circa gulam excessus graves sint corpori atque exitiosi animi affectuum agitationes, excessus, atque nimiæ hinc spirituum humorumque turbationes.

Cap. III.

Cap. III.

DE REGULIS SPECIALIBUS IN DIÆTA OBSERVANDIS.

CORpora ſicca humectare dicuntur labor minor quam ex conſuetudine, frequens balneum, cibus plenior, multa potio, & poſt hanc ambulatio, vigiliæ, & omnia genera ciborum qui gelatinoſam ac mucilaginoſam ſubſtantiam continent; de frequenti balneo tamen non immeritò dubites, vixque balneum erit, etiam leniter calidum quod non ſiccet aliquo modò, humectatio autem per balnea vix ſuccedet; multi cibi plus ſiccant quam humectant, uti & vigiliæ; nec cibi mucilaginoſi promiſcuè humectant, niſi multo blando ſero diluantur probè ac perfundantur.

Corpora nimis humida ſiccare dicuntur, exercitatio immodica, fames, ſpiritus vini, balneum ſiccum, ſal immodicus, & cibus exercitationi ſtatim ſubjectus, & is ipſe ex volatilibus, ſalinis calidis particulis conſtans. Sed nec hic cibus admodum conveniens, nec immodica exercitatio, nec immodicus ſalis uſus, tutò unquam adhibebitur, nec tam fames ſiccat ſecurè, quam parcior victus, imò magis parcior potus.

Inædiam facillimè ſuſtinent mediæ ætates, minus juvenes, minimè pueri, & ſenectute confecti; multum verò & hic conſuetudo valet, quæ efficit ut & ſenes facilius ferant inediam quam ætatis mediæ homines non aſſueti &c.

Qui increſcit maximè agere cibo dicitur, quanquam & hi plerumque tamen in capienda cibi quantitate excedant, & plus capiant quam utile ſit; multi ſane quantumvis largiter paſti minimè tamen vel creſcunt, vel etiam nutriuntur, imò quò voracius edunt, eò magis tabeſcunt.

Cali-

Calida lavatio & pueris & ſenibus apta dicitur ; cæteris ſcilicet paribus, ſunt enim & ſenes plurimi, & plurimi pueri quorum orgaſticus ſanguis non admittit calidam lavationem, idioſyncraſia & conſuetudo hîc conſulenda.

Vinum dilutius juvenibus, ſenibus meracius conferre ajunt ; niſi aliud ferat conſuetudo, aut ſpecialior diſpoſitio corporis, multi enim ſenes hoc non ferunt.

Juvenum minus, quæ aſſumant, intereſſe dicunt ; ſed ſæpe ſenes id minus curant, ſuamque negligentiam ferunt impunè, dum graviter plectuntur juvenes rerum ſuarum minus curioſi atque attenti ad diſcrimina ciborum.

Hyeme plus jubent comedere, aſt minus bibere, & victu uti pleniore æſtate verò plus bibere, quam edere & victu gaudere debili; qui verò moderatè ut par eſt cibo potuque & ad ſolam utitur neceſſitatem, is nullum diverſa tempeſtate obſervabit diſcrimen, ſed ad naturæ indigentiam ſolam nunquam non reſpiciet, ſi ſanitati ſuæ faveat, cæteris fruſtra dantur regulæ.

Solis ardorem nimium ſemper monent vitandum; intellige ſi per vitæ genus liceat, ſunt enim qui illum facilè ferant, aliis verò tenerioribus admodùm nocet, quod & ſpiritus, & humores nimium commoveat, cieatque, & debilitet fibras; Semper poſt cibum conquieſcere, ac neque intendere animum neque ambulatione quemvis dimovere expedit juxta nonnullos ; alii rectius poſt aſſumtum cibumenem commendant deambulationem ac motum, cum nimia quies flatus aç cruditates gignat.

Qui coli doloribus aſſueti ſunt jubentur uti cibis concoctu facilibus, potionibusque ac cibis calidis, & balneo, denique omni modo evitare frigus, item dulcia omnia, legumina, & quicquid flatibus præbeat materiam ; quæ tamen non promiſcuè omnia admitti queunt, cum colicæ plures dentur

tur ſpecies, nec omnibus eadem conveniant vel evitanda ſint; nec omnia dulcia nocebunt in colica vel flatulenta, vel ſpasmodica; nec balnea plerisque convenient; neque omnia legumina nocent omnibus, nec eadem omnium leguminum ratio eſſe cenſenda eſt. Diſtinguendum quoque inter colicam, & qualiacunque ventris tormina, quæ variè nunc cum diarrhæa nunc cum conſtipatione junguntur.

Qui ſtomacho frigido laborant, iis exercitium vinum, vel potus calidus optimus eſſe dicitur, & cibus concoctu facilis; ſunt verò multi qui frigido ſe laborare credant ſtomacho, cum talem revera non habeant, hinc innumeri in diæta errores; neque tamen, ſi fuerit talis ventriculus promiſcuè exercitia ac vina conducent; neque enim tutò ab uno extremo, niſi circumſpectè ac per gradus, ad alterum fit tranſitus; unde neç calidus potus iis promiſcuè fuerit utilis.

Quibus nervi dolere & infirmi eſſe ſolent, vitent venerem, craſſos cibos, partem quæ affecta eſt, objiciant labori ac frigori, niſi cum dolor increverit, ſub quo quietem eſſe optimam ſimul monent. Alia verò ratio eſt nervorum dolentium, alia debilium utut enim iſta non rarò concurrant, perpetuò tamen juncta non ſunt, neque eandem præcisè poſtulant diætam; frigus tamen utile nunquam erit, ac rarius labor, niſi valdè moderatus.

Bona ventriculi coctio omnibus vitiis & morbis occurrere dicitur intellige vitia & morbos qui hinc ſuam petunt originem, quanquam nec in diæta proſit hoc noſſe.

Aer athmoſphæricus omnibus ulceribus & vulneribus meritò habetur inimicus; ſcilicet ob elaterem ſuum, perpetuamque impreſſionem, & admixta heterogenea, tanquam fermenta peregrina; eſt tamen inter ipſos regionum variarum aëris differentia.

Fri-

Frigus inimicum habetur ſenibus tenuibus, vulneribus, præcordiis, inteſtinis, veſicæ, auribus, coxis, ſcapulis, naturalibus, oſſibus, dentibus, cerebro, nervis; & majori jure addas oculos, qui non uti oſſa, cerebrum, inteſtina, veſica &c. latent ac integumentis muniuntur ſpiſſis; & cur non dicatur frigus, intellige nimium, (moderata enim ſæpiſſimè utiliſſimum & pro conſervanda Machina noſtra neceſſarium eſſe nemo non videt) omnibus corporis partibus & ſolidis & fluidis, ſi illi plus quam par eſt exponantur, eſſe noxium atque infenſum.

In morbis à cauſa calida ſalina omnia, aromata, calida, acria, omni modo ac ſtudio evitanda dicuntur; ea verò ſalina & acria excludi cenſenda ſunt, quæ augent calorem, efferosque cient humorum motus, non lenia, blanda, acidula, nitroſa &c. quæ potius apprimè conducunt.

Ferè omnis ventus à maditerraneis regionibus veniens ſalubris dicitur, à mari verò gravis habetur, morbi etiam pejores bono tempeſtatum habitu & leviores eſſe & promptius finiri obſervant; vim tempeſtatum ad morbos quis negare auſit? neque tamen omnes venti è mediterraneis locis ſpirantes promiſcuè boni haberi poſſunt, cum & illi noxias advehere partes, ſuoque vel vigore vel aliis pravis qualitatibus graves corpori eſſe queant.

Peſſimum ægro cœlum habetur, quod ægrum fecerit; ſi quidem fecerit, nec fallacia non cauſæ ut cauſæ fuerit commiſſa, uti frequenter accidit.

Rectè monent, Medicum debere exactè noſſe alimentorum proprietates; quid verò juvat eas noſſe, cum nemo medici circa iſta expetat conſilium, ſed ſibi quisque ſapiat damno ſuo, ac gulæ ſerviant plerique.

Omnia legumina quæ ex frumentis panificia ſint, va-

lentiſſimum præbere alimentum dicuntur, item omnia grandia animalia, marina, ex avibus, feris, quadrupedibus, dominatis, quò referunt mel, lac, caſeum, ſalita ; ſed nemo non videt ingentem inter iſta pleraque differentiam, nec teneras carnes etiam grandium animalium juniorum, conferas facilè ac confundas cum tenacibus aliorum; nec minorum animalium carnes ideò ſunt teneriores, ac mollius nutrimentum ad medium victum referunt olera, bulbos, piſces, qui ſalem non patiuntur, ex quadrupedibus leporem aves pene omnes; uti verò piſces ſunt diverſiſſimi, ita nulli tamen pertinent ad alimentum optimum ; aves verò earumque carnes gradibus quoque diſtant ferè infinitis, etiam minorum ; olerum genus nimis amplum idem judicium non admittit, nec eandem ſubit alimenti claſſem; bulbi qui nam & quo jure huc ſpectent vix liquere arbitror.

Imbecilliſſimum alimentum præbere ajunt, omne olus, & quicquid in caule naſcitur, uti cucurbita, cucumeres, omnia poma, cochleæ, conchylia ; quam verò iſta diverſa ſunt ? quid cucurbitæ ac cucumeribus cum cochleis quos tanquam ſummè Nutriens tabidis toties videmus commendari, ipſa tamen hæc conchylia ad valentius nutrimentum pertinent, quodque ventriculo haud parum faceſſat negotii; licet enim teſtudines adeò commendent ; id tamen ad juſcula potius quam ipſas carnes malunt alii reſtringere.

Plus alimenti eſſe in pane quam in ullo alio cibo aſſertum vulgare eſt, ad nimium id alimentum eſt univerſale; erunt tamen quibus alia ſub ſpecie, farinæ &c. vegetabilis hæc mucilago ſeu gelatina, quæ tritico ineſt, magis conveniat quam ſub panis ſpecie ſicci ; unde & hic in juſcula rurſus redigitur, & eſt panis ipſius infinita varietas, pro levitatis, raritatis, maximè verò contentorum varietate innumerabili, ac fermentationis gradibus in præparatione adhibitis, graduque ignis excoquentis &c.

Car-

Carnem ſuillam ajunt facillimè apponi, & cedere in alimentum, ſed tranſpiratione egere, ne excrementum fiat ſimul alimentum. Dubites an tam promptè nutriat, atque an præferenda ſit aliis melioribus ac melioris conſiſtentiæ carnibus in hoc tertio; nec tamen omne quod in carnibus excrementitium eſt per tranſpirationem eliminatur; in inteſtinis fit præcipua ſecretio.

Ex potionibus quæ ex frumento factæ ſunt, item lac mulſum, vinum dulce, aut vehemens, aut magnæ vetuſtatis vehementiſſimi generis dicuntur, aqua vero omnium imbecilliſſima, multæ tamen cereviſiæ tenues huic vix cedunt imbecillitate; ſunt verò inter reliqua illa potulenta gradus innumeri; & maxima inter ipſas inſipidas licet aquas differentia; aqua tamen laudabilis, vel & cocta palmam plerisque reliquis eripit, ratione ſcoporum qui præfixi potulentis cenſentur, diluendis ſcil. cibis, ac ſanguini ſubminiſtrandis fluidis portionibus, tanquam baſi fluidi vitalis; quod enim à ſpirituaſcentia reliquorum expectant potuum, id accidentarium magis eſt & ab ipſis quoque alimentis ritè aſſumptis accedere ac peti poſſe docent ruſtici robuſtiſſimi ſub perpetuo aquæ potu ac raro vini uſu.

Aqua leviſſima pluviatilis dicitur, deinde fontana, tum ex flumine, poſtea ex puteo, poſt hæc ex nive, aut glacie; gravior habetur illa ex lacu, graviſſima ex palude. Iſta verò omnia nec certa, nec perpetua ſunt; nec eadem ratio aquæ ex nive & ex glacie; hæc enim eadem erit quæ ante glaciationem, illa verò decidens ex nubus eadem cum pluviali eſt, nec proin poſt tot alias ponenda aquas, vel tantum à pluviali ſegreganda intervallo; nec putealis ſemper ultimi erit loci & ordinis, & levitatis & bonitatis, quæ cum levitate non ſemper ac neceſſario coincidere cenſenda eſt.

Dicitur equidem, quod ex pondere appareat quæ aqua

ſit levior ac melior, quoniam levior citius incaleſcat & frigeſcat, & citius ea molleſcant cocta legumina; hæc verò omnia nec levitatis nec bonitatis vera ſunt & genuina indicia. Nec video cur in levitate præcisè bonitatis ratio ponenda ſit; iſtæ enim quæ inter ejusdem regionis aquas obſervantur gravitatis differentiæ, tam ſunt exiguæ, ut imperceptibiles planè innoxiæque haberentur & forent, niſi ſubtiliora inſtrumenta hydroſtatica tantillam illam indicarent detegerentque ponderis differentiam.

Alimentum quo ſit valentius eò minus facilè dicunt concoqui, ſed ſi concoctum ſit plus nutrire, & contra; videtur æquivocatio quædam latere in voce valentioris alimenti, ſi enim idem ſit quod durius, coctuque difficilius, non eò melius-alet quò valentius fuerit; ſi verò id dicatur quod plus, & abundantius nutrit, vix ſtabit inconcuſſa hæc theſis, cum vel ſola gelatina, & optimæ molliſſimæque carnes ac tenerrimæ, imò ipſum lac, &c. inter optima & alimenta & nutrientia meritò teneant primas, cum tamen concoctu ſint facilima &c.

Hinc nec promiſcuè admitti poterunt omnes quæ huc ſpectant regulæ, cum v.g. dicunt: Hominibus qui ſunt imbecillis naturæ, qui morbo adhuc laborant, vel ex morbo evaſerunt, alimentis infirmis parum alimenti habentibus opus eſſe; Mediocriter firmos mediam materiam optimè ſuſtinere, robuſtis robuſtiora & magis ſubſtantifica apta eſſe; neque enim idem eſt parum habere alimenti cibum aliquem, & facilè concoqui; facilia concoctu requirunt convaleſcentes ac debiles, ſimul tamen optimè nutrientia, & ferè tota in nutrimentum convertenda, exemplo lactis & farinæ, quæ ſanè & infantibus, & adultis, & infirmis, & robuſtis pro varia combinatione & compoſitione congruunt præ-

præbeant alimentum , experientia quotidiana id abundè teſtante.

Juſcula ſic dicta confortantia, ſubſtantifica, pinguia febricitantibus & aliis ægrotantibus valdè obeſſe quibusdam dicuntur ; pinguia verò & gelatinoſa ac ſubſtantifica non confundenda ſunt ; juſculorum ſanè magna in morbis commoda ſunt , quæ tamen nemo vel commendet pinguia vel exhibeat; niſi qui hoc monent reſpiciant canonem: Corpora impura quò magis nutriveris eò magis læſeris ; quod tamen in bonæ notæ tenuibusque juſculis non metuendum.

Gravidæ jubentur exactiſſimè obſervare ſex rerum non naturalium uſum , & vitare omnes motus animi & corporis fortiores , & quoscunque turbas in ſanguine & liquore animali excitare , uterumque irritare poſſint ; miretis hinc tot gravidarum enormes exceſſus , eosque graviores aliarum erroribus non gravidarum , quos tamen plerumque impune ferunt, ut abierit in axioma conſuetum , gravidis nihil nocere quicquid ingerant cibi , hinc tot licentiæ quas ſibi ſumunt ; ſunt tamen etiam quæ plectuntur graviter ; ad minimum frequentiſſima in fœtum tranſit noxa , hinc tot infantes epileptici &c.

Acida , ſpirituoſa, alvum obſtruentia , chylificationi reſiſtentia, gravidis & puerperis inimica dicuntur ; Eſt verò alia planè ratio gravidarum , alia puerperarum, hæ enim conſiderandæ tanquam graviter vulneratæ , nec quidquam iſtorum facilè ferunt impunè, quæ gravidæ tota die ſine noxa admittunt; ſunt tamen & puerperæ robuſtæ omnem ordinem negligentes.

Puerperis verò primis à partu diebus victus meritò commendatur tenuiſſimus, fugiantque omnia frigida, acida, fermenteſcibilia , motus graviores tum animi tum corporis,

tran-

transpiratio in iis sit libera, & diæta prorsus excarnis; habent tamen & ista latitudinem, variantque quò speciales individuorum dispositiones; unde & plures mox sine noxa tenerioribus vescuntur carnibus, utuntur aliæ mox vino, aliæ graviter ab ejus usu offenduntur, sunt quæ vix post partum unam alteramve decumbant horam redeuntes mox ad labores suos, aliis per plures etiam septimanas lecto affixis, vixque vires recuperantibus adeò varia est roboris, temperamenti, idiosyncrasiæ ratio &c.

Nutrices monendæ ut omni sedulitate caveant ab acidis, spirituosis, acribus, & animi pathematibus, hæc enim luctuosam plerumque exhibent catastrophen in ipsis infantibus, quotidiana id testante experientia; ac mireris innoxias quarundam excessus, cum aliarum tantilli errores tam citò per lac in infantem transfundantur.

Infantes in lucem editos jubent oleo amygdalarum dulci, & syrupo rhabarbari primum purgare, alvumque semper servare apertam, ac inhibere lactis coagulationem quò facere dicuntur terrea, absorbentia, carminativa, sale volatili oleoso imbuta; intellige verò mitissima ac blanda, in quibus non nimis prædominetur oleosum volatile sal, aliàs noxium futurum tenellis; sic verò anisi semen cum absorbentibus & liquiritiæ radice miscent &c.

Plurimi infantes ex copia lactis morbos lethales sibi contrahere dicuntur; nisi malis lactis coagulationi ob cruditates stomachi acidulas id adscribere potius quam soli & in se spectatæ quantitati; vix adeò noxiæ.

Lenia emetica infantiles morbos plures avertere dicuntur; emetica scil. per accidens magis, ob facilem in illis vomitum, propriè enim dicta emetica minus infantibus tuta meritò alii judicaverint; notum verò quàm infantibus quibusdam faciles sint frequentesque, cum euphoria vomitus sine emeticis.

Medi-

Medicamenta magis nutricibus propinanda monetur, quam ipſis infantibus, & hæ exactum vitæ regimen tenere jubentur in morbis infantum; ut ſic & lac corrigatur, & cum lacte medicamenti moleculæ infanti ſuggerantur, illiusque maſſæ ſanguineæ inferantur.

Infantibus ſæpè exhibendum monent alimentum, ſed paucum quâvis vice, videndumque ſemper ut tranſpiratio ſit libera; ſic enim colligi non poterunt cruditates in primis viis, qui morborum infantilium cauſa ſunt præcipua.

Pueris ſubtrahenda dicuntur ſpirituoſa, mellita, lacticinia, ſaccharata, omniaque muſcarum ſordibus & ovis conſpurcata, quippe quæ lumbricos foveant & gignant; dubites verò an ex muſcarum ovis gignantur lumbrici, tota ab illis ſpecie diverſi ac genere omninò; de mellitis, ſaccharatisque non niſi in exceſſu datis res intelligenda, cum talia etiam tanquam utilia medicamenta & præſervatoria media ipſis exhibeantur; ſpirituoſa verò ſemper illis contraria ſunt; lactis uſum quis improbet, cum id unicus ſit ferè omnium & cibus & potus? alia verò lacticinia nemo exhibebit facilè infantibus &c.

Adoleſcentibus & juvenibus dicuntur convenire lenes corporis motus, ſaltatio, exercitia moderate adhibita; nocere verò ipſis & illorum ingeniis ceu peſtem, ebrietatem, venerem, crebrum purgantium uſum; neſcio cur ab hoc ſibi metuant, quem rarò admittunt; reliqua noxia utinam agnoſcerent; exercitia verò iſta nec ſunt tam moderata, neque ulla alia ætas feret motus fortiores, ſi hæc illos ferre nec poſſit nec debeat, nec iis aſſueſcat corporis robur &c.

Virili in ætate qui ſunt in ſex rerum non naturalium uſu mediocritatis obſervare terminos jubentur, & interdum uti infuſis purgantibus, potu calido theæ, caffé, balneis, & ſudoriferis; vel, ſi valeant, his potius abſtineant omnibus; inſtar omnium erit diæta moderata & animus liber &c.

Senili ætati ſacra dicuntur omnia confortantia, humidum radicale conſervantia, ſuccolada, juſcula alimentoſa, ſtomachica, ſalia volatilia oleoſa, ambrata ; nocere ipſis ajunt purgantia, aloetica, ebrietatem, venerem, & cibos concoctu minus faciles ; Sic verò regulas præſcribunt Medici quas nemo obſervat tum juniorum tum ſeniorum ; ſenes aut ſunt vegeti atque alacres, tumque ſibi blandientes nullis ſe regulis adſtringunt, aut valetudinarii magis, tum ſibi plerumque nocent perverſa qua ſibi videntur proſpicere diæta, & abuſu præſertim calidorum &c.

Fumus nicotianæ magis tanquam medicamentum quam ad delectationem adhiberi deberet ; nemo verò id monitum curat vel obſervat, hautiunt omnes fumum illum ex more, vel ut aliis placeant, tempusve perdant ; ad minimum ſi illo non indigeant, partem ſaltem viſcidæ lymphæ exſpuunt, & aliquid ſubtrahunt cruditatibus ; multis tamen inſigni detrimento eſt fumi iſtius abuſus qui nunc invaluit.

Perſonis pituitoſis cœlo nubilo in regionibus ſeptentrionalibus, aëre exiſtente gravi & humido, ejus uſus non prorſus diſſuadendus cenſetur; nocere autem dicitur ſiccis, ſenibus, juvenibus & quid nervos habeant imbecilles ; Hæc verò generali regula complecti vix licebit, ob varietatem ejusdem temperamenti hominum nimiam, quorum aliqui ferunt talem aërem, alii non ; multum conſuetudini dandum ; imò plerisque non licet eligere aërem quem volunt, hi rectius facient ſi diſcant aëri cuivis aſſueſcere, ejusque ferre mutationes omnes, ac cæteras diætæ circumſtantias neceſſitati ita accommodare, ut minor ſaltem evadat noxa, multum enim poterit præcaveri ſi omnia proportionate ſe invicem reſpiciant in uſu ſex rerum non naturalium ; quodque alicubi decedit ac deeſt commoditatis, aliunde ſuppleatur, atque ſic res una alteri ferat opem.

THE-

THERAPEUTICES.

Cap. I.

DE METHODI MEDENDI REGULIS GENERALIBUS.

METhodum medendi ajunt vel generalem vel ſpecialem; generalem addiſci poſſe atque includi certis regulis; ſingularem ſeu ſpecialem autem non, & nihil aliud eſſe quam judicium Medici; vel potius judicium Medici practicum applicat congruè & generales & ſpeciales, quæ omninò quoque dantur, methodi regulas ad caſus ſpecialiſſimos & individuales, quorum nunquam non variant circumſtantiæ.

Propriam hinc Medico ac ſummè neceſſariam agnoſcunt omnes rationem & conſilium, utpote quæ cum altero methodi medendi fulcro, Experientia arcto jungenda eſt nexu, ne utraque ſi non conſpirent claudicet ac vacillet, nullibi enim facilius fallacia non cauſæ ut cauſæ quam in medicinæ hac parte committitur, nullibi majori cum damno neque enim hic licet bis peccare, agiturque de corio humano.

Comparant & in hoc Medicum cum Jureconſulto, cum hic ſine lege loqui non debeat, ille verò ſine experientia; eſt verò ubi & ratio ſuppleat, cum non ſemper omnique in caſu ſuppetat cuivis experientia quemadmodum nec Jureconſulti ſemper caſum in legibus inveniunt deciſum allegatumque in terminis neque eadem facultatis utriusque ratio eſt, legum authoritate prorſus niti decet earum.

Interpretes Jureconſultos , Medicis verò nulla præſcripta authoritas eſt , nec ita conſuli ſemper poteſt commodè experientia , uti leges uno omnes volumine comprehenſæ, cum ampliſſimus ſit experientiæ imò immenſus campus nullius limitibus ingenii humani circumſcribendus vel comprehendendus, nova hinc ſemper & inexpectata accidunt atque obſervantur antea nunquam notata.

Ad experientiam Medicam requirunt 1. accuratam omnium circumſtantiarum explorationem. 2. Medicamenti applicationem cujus nota ſit exhibenti præparatio. 3. Eventûs annotationem poſt exhibitionem non ſemel ſed pluribus vicibus ; ut ſcilicet ab incerta , empiricaque obſervandi, medendique ratione longius recedat rationalis Medicus , qui certo niti fundamento mavult quàm tumultuaria quæ non paucis arridet atque inſtabili Methodo.

Medicum ordinariò monent , ut citò, tutò , jucundè, ac compendiosè curare intendat ; rectè , modò obſervent, non id ſemper licere, nec eſſe in poteſtate Medici, in affectibus chronicis, complicatis , refractariis maximè ; & nemo non in his quoque id à Medicis expectat , hinc innumeræ ægrorum variationes , & inconſtantiæ , ſi non ſtatim opem ferant remedia , mutatis mox& Medicis & medicamentis, & medicaſtris, conſultisque ſæpe quicquid eſt vel anicularum vel carnificum , iſta vero Medicum non dimoveant à recta ſemita , nec libeat ipſi vagari ad libitum inconſtantis ægri per omnes remediorum claſſes , ſed tutis inſiſtat certisque.

Medicam praxin monent melius doceri per caſus & exempla, quam per capita morborum & medicamentorum ; at rectiſſimè , ſi quid valemus judicare , per utramque viam, præcedat altera hæc, ſequatur caſuum reſolutio ſic illa diſcentes inſtruet , ut huic cum ſucceſſu dare operam eò promptius queant.

Tem-

Temporum opportunitates dicuntur animæ curationum; ſanè in tempore venire omnium rerum primum eſt; tempeſtivè omnia fieri in Medicina debent; poſthac occaſio calva, quæ proin capeſſenda ut par eſt, ubi obvenit nec prætermittenda, quantum verò noceant neglecta tempora, ac intempeſtivæ actiones ſuo multi damno experiuntur; opportunè agendum, ſi quidem agendum ratio ſolida cenſuerit.

Omnia ſecundum rationem facienti ſi non eveniat ſecundum rationem, non transeundum citra rationem monent; ſæpe enim continuato pertinaciter uſu juvant, quæ nihil primum promovere videbantur; huc pertinet quod dicitur de morbis expectatione curandis, quæ expectatio non ſemper, imò rarò conſiſtit in omnimoda ceſſatione ab uſu remediorum, ſed potius in uſu moderatorum atque congruorum, paucorum at ſelectorum continuato; nec tamen ſubſit hic pertinacia Medici, vel in proprio judicio nimia acquieſcentia, probè omnia penſitanda, nec pudeat mutare, ſi quid prius non rectè perſpexeris nec tam plenè antea recognoveris &c.

Hinc toties monitum, ne tantum ex una parte noceamus, quantum proſumus ex altera; attenta opus eſt contra indicantium conſideratione in affectibus complicatis, ubi argum oportet eſſe medicum ac plurima ſimul perſpicere.

Quo natura vergit eò ducenda dicitur, nec quidquam contra eam unquam agendum; ſed ſperſpicere ac judicare quò vergat natura, id artis eſt & induſtriæ, maximèque hujus apta dijudicatio commendat Medici actiones.

Traductus quoque huc canon generalis ex communi vita: Deliberandum diu quod ſtatuendum ſit ſemel; illud verò diu ſæpe brevi ſpatio temporis comprehenditur, cum ſcilicet diuturnas moras circumſtantiarum ratio non permittit, ubi attenta ac ſedula meditatio temporis ſupplet diuturnitatem.

Cum verò ajunt: Quod non curavit ratio, ſæpe curavit

temeritas; cave ne temeritati ideò faveas, vel in eam propendeas, ſemperque aureum illud cogita : Nec nimis temerè, nec nimis timidè, ac diſtingue ſedulò inter temeritatem, fultamque ſolida ratione & experientiæ conſenſu promptitudinem agendi atque audaciam, qualis quidem iis videtur quibus ratio perſpecta non eſt.

Non omnis periculoſa curatio exitialis eſt, fiunt enim monſtra in curationibus ; modò tamen ita ſemper incedat Medicus ut cynoſuram ſuam, rationem ſanam, & experientiæ luculam non dimittat ex oculis.

Nihil æquè ſanationem impedire dicitur quàm crebra remediorum mutatio inſiſtendum omninò remediorum uſui, nec mutandum temerè quicquam niſi erraveris, ubi mutandum illicò ; aliquando tamen aliquid dandum ægrotum abſurdis moribus, ac profit ſubinde mutare in ſpeciem, formulam potius quam remedium.

Multa experiendo fiunt quæ ſegnibus ardua videntur, hinc inſiſtendum, ac ea ſubinde tentanda, quorum qua partes omnes eventum nondum ita clarè valeas perſpicere, modò non temerè omninò, ſed ductu rationis genuinæ viam talem fueris ingreſſus, perfer, & obdura, vincit tandem patientia.

Quæ ducere oportet, quò maxime natura vergit, eò ſunt ducenda ; id verò eſt quod difficultate non caret, ſedulumque & ſcientem requirit medicum, noſſe quò vergat natura, probè igitur noſcenda corporis œconomia, & ſpeciatim talis individui idioſyncraſia indaganda ex prægreſſis adjunctisque circumſtantiis.

Ab omni arte quidem aliena res dicitur dilatio, à medicina tamen maximè, in qua dilatio vitæ pariat periculum, quare auxiliari non differas, monent cautelarum practicarum ſcriptores ; omnia tamen circumſpectè ac cautè ; feſtinandum lentè ; cunctando ſæpe reſtitues rem, quam acceleran-

do

do perdidiſſes, ſuſpenſo hic incedendum gradu, penſitanda omnia, ultra modum verò non cunctandum.

Temporibus data medicina juvare dicitur, ac ſerò parari Medicinam, cum mala per longas invaluere moras; ſæpe tamen aptum inexperto videatur tempus, quod Medico prudenti videbitur ineptiſſimum; ægrorum ſanè tempus ſemper eſt, ſemper urgent, ſemper à morbo volunt ſubitò liberari, illorum ſi ſequaris impetum ac deſideria omnia ages intempeſtivè; diſtingue ergò tempora.

Notant quoque nullum eſſe remedii genus quod eandem habeat vim in ſingulis, unde niſi in omnibus ritè vis obſervetur & ſubjectum patiens cum objecto agente conferatur, non obtineri ſemper optatum finem. Atque omninò minima circumſtantia ſæpe variat rem; accedunt contra indicantia, complicantur affectus, hinc omnino opus eſt judicio practico, ut ſuum cuique tribuatur, nec plus nec minus quàm par eſt, ac eo quidem quo decet tempore, modo ac loco &c.

Monent pariter eſſe prudentiæ ad remedia fortia non devenire, ſi ſatisfecerint debilia; tali enim in caſu non ſolum fortia conſideranda tanquam ſuperflua & proin minus apta, ſed & tanquam noxia plerumque & minus congrua, fortiora enim ſæpe movent ubi non erat movendum, nimiumque laceſſunt fibras, aut turbant humores, ubi nec illæ laceſſendæ, nec hi erant turbandi &c.

Virium robur & conſtantiam requirunt ad omnem evacuationem; intellige largiorem, & quæ cum conatu fiat naturæ, ac deperditione proin & applicatione ſpirituum per fibras ſecretionibus deſtinatas; lenior enim ſudor, tranſpirationis aliqualis promotio, alvi leni clyſtere ſubductio, aliæque lenes evacuationes adeò multas vires nec requirunt nec ſupponunt, alia ratio eſt evacuantium fortiorum, nec quamcunque ea viam educant & evacuent, ſemper enim quodam ſpirituum diſpendio conſtant iſta. Cum

Cum Medicorum diſcordia ſanitati ægrorum officiat, moneri audias, tutius eſſe uni fideli & bono Medico ſe committere quam plurimis ; quanquam hic rarò tutiora ſeligant ægri ; optandum verò ut diſcordia Medicorum decreſceret, quod in tanta opinionum varietate ſperare vix licet ; eſſet tamen plenior majorque concordia, modò charitatis chriſtianæ leges eandem ubique vim haberent ; ſæpe enim facilis eſſet conſenſus in principiis, ſi conſpirarent animi.

Medicamentorum tam Galenicorum quam Chymicorum maxima ſemper dicitur neceſſitas ; ſunt enim in utroque genere remedia præſtantia, tuta ac neceſſaria, quemadmodum & utrinque ſuperflua, abſurda, noxiaque admiſcentur.

Medicamenta temperata, naturæ habentur grata & amica, nec facilè nocent, quæ autem exceſſivis qualitatibus ſunt prædita majori cautione omninò egent in applicatione, imò plerumque tutius omittuntur à quibus poſſis metuere ſiniſtri aliquid, cum in ampliſſima, quæ hodiè affluit, materia medica ea ſuppetat remediorum copia, ut electioni nunquam non ſit locus :

Unde & monent in medendo obſervandos eſſe gradus, ſenſim ab imbecillioribus aſcendendo ad potentiora ; intellige, ſi opus fuerit iſto progreſſu, nec res mitioribus queat confici, quod quidem impatienti ægro ſæpius ita videbitur, cum aliter judicat prudens Medicus, ſciens habere morbos ſua tempora.

Annotatum legimus, qua methodo uno anno certo morbo laborantes plures liberaveris, eodem anno vertente ſublatos è medio ægros ; ubi tamen circumſpecto opus erit judicio ; variant omninò epidemici morbi quà diverſa quibus graſſantur tempora ac ſymptomata, imò & quà remedia, rarius tamen tantam deprehendas contrarietatem niſi quà evacuantia e. g. venæſectionem & purgationem &c. uti febrium malignarum

tum docet exemplum , venæſectionem nunc requirentium, nunc reſpuentium , quod idem de purgantibus notarunt alii in iisdem morbis &c.

Simplicia medicamenta ſæpiuſculè dicuntur compoſitis eſſe præferenda; ſi ſcilicet res ſimplicibus poſſit abſolvi; quanquam & inter compoſita ingens ſit differentia, cum talia dentur quæ ingenti pugnantium quaſi , vel ſaltem non ſatis conſpirantium ſimplicium farragine conſtant , quibus ſimplicia omninò præferenda, vel ſaltem minus compoſita, aut aptius compoſita, ſeu talia quæ combinantur ex conſpirantibus ad ſcopum effectumque eundem medicamentis ſeu ſimplicibus,quorumque ſingula ſpecificum quaſi aliquid commodi conferunt.

Medicus in omni morbo jubetur reſpicere præcipuè 1. ad naturam & conſtitutionem ægri, 2. Ad temperiem & motum ſpirituum animalium & ſanguinis ; denique primarum viarum conſtitutionem intimius ut noſcat ; hæc verò ſingula facilè injunguntur Medico, ſed cognitu adeò facilia non ſunt, ſupponuntque jam Medicum in dijudicandis ægris , morbisque ſatis verſatum , qui norit fontes unde naturæ notitia, Spirituumque & primarum viarum ſtatus aliqua cum certitudine poſſit erui.

Idem notandum circà affine huic monitum: quod Medicus tanquam naturæ miniſter , cum illa ſit optima morborum medicatrix , ſemper ad naturæ operationem & ſcopum debeat attendere , illumque magis promovere quam turbare; hoc ipſum enim artis eſt ac judicii , noſſe naturæ ſcopum ac tendentias , hoc ſanè omnem poſtulat Medici attentionem, ut nihil invita tentet natura , ſed ejus obſecundet ductui, ſæpe verò pro naturæ habetur motu quod morbi eſt, pro morbo quod naturæ eſt , in dubiis ſuſpenſo Medicus incedat gradu , tonicis ac confortantibus inſiſtens, donec de naturæ niſibus , ac ſtatu ſpirituum ac ſanguinis certioribus ipſi conſtet indiciis.

Omnis curationis cardo dicitur verti in inventione medicamenti ejusque applicatione ; in utroque cognoſcendum eſſe Medico exactè 1. morbi cauſam, conditiones & ſtatum; 2. medicamentorum proprietates & agendi modum. 3. Naturam indicantium, permittentium, contraindicantium, & omnium circumſtantiarum rationem compertam ac cognitam habere debere. Vides hîc quàm multa ac gravia requirantur, ſed nec exiſtimes iſta omnia ſpecialiſſimè & Mechanicè quaſi quà prima quaſi principia cognita eſſe debere, e. gr. modum agendi ſpecialiſſimum medicamentorum, quàm enim hic pleraque adhuc obſcura incertaque ſunt; ſufficit rei cauſam noſſe generalius, modò certò rem ſcias, ac congruitatem remedii, litigent dein alii de particularum configuratione.

Paucis uti jubent Medicum remediis, illis tamen ſelectis & optimis, & magis ſimplicibus quam compoſitis, ac propria experientia per diſpenſationem ipſi notis. Utatur ſcilicet neceſſariis, ſive pauciora ſint, ſive plura, nunc enim opus eſt multis, nunc res perficitur pauciſſimis; quorſum verò ſuperflua & ad pompam quaſi accommodata? junior Medicus donec propria niti experientia queat, præceptorum candidorum expertorumque experientiam ſuam tantiſper faciat, illorumque inſiſtat Methodo, ſed non cœco ductu, quin perpetuo potius ejus examini inſiſtat, ut eam adhibendo ſemper attentiſſimè effectus obſervet ut in ſemita ſua vel firmetur, vel reducatur in meliorem, abſit enim ut faſcinare eum autoritas præceptoris debeat; poſſunt verò remedia ſatis eſſe nota, etiamſi à ſe non diſpenſata; nec affectat uti ſimplicibus, ſi opus eſſe videat compoſitis, nec tamen entia multiplicat præter neceſſitatem, quod enim poteſt fieri per pauca, non debet fieri per multa; interim compoſita multo jam uſu ac tempore ſibi non ſolum, ſed & aliis probata quis negligat, aut averſetur, ſi æquo utatur judicio.

Monent porrò, in medicamentorum delectu ſemper videndum non quid poſſit præſcribi, ſed quid debeat; inanis oſten-

oſtentatio foret multa congerens ſine neceſſitate ac convenientia cum ſcopo; multa tutò præſcribuntur, h. e. ſi aliorum niti autoritate velis nemo tibi exprobret præſcripſiſſe remedium, quod in ſe tamen nec tutum nec congruum forſan fuerit; abſtinebit igitur à talibus Medicus probus, nec ſervum pejus erit imitando errores eorum qui authoritate cum prævaleant quodlibet licitum, proficuumque exiſtimant, ipſis quoque erroribus transeuntibus in regulas, ipſoque funeſto ſucceſſu aliis potius omnibus imputabitur cauſis, quàm veræ, ob præconceptam opinionem authoritatis dudum firmatam.

Crebra medicamentorum mutatio dicitur arguere Medici ignorantiam, ægroque perniciem minari; ſi ſcilicet fiat ineptè, tranſiliendo ab uno genere in aliud quantumvis contrarium ut incerto vagaque auſu omnia quaſi tentes poſſibilia, utut incongrua; aliâs mutatio quæ contraria non obtrudit, ſed ad fallendum quaſi licitè impatientem ægrum dirigitur non affert perniciem, ac ſæpe neceſſaria, imò inevitabilis eſt; nec ſignum tum ignorantiæ erit, ſed prudentiæ, prudenter tamen & non temerè mutandum nec ad abſurdum quodvis ægri deſiderium vel impetum; ſæpe viſa mutatio talis revera non eſt ſed ſubſtitutio ſimilis.

Id quoque monitum urgent: non continuo medicamentorum uſu fatigandos eſſe ægros, utpote quæ ſemper alterent, & tonum ventriculi & digeſtionem deſtruant; abſit ſanè ut obruas ægrum præter neceſſitatem mole remediorum, ſed & abſit nimia parcitas, juſtis juſta intervallis exhibenda; nec terreat te iſta ratio, non omnia medicamenta tonum ventriculi & digeſtionem deſtruunt, aliâs nulla forent tonica, ſtomachica, confortantia; abuſus nemini laudabitur; proportionata ſint morbo remedia, ſi morbus non ceſſet, nec ab iis erit deſiſtendum, modò naturam ſtomachumque non obruas nec obtundas, nec opus eſt iſta farragine ac mole quorundam incondita.

Quandò ergò monent, plures ad ſanitatem redire non

potuiſſe propter copiam medicamentorum ; præſtaret forſan dixiſſe propter ineptitudinem incongruorum medicamentorum, quorum eo ipſo abundantia ac copia & moleſtior & nocentior fuit ; quid enim ineptius, quam plura variorum generum medicamenta confortium unum poſt aliud ſine judicio ingerere, ut videaris multa cum cura multisque præſidiis morbo occurrere, contra quem ineptis remediis nihil agis , niſi quod noceas heterogeneis ſtomacho illatis.

Ex eodem fonte fluit monitum affine : Quotiescunque effectum ſingularem tam æger quam Medicus à medicamentis percipit, toties illis medicamentis inſiſtendum, nec facilè illorum mutationem ſuadendam ; ſi tamen effectus talis verè ab iſtis procedat remediis, fiunt enim etiam hic fallaciæ non cauſæ ut cauſæ ; videturque ſubinde effectus quidam inſignis & in oculos incurrens , qui utilis verè ac proficuus non ſit ; debet enim prius etiam per rationem experientiamque conſtare tale remedium conveniens eſſe ; nihil e. g. ægris magis arridet quam effectus inſignis purgantium etiam intempeſtivè datorum , videasque laudari inſignem operationem vitæ mox acceleratura finem &c.

Applicatio medicamentorum verum dicitur Medici arcanum ; intellige medicamentorum tutorum , probatorum, ſufficientium , applicatio tempeſtiva, conſtans , ſufficiens, ac circumſpecta ; arcanum hoc eò magis eſt arcanum , quò pauciorìbus cognitum.

Qui panaceas & Medicinas univerſales crepant plerumque indocti vel deceptores dicuntur ac habentur ; ſed nihil obſtat quò minus vel doctiſſimus quispiam jactet panaceam ſeu remedium ſummi valoris, quod parum habeat in receſſu, ſive jam ex philautia ſibi blandiatur, ſive aliis imponat vir doctiſſimus.

Nec facilè quisquam ſtatuet remedium verè univerſale, quod omnes curet morbos , polychreſta verò multisque utiliſſima

liſſima morbis curandis dari in confeſſo eſt; philautia verò facilè etiam eruditos decipit ut remedia ſua pluribus quam par eſt applicent morbis, effectusque neſcio quos ſibi aliisque promittant, etiam non ratò adverſis inter ſe cornibus pugnantes & contrarios; ſufficit verò dixiſſe! ſtat pro ratione voluntas.

Medicamenta ſapientibus priſcis θεῶν χῶρας appellata fuiſſe notant, ut hominibus inculcarent, ea ſumma cum reverentia & cautiſſimè eſſe adhibenda; eò ſanè cautius, quod priſcorum multa remedia violenta, & parum tuta fuerint, quæ e. g. Liſterum imitatum fuiſſe legimus in operibus ejus non ſine admiratione.

Medicamenta præſtantiſſima in manu imperiti dicuntur eſſe uti gladius in manu furioſi; ubi tamen notandum, dari plurima medicamenta quibus nec imperiti facilè queant nocere, quæ mitia, blanda, confortantia, naturæ amica ſunt; aliâ verò omni jure nunc titulum mereri, toties fatalia infelicibus ægris, dum exhibentur ineptè, imperitè, audacter, paucis manu furioſi ac audacis.

Remedium quod uni ſæpe ſubjecto imò multis mirificè profuit, alteri non ritè & circumſpectè exhibitum maximè obfuiſſe monetur; intellige exhibitum in morbo ac caſu eodem vel ſimili, nam neſcio quidem omnia omnibus promiſcuè licet exhibere; multò minus in morbis, temperamentis, ac circumſtantiis diverſis, ubi ſatis ineptè ab uno concludunt ad alium tentamine prorſus periculoſo, in perverſa autem conſuetudine moderna crebro nec facilè impediendo; omnia conſpirent neceſſe eſt, ſi tutò remedium exhiberi debeat, niſi ſit ex genere mitium, & innoxiorum, quorum uſu non facilè aberraveris, ſermo enim eſt de remediis fortioribus, generoſioribus &c.

Cum tanta in medendo circumſpectione opus ſit, præcipuum in medendo ſemper habitum fuit judicium Medici,

quod potiſſimum verſatur in applicatione medicamentorum ritè indicatorum, & hanc dicunt veram medendi methodum, quæ ex libris non addiſcatur, ſed per experientiam & prudentiam acquiratur; fruſtra verò erit omnis & experientia & nata inde prudentia ſi nativa judicii vis deſideretur, diffuſiſſima experientia tali nunquam ſuggeret juſtam medendi methodum; ſi verò naturali polleas judicii vigore, tum & ex libris & experientia illud ad concinnam ordinatamque medendi methodum feliciter applicabis; iſta igitur concurrant neceſſe eſt.

Fortuna in Medico dicitur perſpicua cognitio cauſarum morbificárum & remediorum, illaque applicandi judicium, atque ita ſuarum rerum peritus Medicus ſibi ipſi fortunam fabricare poſſe cenſetur; Alia verò Chriſtianis præter providentiam divinam fortuna eſt nulla, hæc fortunæ noſtræ faber ſit, miſereris ſi ipſe tibi velis eam fabricare; ſi omnia ſciveris ex aſſe non ideò eris fortunatus niſi domino viſum ſit, & quoties omnibus ritè adminiſtratis optato non potimur effectu, quia non concurrit voluntas ſummi Medici; neque enim rectè fortuna dicitur perſpicua cognitio morbificarum cauſarum, licet hoc partim fundamento niti videatur.

Hinc rectè agnoſcunt Medici ſagaciores, cœleſtem quandam vim nonnunquam intercedere in curationibus, ut quicquid etiam, quanquam ex arte moliatur.

Medicus felici tamen careat ſucceſſu; non erit igitur tum fortunæ ſuæ faber, neque habebit in arbitrio ſuo curationis ſucceſſum; Ille quidem agit quàm rectiſſimè qui commendans domino vias actionesque judicii ſui, ſumma omnia circumſpectione exequitur, de fortuna, ſucceſſuque non ſollicitus, illamque in Deum requiens ſolicitudinem, ut pro lubitu ſuo effectum largiatur gloriæ ſuæ voluntatique ſanctiſſimæ convenientem.

Cap.II.

Cap. II.

DE MEDICAMENTORUM ELEMENTI, ILLORUMQUE MODO AGENDI ET OPERANDI.

REquirunt à Medico, ut vim, efficaciam ac vires medicamentorum illorum; operandi modum perſpicue cognoſcat, & ſolicitè inquirat. Hoc quidem ultimum in poteſtate Medici eſt non æque prius, quis enim in tanto circa principia phyſica diſſenſu perſpicuè ſemper aſſequatur modum operandi, nec opus erit, modo de viribus ipſis, modoque exhibendi certus ſit; de modo agendi diſputent alii, quibus plus quam practico otii eſt, neque enim iſta ſunt negligenda.

Negant Medicum certum ſemper eſſe poſſe de effectu medicamentorum, ideò, quoniam medicamenta non ratione activitatis ſuæ, ſed receptivitatis corporis in illo ſuas exerent operationes; verum ratione utriusque operantur medicamenta, hinc æqualiter ad ipſorum activitatem, & corporis receptivitatem ſeu diſpoſitionem, concurſumque reſpiciendum, unde medicus ſatis certus erit de effectu medicamentorum, quantum nempe in hanc rem cadit certitudinis.

Monent ſcil. eſſe in ipſis remediis principium quoddam activum, aſt illud ratione effectus impediri, ſuſpendi, immutari, pro diverſitate ſubjectorum, eò magis quia corpus humanum ſe erga talia remedia non merè habet paſſive, ſed active quoque, reagendo, actuando, ſæpe juvando, ſæpius impediendo, infringendo, vires imminuendo &c.

Mechanica principia hodie ubique prævalent, hinc audias decidi: Uti totius naturæ, ſic quoque medicamentorum ele-

elementa & principia esse , & uti omnes naturæ operationes mechanismo absolvantur, ita quoque medicamentorum operationes optimè ex mechanicis rationibus explicari; nec ullum est dubium, eadem naturæ & medicamentorum esse elementa, sed observes velim etiam naturæ elementa , & ejus effectuum ac operationum rationes rarò, ut vellemus patere, idemque proin non posse non accidere remediorum operationibus; eadem ergò & Physici & Medici de evidentia principiorum suorum, & modo agendi suarum causarum gloriatio est , eodem nixa fundamento.

Ex eodem fonte alii monent: Medicamentorum naturam & proprietates qui nosse velit , materiæ affectiones , & motuum leges ex mechanicis cognoscere , & bonum Physicum esse debere; secundo chymico igne illorum elementa variè eruere, illaque transmutare debere; tertio variis mixtionibus, experimentis naturam illorum ac indolem explorare, & per accuratam experientiam illorum vires perspectas habere debere; de ultimo vero hoc uti nemo sanus dubitaverit, ita de secundo , seu analysi chymica ejusque ad cognoscendas medicamentorum vires utilitate res ipsa loquitur, sed & illa carere potest non quidem notitia physica quæ summæ est hîc necessitatis , sed tamen notitia legum motus ex mechanicis & affectionum materiæ, quæ quidem tantum non juvant in noscenda medicamentorum indole , ac quidem fautores deprædicant.

Nec tamen ideò quod principia mechanica admodum agendi medicamentorum applicare nec facile sit nec adeò utile, negari poterit, quod operatio medicamentorum mere sit mechanica, & ex magnitudine , figura , & motuum legibus optimè explicari possent ; modò scirent illi quibus ista placent , modum applicandi ad hoc negotium motuum leges, quod ab iis vix expectaverim , cum nec figuram particularum sciant,

ſciant, & ferè omnia huc pertinentia ferre æqualiter ignorent, uti ergò corpus noſtrum non debet ſaltem conſiderari à Medico, ut mixtum Phyſicum, ſed ut vivum & organicum, ita quoque in modo agendi medicamentorum non ſufficit reſpicere leges motuum Phyſicas, & particularum figuras, cum hæ ſint utplurimum ignotæ, & illæ proin applicari rebus ignotis non poſſint, ſed reſpiciendum ad ea quæ ſcire poſſumus, & ad reſpectum quem remedia habent ad humores & corpus noſtrum cui applicantur; niſi delecteris ſpecioſis ratiociniis, quæ tibi nemo invidebit, utut in fine nihil ſcias amplius quàm in principio, licet analyſin ipſam in ſubſidium voces, & monente D. D. T. curvam ſupponas iſti problemati convenientem, ſed ſanè non minus fictitiam, incertam, vagam &c.

Patet hinc quid debeat dici de comparationibus iſtorum motuum cum motibus particularum medicamentorum, cum v. gr. dicunt: Sicuti motus diverſitas, quod major vel minor, tardior & celeriot ſit, non dependet ab inſita corpori potentia movendi, ſed potiſſimum à reſiſtentia alterius corporis majoris vel minoris; eodem modo motus ille quem medicamenta partibus corporis fluidis communicare debent non dependet ex efficacia medicamentis inſita, ſed pro varietate humorum variè ille determinatur. Pendet enim & à potentia movendi motus diverſitas, & ab efficacia medicamenti commotio partium humoris in corpore noſtro, licet utrinque variè poſſint determinari, imminui, retardari, immutari pro variò vel concurſu, vel reſiſtentia corporum ea quæ agunt, vel quibuscum congrediuntur, vel luctantur &c.

Allegatur tanquam familiare in praxi, remedia vim ſuam ſæpius amittere, ac retinere, novamve acquirere pro morbi natura, & motu, variaque eorum quibus exhibentur conditione. Remedia tamen vim, quam non exerunt, non ideò

amittunt ; purgans exhibitum ſi aliquando individuum aliquod non expurget , non ideò vim ſuam amiſit , ejus ſaltem vis ac ſtimulus in illo caſu non fuit ſufficiens ; & ſic de aliis dicendum , quæ vel amittere , vel acquirere vim tum exiſtimantur , cum vel paria ſunt cauſæ morbi expugnandæ vel minus paria aut ſufficientia , pro vario morbi ſtatu , incremento , decremento , & virium ratione , atque idioſyncraſiæ.

Idem medicamentum ajunt uni prodeſſe ſubjecto, alteri infenſum eſſe, & contrarios producere effectus; cujus forſan exempla haud fuerint frequentia, niſi reſpicias ad diverſa temperamenta , morbosque qui à cauſa vel calida vel frigida pendent , quæ quidem aliqua remedia non æqualiter ferunt, multa tamen utrinque etiam admittuntur , quæ ſcil. minus activa & temperata ſunt.

Falli hinc dicunt , qui certam ac infallibilem vim contra morbum medicamentis ineſſe firmiter ſibi perſuadeant ; nemo facilè dixerit medicamentorum omnium vim eſſe infallibilem, nec definet illa eſſe certa ſi aliquoties ſcopus non obtineatur ob nimiam morbi vim ac pertinaciam , aliasve intervenientes circumſtantias.

Applicare prudenter medicamenta pro varia ægrorum conſtitutione & morbi conditione boni Medici eſſe cenſetur; hæc enim judicii practici pars ferè præcipua eſt, agnoſcere quæ quibus conveniant, quid mutandum, quid agendum pro individuorum ac circumſtantiarum varietate.

Hodie Medicamentorum operandi ratio ex primis qualitatibus quatuor elementis inædificatis non benè derivari monent ſcriptores; ſed fontem operandi ac indolem medicamentorum optimè detegi ex diverſa textura particularum ratione figuræ , magnitudinis , & motus variarum ; id unicum verò horum deeſt hypotheſi quod non indicare ipſis lubeat

has

has figuras & texturas ſpeciales, ſed manere malint in generalibus, aut ſi ad ſpecialia deſcendant, vix dicunt plusquam fautores primarum qualitatum & quatuor elementorum, utrinque eadem incertitudo quà modos & operationes ſpeciales, fons ergò iſte harum operationum ſatis adhuc clarus limpidusque haud videtur æquis rerum æſtimatoribus.

Dicitur quidem, texturam harum particularum cognoſci partim microſcopio, chymico igne, partim variorum liquorum connubio, & Phænomenorum inde reſultantium attenta conſideratione; multum debemus microſcopio, plus igni chymico, multa innotuerunt per variorum connubia liquorum maximè ſalinorum, multum cognitioni virium medicamentorum, & ſtructuræ corporum inde acceſſit lucis, ſed non auſim dicere texturam particularum minimarum & mechanicas motuum illarum leges inde optimè cognoſci, quæ ſanè minima alba caligine merſa manent poſt omnia microſcopia, ac tentamina chymicorum, quæ multa quidem manifeſtant ad iſtas verò corporum primitivas origines haud penetrant &c.

Nec opus eſt ut iſta tam exactè ſciat Medicus, nec eò in praxi erit vel infelicior vel minus commendabilis, modo de viribus ſit certus, ac de re ipſa, ipſi enim illi qui mechanicas commendant qualitates ſecuriſſimum non poſſunt non agnoſcere modum qui ſit à poſteriori, & ab ipſa experientia, & obſervationibus, indeque deſumat medicamentorum vires; etiamſi particularum figuras ac texturam intimam haud perſpiciamus in primis elementis & minimis, modo indolem particularum, an ſalinæ illæ ſulphureæ reſinoſæ, gummireſinoſæ, gummoſæ, terreæ, lapideæ &c. ſint; hisque reſpondeat vis medicinalis & ratione fulta & longa præjudiciisque deſtituta experientia.

Optimum medicamenti effectus explorandi modum ajunt, ſi ſeorſim, nec aliis mixtum in uſum ducatur, & quidem per certum & longum tempus, & idem medicamentum ſimili in caſu iisdem correſpondentibus circumſtantiis non ſemel, ſed crebrius in uſum trahatur; quanquam ne ſic quidem omnis fallacia evitetur in morbis ſolo naturæ robore curatis atque tandem ceſſantibus; interim tarò hac ratione in notitiam virium pervenimus, nemo iſta in ſe fieri permittet tentamina, nemo Medicus fidelis ea tentabit, niſi prius jam de remedio ſpem certam exemplis conceperit plurimis, idque crebrò cum aliis miſcuerit, laudabilesque viderit effectus; exemplum præbere queat cortex Peruvianus, quem poſt innumeræ magnæ virtutis ſpecimina formidare aliqui ac ſuſpectum reddere non deſinunt, ſic ne optima quidem remedia certa evadent ac tuta quantumvis ſuis nobilitata effectibus niſi quorundam guſtui depravata arrideant; alia ratio eſt fortium, draſticorum, & violentorum remediorum, quæ poſt inſignes etiam effectus, quos aliquando præcavente graviora Deo Opt. Max. edunt, manent ſuſpecta, nec unquam dantur ſine formidine, imò tutius non dantur, cum tutis, blandioribusque non deſtituamur.

Notant, vires medicamentorum ſæpius à qualitatibus ſenſibus manifeſtis nimirum acido, ſale volatili deduci, ſæpe occultis ſic dictis, id eſt ex certa modificatione particularum reſultantibus, ſeu ſecundum Galenum tota ſubſtantia agentibus. Verum etiam manifeſtæ qualitates reſultant ex certa modificatione particularum, non ſolæ occultæ, multæ habentur pro manifeſtis & ſunt occultæ, non quà ſuas vires quas ſcimus, ſed quà certam illam modificationem particularum & figuram quæ vel in manifeſtiſſimis latet profundiſſimè.

Negant multi ignem eſſe genuinum corporum analyſtam, eaque quæ ope vulcani ex medicamentis eliciuntur, non pro-

pro veris medicamentorum principiis actu inexiſtentibus habenda eſſe monent ; Medicus verò ſolicitus non eſt an illa producta chymica ſint iſtorum ſimplicium principia ſeu elementa per ignem vel mutata vel immutata, id ipſi ſufficit, ſi vires poſſideant quas deſiderat, quibusque efficaciter agere contra morborum nequitiam & cum fructu queat.

Uti verò hodie cujusvis concreti formam, virtutem, & qualitatem mechanicè ex certa particularum magnitudine, figura & ſitu amant deducere, qua textura mutata ex templo alia oriatur qualitas, victus, & efficacia ; ſic quoque eodem modo virtutem medicamentorum ex particularum conſtructione proficiſci, qua mutata pereat virtus medicamenti ; nec dubium eſt, mutata partium figura & textura qualitates mutari ; quis verò novit mutatas eſſe, quas ignoramus, particularum figuras, texturæ mutationem nemo non agnoſceret, illa verò figura partium non mutata, alia ſaltem eorundem facta combinatione mutatur ; nec omnis hic mutatio fit in contrarium ut prior virtus aboleatur, quæ vel augeri poteſt vel minui dum eadem manet, gradu ſaltem immutata, quod aliquando è re fuerit ægri.

Unde quod ajunt, illos valdè decipi, qui, ſimplicium vires, textura per ignem deſtructa (in qua vis reſideat medicamenti) quærant illorum activitatem in ſpiritibus oleis, ſalibus volatilibus ; hoc, inquam largiendum ipſis eſt, easdem præcisè etiam quà gradum, vires vix ſupereſſe, ſed vel auctas, vel imminutas, exhiberi in productis ; lædi aliquando texturam agnoſcimus, ſemper eam deſtrui ut nihil ejus remaneat, nec prioris veſtigia qualitatis, haud immeritò negabunt alieni à partium ſtudio ; ac pereat licet & qualitas prior, & textura omnis, modò in productis ſit quod Medico ſatisfaciat ſcopo, licet ſimplicis illius genuina præcisè ac prior vis non ſit, modo talis, quæ cauſam infringat morbificam, qua uti cum

fructu Medicus possit ; multa verò etiam inutilia & inutiliter parantur.

Quod verò dicitur : Simplicia sæpe plus præstare suis præparatis, essentiis, elixiriis, salibus ex illis petitis, id quidem verissimum est, non quod activitatem habeant majorem, ista enim & in se & suis menstruis sunt activiora, sed quod magis naturæ, succisque nostris sint proportionata, magis proficua, magis apta quæ in lenioribus formulis sua nobis commoda viresque largiantur, easque integras & magis illibatas transfundant in mitius menstruum, quam in spirituosum ac volatile, unde solus turbarum quam opis sanguinea expectet massa.

Efficaciam medicamentorum per principium sensibus obviam non semper demonstrari posse monent ; distinguent alii inter medicamenti efficaciam, & agendi specialem modum, hunc minus sensibus agnoscent obvium, illam verò per effectus satis innotescere prætendent, demonstratione verò alia non indigere.

Præstare ajunt ex manifestatioribus & in sensus magis incurrentibus principiis, si haberi possint, v. g. ex fermentatione, acido, alcali, sulphure, effectus particulares medicamentorum deducere, quam ex atomisticis primis, quæ magis theoretica quam practica sint; imò magis fictitia, & ad libitum excogitata, uti vel solis acidi, alcali, & sulphuris exemplis patet, quorum particularum figuræ tot lusibus ac figmentis dedere materiam, ut non rarò tædeat ista toties inculcata legere, manet tamen sua principiis mechanicis, & atomisticis dignitas ac præstantia, modo non plus supponatur, statuaturque, quam sedula certaque inquisitione comprobatum est.

Quemadmodum omnem morbum dicunt in partibus corporis fluidis, quæ vel quantitate, vel qualitate vel motu delin-

delinquant, radicati ; ſic quoque medicamenta illarum partium vel quantitatem, vel qualitatem, vel motum debere reſpicere; notandum tamen hîc, nec ſpiritus ſeu impetum facientes partes , nec ſolidas à morbis eſſe liberas, & proin easdem partes medicamenta omni quoque jure reſpicient, quod patet firmaturque exemplis, confortantium , tonicorum, excitantium, veſicatoriorum, cauteriorum, aliorumque plurium internorum atque externorum.

Quantitatem auctam exigere ajunt depletionem , ſeu evacuationem , imminutam repletionem ; nota tamen non ſemper aucta tantillum quantitate evacuandum , prohibent id non rarò contra indicantia , ut taceam , ſæpe mentiri orgaſmum ac turgeſcentiam ſanguinis ejus abundantiam , & hanc eſſe forſan minus quam credant alii frequentem ; nec imminuta quantitate replere licet pro lubitu , nec ſemper tutum eſt, impuro potiſſimum exiſtente ſanguine, cum corpora impura quò magis nutriveris eò magis læſeris , juxta notiſſimum dictum.

Evacuare humores dicunt, Venæſectionem , vomitoria, purgantia , ſudorifera , diuretica , ſalivantia , ſternutatoria; adde veſicatoria, ex gula irritatione pituitam educentia (quò pertinent ſtomachi ſcopæ modernæ , hisque ſubſtitutæ calami ſcriptorii pluræ) ſternutatoria verò non ſemper , nec in omnibus evacuant, ob ſiccas quorundam, vel perpetuò , vel ad tempus nares.

Reſtituere dicuntur humores, ſanguinis transfuſio , victus laudabilis , & uſus ciborum nutrientium , plethoram inferentium , quies &c. Sanguinis verò transfuſio non meretur attendi, cum nec tuta, nec uſu probata, receptave ſit, nec alia nutrimento niſi per Stomachum , primasque vias pateat via conveniens ; nutrientes cibi rem totam abſolvunt, ſi vis conſpiret digeſtrix , & ventriculi tonus ac fermentum,

quo

quo fine fruſtra erit vis eorum nutriens; & quinam ſunt cibi plethoram inferentes? nulli ſane; niſi ſtomachi robur, & cibi copia concurrant, nulli ex ſe plethoram cibi procurabunt; nec quies, niſi iſta jam dicta faveant, imò erit ubi impediat quies nimia ſuccorum reſtitutionem deficientium, torporemque inducat lentis jam antea atque inclinantibus ad ſpiſſeſcentiam humoribus.

Qualitatem ſive temperiem humorum reſpicientia vocant alterantia, ſeu temperantia, quatenus intemperies humorum corrigant, exceſſivas temperent, & temperiem fluoribus reſtituant; erit verò hoc ſenſu latius ſumendum temperiei vocabulum, ut conſiſtentiam quoque, & omnes humorum qualitates, ipſam etiam acrimoniam, & proin intemperies impuritatem quoque cacochymiam, & viſciditatem ſub ſe complectatur, imò & nimiam ſanguinis tenuitatem & aquoſitatem in ſtatu fuſionis ac vappeſcentiæ; ſicque temperantia, non erunt eadem cum alterantibus, quorum claſſis latius longè patebit.

Sicuti autem ſupponunt, humores corporis noſtri ex particulis variis ratione figuræ, & magnitudinis, nimirum ſubtilibus, fixioribus, ſulphureis, acidis, alcalinis, volatilibus, terreis, mucilaginoſis, aqueis conſtare; ita medicamenta requirunt, horum principiorum exceſſivam qualitatem & prædominium imminuentia, corrigentia, & alterantia, unde & tot alterantium medicamentorum claſſes in iſta amplitudine exſurgunt, pro ipſa variantis intemperiei varia amplitudine & gradu combinatio ſanè non quæcunque ſed vitalis horum principiorum conſideranda, & per medicamenta quærenda eorundem proportionata mixtio, hujusve vel conſervatio, vel potius reſtitutio ſi deſciſcat à craſi naturali vitalis latex.

Alterantia dicuntur 1. Salia volatilia, alcalica, 2. Salina alcalina fixa, 3. ſpirituoſa ſeu ſulphurea volatilia, & ſale volatili

tili oleoſo dotata, ſulphurea, fixa ſeu reſinoſa, dicta balſamica. 4. Acida volatilia. 5. Acida fixa; emollientia, mucilaginoſa particulis ramoſis, oleoſis imbuta. 8. Aquea diluentia 9. ſalina mediæ naturæ, 10. corroſivo ſale acri prædita. 11. Terrea fixa, 12. vaporoſa; & ad has claſſes referunt omnia medicamenta alterantia, manifeſto principio agentia. Dubites verò quid ſibi velint vaporoſa; nec corroſiva facilè admiſeris in claſſem alterantium propriè dictorum; quæ deſtructio potius dicenda ſunt; aromatica ſub reſinoſis vix comprehenduntur; & quis non videt plurima evacuantia eſſe & alterantia, exemplo diaphoreticorum, & diureticorum, quæ non evacuant modo ſed & potenter alterant, unde & tot alterantia, in ſpecie volatilia e. g. Spir. Corn. Cerv. &c. imò & fixa, abſorbentia ſunt fortia diaphoretica &c.

Reliqua alterantia, quæ occulto quodam principio agant, ex mechanica quadam particularum conſtructione vocare amant ſpecifica; quanquam & innumera ſpecifica ad dictas modo ipſorum claſſes poſſint referri, ibique revera contineantur, ad minimum illa alterantia æquè mechanica agunt, & ſatis occulta particularum conſtructione ſeu figura, combinatione, ac textura.

Specifica medicamenta laudant duplicia, vel quæ certæ parti corporis conveniant, & amica ſint, vel quæ certæ morbificæ cauſæ oppoſita ſint, ſicque certum morbum curent; nec deſunt qui utrumque negent; alii ſaltem has non duas exiſtimabunt diſtinctas claſſes.

Quod medicamentum uni corporis parti magis conveniat quàm alteri, id dependere ajunt à diverſa partium ſolidarum configuratione, quoad ipſos poros, texturam, ac ſtamina, è quibus contextæ ſunt, & à varia particularum medicamenti conſtructione partium ſolidarum poris correſpondente; quæ quidem ſupponi facilè probari nulla ratione poſſunt ſpe-

cialius, in genere enim aliquid habent veritatis, ſed inutilis, quid enim proderit dixiſſe, hæ partes cum poris partium ſolidarum habent convenientiam, & hi partium ſolidarum pori cum his medicamenti particulis, cum potius convenientia cum fluidis, vel aptitudo ad illa immutanda debere reſpici; in his enim, non in ſolidis actio ſpecificorum fundatur.

Quod verò dicant dari uti amica certæ parti medicamenta, ita & inimica certæ parti non minus dari, id cautè admittendum; vix dantur inimica certæ & unicæ parti remedia, ſed fatendum etiam vix amica uni ſoli dari, cum omnia talia viſa ſint tonica, pluribusque proficua, quod facile exemplis deduci plenius ſi opus ſit queat.

Hinc rectè quoque videas agnitum, ſpecifica, quæ certæ parti affectæ ſaltem opitulentur, in reliquis autem nihil valeant dari, abſurdum eſſe; ex ratione modo allegata; & inſigni inter partes tum conſenſu per communes nervos tum convenientia ratione ſtructuræ, fibrarum cumprimis nervearum & muſcularium omnibus communium, à quibus in omnibus toni pendet integritas, firmitasque, & omne robur.

Ajunt hinc dari medicamenta acida, volatilia, vaporoſa, anodyna dicta, quæ licet manifeſtis qualitatibus gaudeant, propter ſtructuram tamen qua inter ſe differant, ſpecificum in morbis habere effectum.

Quis verò hæc dicat ſpecifica? hæc ſcil. illa ſuperius dicta ſunt alterantia vaporoſa, ſeu anodyna; & hæc gaudere qualitatibus his manifeſtis certum eſt, aliud verò eſt habere qualitatem manifeſtam, & agere modo agendi manifeſto, hic enim occultus etiam in his manet, non obſtantibus tot conjecturis eruditis.

Me-

Medicamenta motum humorum moderantia ſunt qui diſtinguant in ea, quæ accelerant motum, ſive illum reddunt citatiorem, & in ea, quæ nimis celerem & inordinatum ſiſtant ac componant; ubi tamen reſpiciendum ad duplicem motum humorum, tum inteſtinum, tum progreſſivum & circularem, quæ unum accelerant non ſtatim accelerant quoque alterum, nec quæ unum videntur retardare alterum eo ipſo ſiſtere mox valent; neque decet hic ſolum reſpicere ad humorum motum, ſed & ad ſpirituum tum torporem, tum motum nimium, orgaſmum, & elaterem juſto excitatiorem & liberiorem deficientibus iis quæ moderare eundem ſolent repagulis.

Motum humorum celerem naturalem dicuntur reſtituere omnia ſic dicta cordialia, confortantia, ſpirituoſa, elaſticas, æthereas, ſubtiles & amicas particulas ſpiritibus animalibus & ſanguini ſuppeditantia, deinde omnia deobſtruentia, quo ſpectant præter antea dicta, evacuantia & alterantia, præcipuè gummata & reſinoſa, martialia, antimoniata, & mercurialia, quæ omnium ſint potentiſſima; eo ipſo tamen patet æquivoco admodum & inæquali ſenſu tot diverſis variorum generum remediis tribui motûs humorum celeris reſtitutionem, nec eodem omnibus jure competere; pluribus admodum remotè, ſiquidem omninò illis competat; & quam diverſis quæſo modis accelerant motum ſanguinis volatilia, calida, & deobſtruentia alia, in ſpecie mercurialia, imò ne quidem celerem hæc ultima efficiunt ſanguinis motum, cum lympham ſaltim viſcidam attenuent ac fundant; ut taceam, non omnia quæ tenuem reddant ſanguinem, vel ſtimulent, vel fundant, celerem ideò ejus efficere motum, cum non rarò citatior motus inteſtinus talibus concitatus ſtimulis non

tam promptiorem ac celeriorem , quam potius impeditum reddat ſanguinis circulum , orgaſtico , turgenteque humore ſibi ipſi præcludente viam.

Motum impetuoſum & celerem ſiſtentia vocant præter acido nitroſa, alterantia , ipſa anodyna, quæ blanda ſulphurea exhalatione quodammodo celerem iſtum motum ſiſtunt, & ipſa quoque adſtringentia ; Spiritibus verò potiſſimum dicata ſunt coercendis & refrenandis anodyna , quorum innumeri gradus conſiderationem merentur, creſcentes ſcilicet usque ad indolem venenatam , & ad nimiam ſpirituum ligationem quod vel nimium teſtatur aſſumtum opium , ſeu ad ſpirituum ſimul turbationem violentam uti hyoſciami exemplo innotuit &c. quanquam & anodyna non in ſpiritus modo, ſed & in humores agant , & in ſolidas partes. Adſtringentia verò ſæpè motum magis intendunt quam ſedant, intempeſtivè adhibita.

Uti verò quidam medicamentorum claſſes nimis ſolicitè diſtinguunt, ita alii ex adverſo nimium favere confuſioni videri queant, hinc effatum: Quodvis medicamentum evacuans, alterans, & motum in æquilibrio ſervans pro diverſitate cauſæ morbificæ & intemperiei corrigendæ poteſt eſſe Cephalicum, ſtomachicum , uterinum , pectorale , bezoardicum, hepaticum; eo ipſo ſanè, quia ſpecifica ſtrictè dicta non dantur , & ejusdem partis plurimæ poſſunt oriri læſiones , ejusdem affectus plurimæ ac diverſiſſimæ cauſæ ; neque tamen ſtatim vel Cephalicum, vel ſtomachicum, vel pectorale erit, quod in harum partium morbis curandis aliquid contulerit; agnovere hoc dudum aſſertores ſpecificorum , qui præter illa non excludunt uſum aliorum magis generalium remediorum tum evacuantium, tum alterantium.

Cephalica dicunt illa, 1. quæ poros obſtructos cerebri & nervorum reſerant ; 2. quæ materiam ſpiritibus animalibus ſup-

ſuppeditent, qualia ſint omnia ſale volatili oleoſo blando, & reſinoſo principio fœta, uti ſint roſmarinus, lavendula, majorana, origanum &c. 3. Cephalica dicunt illa, quæ ſpirituum animalium motum nimis celerem quadantenus compeſcant, qualia ſint quæ paregoricis, ſulphureis blandis, vaporoſis conſtent, v. g. flores tiliæ liliorum convallium, primulæ veris, pœoniæ, ſambuci, moſchus, zibetum, ambra, nuciſta, camphora &c. Multa ſane inter hæc ſunt quæ non magis Cephalica ſint, quam vel uterina, vel cardiaca, vel hepatica; nec obſtructi cerebri pori Cephalalgiæ ſunt cauſa, unde nec deobſtruentia iſta erunt Cephalica, cum nec nervorum obſtructio hujus cauſa dici queat; roborantia autem caput ſi dicantur, non minus erant roborantia totius corporis, cujus omnes partes talia robor aut remedia; quanquam laudata hæc reſinoſa ſæpe magis noceant in capitis affectibus maximè à cauſa calida ortis; quæ verò ſpirituum motum ferocientem compeſcunt non ideò erunt cephalica, ſed toti proſpiciunt corpori & ſunt plerumque confortantia in genere, uti ipſis his patet exemplis.

Hinc monent rectè, omnia Cephalica eſſe ſimul nervina, uterina, antiſpaſmodica, & contra; omninò enim ita eſt, omnia nervis ſuum in corpore vigorem debent, omnia igitur quæ his vigorem & fibris robur conciliant non tam Cephalica ſunt quam totius corpori vigori & viribus inſervientia &c. multis tamen plus virium tribuitur quam quidem revera habeant.

Pectoralia dicunt illa, quæ materiam acrem ſubſtantiæ pulmonum infenſam demulceant ac leniant, veſiculas membranaceas pulmonales conſolidant, & humores viſcidos incidant, ut ſint omnia emollientia, mucilaginoſa, humectantia, vulneraria; multa verò vulneraria nullo jure dicuntur, nec omnia emollientia & mucilaginoſa merentur pectoralium

nomen, veſiculas verò pulmones quid eſt quod valeat conſolidare ? etſi alia niſi hac conditione pectoralia non forent, nulla forent, triſtis id phthiſicorum loquitur experientia, & eventus morbi nulla plerumque arte impediendus.

Stomachica medicamenta reſpicere dicuntur vel fermentum ventriculi, vel calorem, vel robur, fibrarum ſcilicet tonum ; calorem verò à ſolo ſanguine ventriculus petit, non à medicamentis, quæque ipſi ſuggeruntur calida, calorem ipſius non augent, ſed eum quidem ſtimulant, imò & ſubinde graviter ſenſim lædunt ; quæ verò tonum augent, calorem augent cum influxum ſpirituum & ſanguinis promoveant & procurent vividiorem ; fermentum verò juvant quæ cruditatibus occurrunt.

Acida volatilia, & ſalina incidentia fermentum ventriculi, aromatica & ſpirituoſa calorem, leniter adſtringentia tonum ventriculi reſtituunt ; utraque vero tonum quoque roborant, & tamen ſæpe illum abuſu deſtruunt, ſæpe volunt calorem ſtomachi augere ſpirituoſis, eumque potius imminuunt ; nec enim calor augetur ab infuſo ſpirituoſo liquore, per vaſa & nervos affluit vitalis calor, non ab extra infunditur vel peri debet.

Alexipharmaca ac bezoardica dicunt illa, quæ mixturam ſanguinis turbatam & deſtructam reſtituant, & vinculum ſeri ac ſanguinis conſervent, uti ſint theriacalia, pulveres bezoardici ; multa bezoardica dicuntur & non ſunt, multa ſunt & non dicuntur ; non hoc vero ſolum modo agunt alexipharmaca, & licet qualitas eorum non ſit occulta, modus tamen agendi multorum multum occulti, multum obſcuritatis habet ; pleraque ſunt tonica, roborantia, confortantia, diaphoretica, abſorbentia, antifebrilia ; aliud verò eſt theriacale, aliud theriaca, multa enim theriacalia ſunt, ſi hæc idem æſtimes cum bezoardicis ; theriaca verò etiam eſt quidem

dem ſuo modo bezoardica, potiſſimam tamen efficaciam opio debetur.

Cap. III.

DE EVACUANTIBUS, ILLORUM USU ET ABUSU.

CUm ſanguinis miſſio generoſum ſit remedium multis quidem utile ſed & multis exiſtit pernicioſum, unde & aliqui in eam devenere opinionem, remedium iſtud è foro Medico omnino eſſe eliminandum, aliis ſimul uſi ab ipſa corporis ſtructura ac humorum craſi deſumtis argumentis, ſed nimium probantibus.

Quando vires ſunt debiles, nullaque ſanguinis & humorum adeſt abundantia, primæ viæ humoribus excrementitiis obſeſſæ, appetitusque emortuus, dejectionum copia, hyemali tempore, in morbis frigidis & diuturnis, Venæſectionis uſus rejici ſolet, & damnoſiſſimus declarari. Nota tamen, neque omnia iſta neceſſariò debere concurrere, ſed ferè quodvis eorundem ſufficere ad eam excludendam; ſed nec hanc regulam eſſe ſine exceptione; Si enim in tali etiam aliquo ſtatu ſuperveniat pleuritis, vel hæmoptoe &c. non omiſſeris ideò impune Venæſectionem. Status primarum viarum, & appetitûs, directè eam non prohibent, nec hyemalis tempeſtas quidquam obſtabit ejus neceſſitati aliunde colligendæ.

Abundante ſanguine, majusque ſpatium affectante, ſi ordinariæ ejus evacuationes ſint ſuppreſſæ, ſi vires præſentes ſint, & atrociſſimus dolor, ad partem dolentem affluxus Venæſectio ſacra dicitur anchora; neque tamen omni turgeſcentiæ & orgaſmo ſanguinis ea mox opponenda, quod ſæpe nec foret tutum, nec neceſſarium cum mitioribus internis facile iſtæ ſedentur

turbæ

turbæ ; neque omni convenit , utut atroci dolori ; ecquid enim in colica ſpaſmodica efficiet? neque in ſummis podagræ cruciatibus facilè admittenda; dandum verò aliquid conſuetudini, tum in admittenda, tum in omittenda hac operatione, imò & ægri opinioni, idioſyncraſiæ, ac formidini ; aſſuetis illa non facilè interdicendum ſi ſuppetant vires , licet nil urgeat.

In regionibus calidis facilius ferre homines Venæſectionem quam in frigidis obſervant ; multum & hic dandum conſuetudini , neque verò à frequentia hujus operationis ad majora ejus in iſta regione commoda & neceſſitatem firmiter concluſeris.

Teſtari ajunt obſervationes & experientiam ſæpe unica Venæſectione conquieviſſe morbum ; quoties verò ex adverſo ſine fructu adhibetur ? & quoties per fallaciam non cauſæ ut cauſæ Venæſectioni plus adſcribitur quàm decebat ; quo ipſo magna ejus commoda non negantur , ſed judicium ſaltem præceps , & minus fundatum plerumque, notatur ; plerumque enim cumulantur remedia, & uni poſtea effectus adſcribitur.

Ajunt, nihil magis indicare Venæſectionem, quam dolorem & plethoram ; orgaſmus ſanè vehemens æquè urget, imò ob præſens ſæpe periculum magis quàm plethora , de cujus exiſtentia tot alii dubitant , cum de orgaſmo dubitet nemo ; nec inficieris dari dolores qui indicent Venæſectionem, omnes tamen eam indicare haud dixeris ; pleuritis fortius indicat Venæſectionem quàm ipſa plethora, & eam urget celerius, non tamen ut dolor , ſed ut aggeſtio ſtaſisque ſanguinis admodùm metuenda.

Huc ſcilicet pertinet notum illud axioma: Præter finem Venæſectionis evacuatorium , dari etiam derivatorium , quia ad venam apertam ſanguis ἀθρόως ruat ; ruit quantum permittit

mittit circulationis lex ac vaſorum communio ac ſitus, neque illud tuit tam ἀθρόως; & ſanè etiam derivatorius finis eſt evacuatorius, alias non eſſet derivatorius; commoda ad minimum in Pleuritide æquè morboque acuto, ac in chronicis, aſthmatis e. g. paroxyſmis præſentiſſima tota die oſtendit praxis; ſi maximè in pedibus Venæſectio fuerit adminiſtrata.

Fluxus ſanguinis nimius in partibus ſuperioribus curari dicitur per venæſectionem in partibus inferioribus inſtitutam & contra. Idem notandum de omnibus tendentiis ac determinationibus ſanguinis verſus ſuperiora, caput & præcordia, omnesque hinc enatas aggeſtiones ſanguinis & ſtaſes, in quibus egregia eſt in pede Venæſectio.

Prima Venæſectio à morte & magno morbo liberare poſſe dicitur, ſi à plethora morbus perveniat; non verò ſi à plethora ſolum, ſed & ſi ab orgaſmo, ab aggeſtione ſanguinis &c. Cur verò prima laudatur Venæſectio? ſi prima tantum poteſt, idem ſanè poterit & ſecunda & tertia, & vigeſima forte, ſi neceſſitas & plethora aut orgaſmus, aut ſtaſis urgeat, ſi verò iſta non urgeant ne prima quidem vel neceſſaria erit, vel tam efficax.

Poſt Venæſectionem pulſus ſemper dicitur major, concoctio autem debilior; erunt qui de hoc dubitent; quid enim cum moderata venæſectione concoctioni, quidque huic per illam decedit? & qua neceſſitate major inde evadet pulſus; largior juſto venæſectio quæ concoctioni queat nocere, majorem non efficiet pulſum, parca mutationem nec in concoctione, nec in pulſu infert ſenſibilem.

Abuſus venæſectionis diſponere dicitur ad cachexiam, hydropem, malum hypochondriacum, & febres intermittentes reddere pertinaciores. Omne nimium enim vertitur in vitium, largaque illa evacuatio vigorem ſanguini vitalem ſubtrahit, unde prona in cachexia declinatio, indeque vappe-

ſcente ac vi ſanguine in hydropem, ſero ejus nimis fuſo. In febribus non ratò recidivas ciet intempeſtiva etſi parva venæſectio. Hypochondriacis tamen ſæpe prodeſt.

Tritæ objectioni opponunt theſin: Non tantum ſubtilem ſanguinem & fluidum per venam ſectam exire, verum etiam craſſum; demptâque ejus parte reliquum facilius medicamentis corrigi poteſt. Omninò talis prodit ſanguis qualis in venis fluctuat; licet negari non poſſit, non eadem ſemper æqualitate mixtam eſſe ſanguinis maſſam, unde & exempla candicantis cum ſanguine educti chyli; unde nec immeritò reſpiciunt ad amplitudinem vulnuſculi venæ inflicti, quod aliquando nimis exile ſanguini glutinoſiori, ejusque maſſulis forte ad concretionem tendentibus exitum intempeſtivè deneget; contribuere verò etiam ad faciliorem conſiſtentiæ ſanguineæ emendationem venæſectionem, dubitandum non eſt.

Venæſectio conſueta intermiſſa non raro magnos produxit morbos, ſanguine orgaſtico in locis periculoſis vel congeſto, vel omninò perrumpente vaſorum repagula; quanquam non ratò hæc accuſetur cauſa, cum alia ſubſit.

Arteriotomia carere nos poſſe in Medicina, ſunt qui affirment, & hujus loco ſubſtituant ſectionem venarum minutiſſimarum; cur verò minutiſſimarum? quia nempe ſic putant eundem ſanguinem nondum in venis amplioribus lenteſcentem educi, ſed ſpe incerta, minutiſſimas enim venulas ſecare non licet, imò nec videre, quas verò ſecare queas jam reſpectu capillarium minutæ non ſunt, nec magis ſupplebit eorum ſectio arteriotomiam, quam ſectio majoris venæ, quæ illam omninò plerumque ſupplebit, fruſtra enim tantum tribuunt arteriotomiæ, operationi ambiguæ, difficili, nec tutæ, nec forſan utili, & eò minus neceſſariæ.

Cucurbitulæ Venæſectionis habentur viccariæ in ſeroſis, pinguibus, catarrhoſis perſonis, & ubi dolor & obſtructio profun-

profunda adeſt apprimè utiles cenſentur ; ſi ſcilicet revulſio, quam vocant, ſeu derivatorius ſcopus non intendatur pro ſubitanea ope , ſed ſaltem eductio & ventilatio, imminutioque laticis ſanguinei & ſeroſi.

Ubi nervi obtuti ſint copiâ tenacium , viſcidorum humorum, locum habere concurbitulas poſſe monent, & non ſolum evacuare, verum etiam rarefactionem inducere, & motum debitum humoribus & ſanguini conciliare; Aliud verò eſt cucurbitulas evacuare, aliud verò excitare, & tanquam ſtimulum fibras per ſpiritus laceſſere, inque vivaces adigere ad amoliendum noxium oſcillationes & ſtricturas.

Membra gangræna affecta ſcarificatione felici cum ſucceſſu ſæpius tractari monent ; ſic enim profundius penetrare admota remedia partemque attingere ſanam , eamque præſervare , & corruptæ portionis ſeparationem promptiorem efficere valent; aliam verò hujus ſcarificationis eſſe rationem quam illius quæ dum cucurbitulis fit nemo non videt & agnoſcit.

Purgantia dicuntur agere ſale quodam ſulphureo acri ſtimulante, irritante ac ſpaſmodice contrahente ac convellente fibras ac glandulas inteſtinales ; nec verò ſufficit allegaſſe pro cauſa purgationis irritationem ab iſto ſale vel qualicunque acri factam , multa enim acria & irritantia ſunt , quæ tamen non purgant, ſed reſpiciendum maximè ad fuſionem humorum ſeu ſeri, quæ à purgante excitatur , præcipuasque in evacuatione iſta partes agit.

Prout ſal illud acre differat ratione acredinis & corroſivitatis , purgantia ratione effectus differre dicuntur , eſſeque vel leniora , vel fortiora; leniora eſſe folia ſennæ , rhabarbarum , caſſiam, tamarindos , mannam, polypodium, aloem, mechoacannam, mirobolanorum ſpecies, centaurium minus, eaque & laxantia dici , fortiora eſſe radicem Jalappæ , ſcam-

monium, esulam, colocynthidem, helleborum nigrum & album, gummi guttæ, & ex illis varia præparata & composita. Manifestum verò est istos virium gradus non ab acrimonia sola præcisè, indeque nata irritatione esse, sed etiam ab humorum fusione, unde & à lenioribus hîc dictis largissime etiam evacuationes sequuntur, cum tanta acrimonia tamen minimè polleant; pro doseos verò ratione idem remedium nunc ad unam nunc ad alteram spectabit classem; quædam verò rectius excluduntur, uti v. gr. gummi guttæ, helleborus albus &c.

Quodque monuimus circa fusionem, confirmatur alio authorum effato, dum notant, purgantia propter sal illud acre causticum simul esse alterantia, dum incidant, attenuent, ac colliquent viscidos crassos humores in intestinis hærentes; observarunt enim copiam colliquatorum excretorumque humorum, illosque ex intestinis eorumque viscidis cruditatibus à sale attenuatis deduxerunt, cum rectius ex fusione humorum quasi universali & serositatis ad primas vias amandatione deducatur, cum operatio purgantium in primis viis non terminetur, sed ad ipsam quoque massam sanguineam se extendat, teste evacuationis largitate & copia ex primis viis minimè expectando.

Unde & annotatum legas: A purgantibus non tantum contenta intestinorum, verum etiam glandularum intestinalium, pancreaticos, & bilioſos humores educi; sed ipsa excretorum copia largiorem massæ sanguineæ totius fontem abundè innuit ac demonstrat, ex qua sub ista primarum viarum irritatione, & humorum fusione hi largiter eò confluunt & excernuntur.

Ubique inculcatum leges, non dari, uti visum erat veteribus, purgantia specifica, quæ nempe certum humorem occulta qualitate attrahant & evacuent; stimulus enim sive lenior

lenior ſive fortior, fuſio humorum ſive exigua ſive profundior non unum præcisè ſed omnes attingit humores.

Interim tamen id ita legas reſtrictum, ut dari ſtatuant purgantia, quæ huic vel illi humori educendo magis vel minus conveniant, ſic rhabarbarum, tamarindos optimè bilem, gummata, mannam, folia ſemmæ, polypodium acidos humores, radicem hellebori glutinoſos & viſcidos, mechoacannam & jalappam ſeroſos expurgare humores, quatenus ſimul alterantem virtutem poſſideant. Iſta verò non promiſcuè omnes admiſerint, admodum differunt rhabarbarum & tamarindi, neque ex eodem capite dicantur bili, illud ſcilicet ob amaritiem & vim tonicam, hi ob acorem mitem calorem bilis temperantem; & omnia reliqua nunc ſerum, nunc bilem, nunc acidos ſuccos evacuant, prout variabit vel doſis, vel humoris unius præ alio rum abundantia, vel ſubjecti diſpoſitio, idem enim purgans diverſis temporibus diverſiſſimos producere effectus & quà modum & quà humores & eorum quantitatem, conſtat.

Acidi & viſcidi humores dicuntur difficilius purgari, hinc præmittenda eſſe alterantia & corrigentia, quæ digeſtiva vocentur; iſtis verò non ſemper opus eſt, nec in omnibus ſubjectis, quædam verò ſubjecta iis indigent non pro his præcisè humoribus ſed pro omnibus, & quoties purganda ſunt, idioſyncraſia enim attendenda maximè in exhibendis purgantibus, eſtque inter homines ingens differentia, imò & in eodem homine diverſo tempore.

Prudenter monetur, fortiora purgantia in morbis, ubi Maſſæ ſanguineæ mixtura, ſpirituum craſis ac vires deficiunt, & ubi humidum deficit, pulſus debilis eſt, & bilis acris ac tenuis, ventriculo exiſtente debili, nunquam danda eſſe. A violentioribus tutius ſemper abſtineas, cæterum ſæpe purgationem evitare non licet, ubi & ſpirituum craſis, & vires, &

ſanguinis læſa ſunt, modò non nimium ſint peſſundati varia quoque ventriculi debilitas datur, nec omnis prohibet purgantia; fortiora vero nunquam laudanda in quorumque data ventriculi ſtatu.

Hinc ajunt præſtare purgantia fortiora ſemper refracta in doſi dare additis ſalibus incidentibus, abſterſivis & carminativis, quæ purgantium optima incentiva & corrigentia habeantur; refractæ doſes ſemper tutiores; tutius vero abſtineas à draſticis & violentis remediis, cum tot blandiora & mitiora præſtent; quanquam & his commodè addantur hæc incentiva atque corrigentia carminativa; uti in ſpecie circa folia ſenæ, & alia quoque annotatum leges.

Intempeſtivo purgantium uſu plures in Cachexiam, hecticam, phthiſin conjectos eſſe monent; nocent omnia medicamenta intempeſtivè data, multo vero magis purgantia, quæ nunquam non agunt cum aliquo virium diſpendio, & fibrarum irritatione ac fatigatione haud levi; unde non in hos modo ſed & alios morbos videas conjici eos qui intempeſtivè purgantur, hinc ſæpè ſpaſmodici affectus, colica, & ex hac pareſis, læſa digeſtio, atomia ventriculi, debilitas capitis ac nervorum, febrium recidivæ &c.

Hinc monitum legimus, ante purgantium fortiorum uſum ſemper prius tollendas eſſe glandularum, & vaſculorum minimorum obſtructiones, quoniam purgantia conſtrictione ſua ſpaſmodica magis obſtructiones firment; erit & huic monito non raro locus; ſi vero ſemper expectanda ſit omnia cum reſeratio obſtructionum, nunquam devenies ad purgantia; etiam hæc deobſtruunt; nec diuturna erit quam purgans per irritationem & aliqualem conſtrictionem infert obſtructio, ſed ceſſabit mox finita illa irritatione & purgatione.

Quævis copioſior ac vehementior purgatio plus nocere quàm

quàm prodeſſe dicitur hinc præſtare per epicriſin educere peccantes humores quàm ſimul & ſemel; notandum tamen non ſemper idem eſſe copioſiorem & vehementiorem purgationem, ad minimum etiam illa quæ vehementia non ſunt, ſed leniora, ſæpe copioſiſſimè purgant, ſæpè quoque cum euphoria, ſi natura maximè eo vergat.

In purgatione quæ ad morborum præſervationem fiat, jubent tempus anni & lunæ phaſes attendere, imminente enim plenilunio magis in corpore augeri humores, & tumores; & cum quidem morborum ingraveſcentia ſæpe ſymptomata iſtiusmodi phaſium efficaciam oſtendant, rectius tum abſtinebis ab exhibitione purgantium, licet nondum probata ſit illa humorum in plenilunio augmentatio; ac ſi fieret ſuadere potius purgantia quam prohibere videantur.

Peſſimè illos facere judicant, qui quando fortius purgans non operetur, alterum fortius ſuperingerant, & ſic ad purgationem cogere naturam velint; neque enim eadem ſemper corporis ad purgandum diſpoſitio ac facilitas eſt. unde res non nimium urgenda; eſt tamen ubi apte ſatis novo ſtimulo tardiorem prius aſſumtam doſin tantiſper urgeas, unde & data opera dividimus unam purgantis doſin, binisque eam vicibus exhibemus &c.

Melancholici, hypochondriaci, quartanarii propter copioſum acidum in primis viis contentum & purgantium vim enervans difficilimè dicuntur purgari; multi verò ſe difficulter, imo non purgari poſſe prætendunt, quos vel leniſſima potiuncula egregiè expurget, ficcioribus ſcil. aloeticis, ac calidioribus rem fruſtra ſed imprudenter prius tentaverant.

Aloetica, rhabarbarum optima dicuntur purgantium, cum non tantum blande educant, verum etiam acidum corrigant, & bilem balſamicam reddant, poſſintque optimè dari

dari cum cibis; quanquam nec alia leniora his cedant, ad minimum rhabarbarum aloeticis multi prætulerint, quod hæc non omnibus conveniunt, calidis maximè, hæmorrhoidibus obnoxiis, hæmoptoicis &c. nec unquam cum cibis commodè dederis purgantia chylum enim præcipitant; nec tanta his virtus ineſt, ut acidum adeò dorment, & bili reddant balſamicam vim.

Foliorum ſennæ & rhabarbari virtus magis per infuſionem quam coctionem dicitur extrahi; tota tamen die coquendo eam videmus obtineri commodè; utut & in pulvere rhabarbarum alii malint exhibere.

Unde etiam monent, aloetica melius operari in humidis & pinguibus, quàm in ſiccis perſonis, & hoc habere incommodi, quod alvum ſiccent per aliquot dies, & facilè hæmorrhoides aperiant; ſunt tamen & ſicciores qui laudent aloetica, conſuetudo etiam hîc mutat ſæpe regulam; nec in omnibus illam alvi ſiccitatem & tarditatem poſt ſe trahunt; hæmorrhoides verò ſæpe irritant magis quàm aperiunt, quod ſæpè optarent hypochondriaci, levamen inde ſibi promittentes.

Mercurium dulcem non omnibus laudatum, alii egregium, ſi convenienti detur doſi & caute adhibeatur purgans vocant, quod alvum poſt operationem non reddat adſtrictam; aſſumi eum in pilulis poſſe, quomodo in obſtructionibus reſerandis ac in tenacibus viſcidis humoribus colliquandis efficaciſſimus ſit; at verò, & hic, & alia purgantia omnia, ſi copioſius operentur ſubducta inſigni humidi portione alvum aliquandiu tandiorem reliquunt ſine incommodo, neque id mala in purgante nota eſt; cæterum alia blanda purgantia æquè educunt humores pravos, viſcidi verò facilius commodiusque per alterantia corriguntur, quæ & in obſtructionibus tollendis, continuata exhibitione magis ſunt commendata & efficacia.

Mo-

Monent quoque, mercurium dulcem cum ſalibus intimè unitum deleteriam rurſus induere naturam, & fortes purgationes ac ſalivationes excitare ſolere ; eò certè cautius exhibendus, nec niſi certus ſis de juſtâ præparatione, & reliquis circumſtantiis; quantò autem tutius alia mitiora dantur, quæ iſtiusmodi periculis non exponunt ægros.

Purgationes diſſuadent circa ſolſtitia, æquinoctia, & diebus canicularibus ; quia ſcilicet circa illa tempora magnas alterationes ſanitas patitur, maximè verò caloribus æſtivis nimium jam fuſus ſanguis, nova non eget fuſione, quam nec ſine noxa feret, ſed in nimias erumpet dejectiones.

Monent quoque, in paroxyſmis omnium morborum non facilè admittendas purgationes, ſed potius extra illos; ne ſcil. turbæ plus quàm par eſt augeantur, ac natura diſtrahatur, occupata tum in eliminandis, ſegregandisque ſibi moleſtis.

Purgantibus eleganti ſtratagemate immiſceri dicuntur aperientia, præcipitantia, diaphoretica, etiam opiata ſummo cum effectu in variis morbis ; ut partim moderentur purgantium effectum, partim adjuvent ac ſecundent, quod opiata in efferis morborum calidiorum turbis efficiunt, fortia verò vix aptè admiſceas ; nec diaphoretica ut talia, ſed ut aliis ſimul ſcopis ſatisfaciunt.

Poſt purgationem ſemper magis convenire dicitur motus quàm quies, & abſtinentia à cibis ; theſeos verò ambiguus eſt ſenſus, an ſcil. intelligas poſt purgationem ſumptam, an verò purgantis operationem abſolutam; ſumto purgante lenis motus præferendus quieti omnimodæ, nec totali opus eſt abſtinentia, cum plerique cum effectu crebra aſſumant juſcula, & alii demum à prandio melius largiusque purgentur aſſumto mane purgante ; abſoluta verò operatione idem eſt ſive quieſcas, ſive movearis, ſive abſtineas, ſive edas, modo moderatè edas.

Aer & potus frigidus poſt purgans aſſumtum ceu venenum vitandus eſſe dicitur ; teneriores enim tum poſt irritationem laboremque fibræ ac debiliores graviter à frigore afficiuntur, nec impunè id ferunt, quamvis non negandum ſit, eſſe qui hoc ſine noxa negligant , moxque ad priſtinam redeant diætam, ac vivendi libertatem, imò nec eam interrumpant tempore purgationis, tanta hominum varietas eſt.

Vomitoria dicuntur agere irritando, ac ſpaſmodicè contrahendo pylorum & tunicas ventriculi, ac œſophagi ſale quodam volatili ſulphureo acri ; ſpaſmum ſane omnia loquuntur ac teſtantur, & inverſionem quaſi motûs periſtaltici ; pylori verò conſtrictio nec neceſſaria eſt , nec poſſet eſſe conſtans, cum potius impediret ejectionem eorum quæ per vomitum excernuntur, quorum pars magna ex duodeno, amplo quaſi & altero ventriculo ſurſum protruditur; nec acri ſemper ſale opus eſt quod ſtimulet, ſufficit levis nauſea , irritatio à male humorum etiam inſipidorum , omnesque aliæ occaſiones iſtum fibrarum motum inverſum procurantes.

Differre dicuntur emetica, & purgantia gradu & diverſitate acrimoniæ, ſalino ſulphureæ irritantis, volatilioris vel fixioris, hinc vomitorium facile purgans fieri poſſe, & purgans per ſuperiora evacuare ; tota enim die cernimus omnia mitiſſima etiam purgantia poſſe vomitus procurare , tum nauſea tum ſtimulo aliquali , nec refert fixum quid interveniat an volatile , nec ad iſtas hic reſpiciendum ſalium proprietates; plus contribuit diſpoſitio ventriculi ſpecialis, & præſentia cruditatum, indeque pendens earum tendentia ſurſum vel deorſum; quare differentia vix erit dicenda gradualis tantum pro diverſitate acrimoniæ.

Sic mitiora modernorum , & quæ à la mode ſunt purgantia ;(eſt enim & quædam medicamentorum periodus quò illa placeant, quia aulis, aliisque primatibus placent ac commen-

mendantur) vomitum vix, niſi more aſiquando, at rarius, producunt, exemplo magneſiæ albæ leni ſuo ſtimulo nitroſo purgantis, & ſalis polychreſti montiſpeſſulani, ſalisque amari anglici, quorum doſes unciæ unius reducunt quaſi in uſum apozemata veterum, & purgantia mole ſua olim formidata, diluuntur enim ordinatiò multa ſub aſſumtione ptiſana, vel acidulis, vel alio liquido.

Quod verò dicunt, purgantia recentia particulis ſuis volatilibus adhuc inſtructa facilè excitare vomitus, id vix niſi per accidens contingit, & ob nauſeam ab odore particularum exhalante ingrato excitatam; volatilitas enim ut ſic ad vomendum nihil confert, æquè enim fixum ac volatile fibras ſurſum adigere & contenta primarum viarum ejicere valet; nec volatilitas tartari emetici procurare vomitus facile judicabitur.

Emetica in quartanariis, hydropicis, melancholicis rarò ajunt operari, ob ſal acre volatile medicamenti enervatum ab humoribus acidis in ventriculo ſtabilantibus; at verò nec adeò rarò in his morbis operantur emetica, nec ideò non operantur, ſed ob ſiccitatem & quaſi inſenſibilitatem fibrarum, & viſciditatem cruditatum; nec rarum eſt ipſum illud ventriculi p.n. acidum excitare vomitus, adeò emetici actionem non impedit.

Selectiſſima & ſecuriſſima ex vomitoriis dicuntur tartarus emeticus, & mercurius vitæ ritè correctus ac edulcoratus, ſulphur antimonii correctum, & ſal vitrioli; tutior forſan etiam his reliquis emeticus tartarus, ſi doſi refracta utaris, aliâs nec hic tutus eſt, habet ſemper hæc operatio emetica aliquid ſuſpecti & videnti quod Medicum quaſi retrahat, parcumque reddat & tardum in exhibitione; ac præſtent forſan infuſa ex croco metallorum tartaro emetico, ſi quidem emetico opus eſſe videatur, uti ſæpe opus reverà non foret, niſi opinio præjudicata remedium non rarò

ſuſpectum ac formidandum commendaret, ipſam verò in ſubſtantia exhibitionem emeticorum iſtorum meritò circumſpectiores metuunt; qui triſtes vitri antimonii, aliorumque effectus viderunt cum exhiberentur temerè à tonſoribus &c.

Monent porrò de vomitoriis, ea in forma liquida rectius, & felicius doſi refracta exhiberi, nec unquam eſſe naturam ad vomitum cogendam; ſæpè quidem ultrò vomitum natura movet, quoties emetico urgetur atque irritatur, toties ad vomitum cogitur, quem aliâs nollet procurare, niſi ſtimularetur; refracta doſis meritò commendatur ob violentiam operationis, nec enim aſſumptum ſemel emeticum amplius eſt in poteſtate exhibentis nec pro lubitu id licet moderari ac refrenare, cæterum ſive liquida ſit aſſumendi forma ſive ſicca eodem ferè recidit, cum & in ventriculo occurat liquidum, & ſicca ſeu pulviſculi v. g. tartarus emeticus in liquidis ſumatur.

Etiamſi non operentur vomitoria, audias tamen moneri ea nihil nocere, ſed lenes ac utiles ſæpe inſtituere ſalivationes ac purgationes; optandum ſanè eſſet uti ſæpe data intempeſtivè emetica non operarentur, ſic minus nocerent quam operando, cæterum ſi non operentur, neque nocebunt; multa plebis de purgantibus inertibus querela eſt, metus ingens, ne ingeſta noceant ſi non operentur purgantia, fruſtra verò metuunt ſi mitia ſint ac probata, ſi verò ſuſpecta & chymica, maximè ſi male præparata, nunquam deberent exhiberi, cum tot mitia & ſecura poſſideamus.

Indicare vomitorium dicuntur, nauſea, os amaricans, præcordiorum dolor, ſputum copioſum, labiorum tremor, & ſtagnatio humorum bilioſorum viſcidorum in ipſis præcordiis. Iſti verò vix in præcordiis ſtagnabunt, in duodeno & ſtomacho potius quærendi; ac præſentibus etiam iſtis ſignis tardus ſit ad danda emetica Medicus, quæ etiam dabit aliquando nullo ex his præſente, ſed aliis indiciis hanc evacuationem

tionem urgentibus; præcordiorum dolor magis excludit quam indicat emetica; cardialgia verò non eſt dolor præcordiorum, quanquam & cardialgiæ multæ ſpecies emetica vix admittant; poſſunt talia ſigna occurrere in Phthiſicis, hæmoptoicis &c. iſtis verò emetica ſine periculo quis exhibeat, concuſſio enim tardiorem alias accelerat interitum.

Adverſus uſum vomitorii contraindicare monent, habitum corporis obeſiorem, lipothymiam familiarem, inflammationem ventriculi, pulmonum læſionem, prolapſum uteri & inteſtinorum, virium dejectionem, ſyſtema nervoſum debile, & difficultatem vomendi, imprægnationem. Obeſus corporis habitus non adeò obſtat leni emetico, & operationis vehementia macilenti æquè poterit nocere; nec eadem quorumcunque lipothymiarum ratio eſt, maximè earum ex utero; inflammationem verò ventriculi excludere emeticum ſatis liquet; circa difficultatem vomendi multa attendi merentur, ſunt enim qui vix adigi ad vomitum poſſint, alii qui nunquam vomant, & credant ſe ad vomendum difficiles, qui à leni purgante ad vomitus ſollicitentur; adeò perpetua manet regula, rarò Medicum circumſpectum ad vomitoria accedere, nec ſine manifeſta neceſſitate.

Æſtate magis emetica, hyeme purgantia magis admittunt alii; emeticum non neceſſarium ſemper ſuſpectum eſt, ſi verò urgeat neceſſitas hyeme æquè ac alia tempeſtate anni exhibebitur commodè; Cæterum æſtate ac hyeme præſtat parum in his evacuantibus exhibendis eſſe, illaque verno atque autumnali tempore præbere ſi quidem opus iis eſſe videatur, niſi extra ordinem neceſſitas aliud jubeat, caloris enim æquè ac frigoris exceſſus non favet exhibitioni talium evacuantium ob fuſionem humorum duplicem.

Monent utile eſſe aſſumto vomitorio ſubinde repetere vehiculum debitum & pingue, ſed etiam quando ipſum operatur,

ratur, per vices eodem adjuvare, quia vomitus inanes ſeu inani ventriculo facti conatus ſunt admodum moleſti & dolorifici, mitius hinc ſuccedunt & lenius ſtricturæ ejectoriæ ſi ſuppetat quod ejiciant; quanquam & blando calore juſcula fibras demulceant uti & purgantium juvant operationem frequentius aſſumta, & lubricantia vias parietesque inteſtinorum.

In vomitoriis æquè ac purgantibus exhibitis convenire, ajunt motum & calorem; utrumque verò moderatum ſit oportet; frigus verò fibris tum valdè laceſſitis admodum eſt inimicum, ſpaſmisque gravibus ac colicis præbere anſam queat.

Præſervatio à morbis omnibus contagioſis optimè cenſetur fieri vomitu; id quidem aliqua radiat veritatis luce, ſi fomitem mali ac nidum in primarum cruditate viarum ponamus, contagium verò aliunde hauritur ac ſuſcipitur; neque igitur ab omni præſervabit contagio vomitus; non evomes contagii ſubtiles moleculas, & ſi evomas, iterum hauries cum aëre, degluties cum ſaliva; at hoc non ſemel obſervatum talia vehementia præſervativa camerinam movendo citius accerſiviſſe malum, quod commotis pravis ſuccis internis promptius ſe miſceat, & in actum erumpat; quod circa peſtem quoque ſint qui annotaverint, ut taceam metuendam inde in debilioribus ac tenerioribus virium dejectionem.

In principio hectices & phthiſeos, ubi malum adhuc latitat in primis viis, in morbis ventriculi à ſaburra viſcidorum, humorum ortis colica pertinaci, cardialgia, obſtructione ductuum biliariorum, aſthmate ſtomachali, intermittentium contumacia, affectibus ſoporoſis, vomitoria præſtantiſſimam ferre opem affirmant, eſt verò & in his quod requirat cautelam haud exiguam & majorem attentionem; phthiſeos principium in primis viis quis agnoſcet? quàm hæc fruſtra dicuntur; ſi verò jam adſint phthiſeos ſigna necabis ægrum; &

ſi

ſi morbi ventriculi ſaburra onuſti jungantur cum ejus atonia graviter lædet emeticum tuum; in colica ſpaſmodica cave ne exhibeas, quantumvis illa pertinax videatur, facilè aliás vel pareſin vel epilepſiam excitaturus; cardialgiæ multæ ſpecies ea non admittunt, maximè ſpaſmodicæ; nec aſthmata, cumprimis ſpaſmodica, impunè laceſſes; æquè verò biliariorum ductuum obſtructiones augebis, quàm minues; febrium contumaciam tutiori via ſuperabis; ſoporoſis in affectibus emeticum torpentes ſpirituum ligatorum reliquias facilè diſſipaverit, vaſorumque cerebri minabitur rupturam; ſic nusquam tuta fides, ſerio igitur quid agas cogitandum, non licet in genere proſcribere & ſuſpecta reddere emetica, ſed nec licet illa ita generaliter cum periculo multorum commendare.

Nec promiſcuè admittendum videtur, quod dicitur, vomitoria etiam die paroxyſmi exhibita non nocere; erunt omninò quibus & tum, & apyrexias tempore noceant, magis tamen die paroxyſmi, cum duplici ſic diſpendio ſpiritus afficiantur, qui ſatis graviter à paroxyſmi impetu plectuntur.

Ad præſervationem doloris arthritici, podagrici, colici, nephritici, & mali epileptici magno cum fructu ſæpe data fuiſſe vomitoria monetur; nec tamen iſta temerè imitanda exempla, quàm facilè quieſcens fatali auſu excitabitur hoſtis, quàm facilè in motum & anguſtias intempeſtivè adigetur calculus, ſpaſmique excitabuntur graviſſimi.

Infantiles plures morbi optimè curantur, ut ajunt vomitu; addam, ſi natura eum procuraverit, uti facilis eſt ad id in ætate tenella, plus valent iſti naturæ conatus, quàm artis, quæ non ſemper agit tempeſtivè, nec debito moderamine, natura in pueris ſibi facile hac via ſuccurrit.

Vomitoria cum diaphoreticis exhibita in obſtructionibus morborum gravioribus efficaciſſima dicuntur ; mallem verò ſeorſim diaphoretica exhibere, ne diſtracta natura confusè & pravè adverſus propria commoda me ſtimulante operetur; quis verò ſimul ſudabit & vomet ; ſi verò non ſudare debeat, quorſum diaphoretica emetica combinaſti?

Cap. IV.

DE SUDORIFERIS, DIURETICIS, SALIVANTIBUS, &c.

SUdorifera agere dicuntur motum & circulum ſanguinis promovendo , dum ſale oleoſo volatili vel alcalinis fixis particulis , vel acidis ſulphureis volatilibus humores viſcidos incidant, acidos deſtruant, & particulas elaſticas, æthereas, impulſumque mitiorem cordi & arteriis concilient ; cum verò æthereas iſtas elaſticasque particulas ſanguis minimè à diaphoreticis accipiat, nec ſalina præcisè aut ſulphurea eorum ſit indoles, quin potius innumeri ſint modi & agentia ſudorem excitantia, generalius forſan dixeris , diaphoretica fundere ſanguinem, h. e. ita eum diſponere , ut ſeroſas moleculas abundantius in cute à ſe dimittat per patentia tum & ad talem excretionem diſpoſita glandularum oſcula; quo ipſo vis ipſorum incidens, attenuans aſtruitur magis quàm negatur.

Dicuntur verò diaphoretica eſſe vel volatilia , vel fixa, vel media ſeu neutra; quia ſcilicet quicquid ſeri per cutis ambitum , eliminationem promovet huc refertur , uti vel calidum juſculum, vel thée infuſi vaſculum diſpoſitos ingenti mox perfundere ſudore quotidianæ eſt obſervationis , unde multa excitant ſudorem, quæ diaphoretica non ſunt; excitant quædam prompte in uno ſudorem, quem in alio nunquam effecerint; quædam ſudorem excitant per ſe, quædam per accidens, ſunt

qui

qui ſudant ſine medicamento quoties lubeat, ſi vel ſolum placide tecto melius corpore quieſcunt, ſunt quos nulla ſtragula, nec diaphoretica ad ſudandum compellant, citiusque: ex punice aquam elicias, aliis etiam nolentibus mox, levi occaſione data ſudore diffluentibus; nec deſunt forte, quos imaginatione ſudare largiter cogat, qui per ſympathiam ſudare ſe credunt, dum certo tempore ipſis indicato agyrta miſcet ipſorum urinæ etiam pluribus miliaribus remotæ pulverem ſuum ſympatheticum &c.

Volatilia diaphoretica recenſentur, ſpiritus urinoſi volatiles, & omnia ſalia volatilia, ex aminali regno petita, ſpiritus fuliginis volatilis, tartari, tinctura antimonii, vel ſulphuris volatilis, tinctura coralliorum cum ſpiritu lignorum, vel tartari parata, ſal volatile eboris ſuccinatum, & omnes radices ſic dictæ alexipharmacæ ſale volatili oleoſo imbutæ, camphora, ex ſambuco parata &c. Salia volatilia ferè omnia, imò omnia huc ſpectant, licet non æque omnibus eliciant ſudorem, & non in eadem doſi; acidi verò illi ſpiritus magis per accidens id agunt; nec roob ſambuci, notiſſimum in vulgus ſudoriferum, volatile dixeris, diuturna inſpiſſatum coctione; nec radices illæ præcisè id agunt ob ſal volatile &c.

Ad medii generis ſudorifera referunt omniâ theriacalia, theriacam cœleſtem, diaſcordium Fracaſtorii, & acido ſulphureo, volatili principio maximè fœta, uti ſint mixtura ſimplex, tinctura bezoardica, acetum theriacale, aqua prophylactica, ſal volatile eboris, viperarum cum acido tartari frixatum, ſpiritus ſalis armoniaci cum aceto diſtillato, lignoſa, illorum decocta, eſſentiæ, flores ſulphuris, lac ſulphuris &c. quæ tamen nec omnia æque ſunt diaphoretica, nec ad eandem referenda claſſem, nec adeò videntur à priori diſtinguenda claſſe, id potius circumſpectè agendum, ut cuivis ægro congruum temperamento diaphoreticum præbeas, qua in re errores haud infrequentes committi docet praxis quotidiana.

Ad ſudorifera denique fixiora referunt omnia terrea, uſta, alcalina, v.g. antimonium diaphoreticum, ejus ceruſſam, Corn. Cerv. uſtum, magiſterium antimonii diaphoretici, ſeu materiam perlatam, lapides cancrorum, conchas præparatas; quæ quidem magis univerſalia, & rutiſſimæ, nec tamen potentia diaphoretica ſunt, ſed per accidens magis ſudorem movent, acidum ligans & coagulans ſolvendo, ac præcipitando, ut ſerum fundatur, ſuique fiat juris.

Fixiora ſecundi generis appellant ſalina fixa, v. g. ſalia fixa vegetabilium, nitrum antimoniatum, lapidem prunellæ, arcanum duplicatum, quò & pertinere ajunt amara ſale fixo copioſo imbuta, uti abſynthium, ſcordium, carduus benedictus &c. Sic ferè omnia alterantia ad diaphoretica referuntur, quod inde evenit, quia in diſpoſitis omnis ferè temedii aſſumtionem facilè ſequitur ſudor, patentibus oſculis glandulorum, feroque ad fuſionem & feceſſum diſpoſitio; lapis verò prunellæ, ipſumque nitrum per accidens quidem conferre ad ſudorem queant, directè autem ac per ſe eum potius refrenabunt ſedando orgaſmum ſanguinis & æſtum.

Sudorifera quæ copioſius oleum fovent volatile per deſtillationem eliciendum, magis calida habentur, & majorem corpori calorem dicuntur conciliare, quam quæ ex ſale volatili deprompta ſint. Dicuntur verò hæc contra eorum objectionem qui Salium volatilium largiorem uſum ideò reddunt ſuſpectum, quod orgaſmum, caloremque inducant, his reſpondetur ſimplicia oleum æthereum copioſum poſſidentia majorem excitare calorem, quàm ipſa volatilia; Verum unius poſitio, non eſt alterius excluſio, calida hæc oleoſa, aromatica calefaciunt ſanguinis nimis plerumque, & volatilia ejus intendunt orgaſmum, utraque requirunt cautum medicum, cautam exhibitionem, & parcam, & ubi decet, congruis tantùm temperamentis.

Una guttula olei deſtillati dum dicitur plus calefacere, quàm

quàm decem grana ſalis volatilis, velim notari, olea variare innumeris gradibus, de oleo e. gr. chamomillæ deſtillato id vix aſſeres, nec de ainſi vel fœniculi oleo, pauca adeò fervent uti caryophyllorum oleum, de cæteris non eſt quod minus efficaciæ attribuas in commovendo ſanguinis æſtu decem granis ſalis volatilis quàm olei guttulæ, eſt ſuus utrique calor, isque pro temperamento calidiore, & æſtu inſigniore non congruus, nec proportionatus, utrinque ergò debita in exhibendo cautela obſervetur neceſſe eſt.

Sudorifera dicuntur vel poſitivè vel privativè agere; poſitive, quæ particulis volatilibus, ſpirituoſis motum concilient celeriorem; privativè quæ impedimenta ſanguinis motum retardantia removeant, qualia ſint omnia fixa alcalina acidum deſtruentia. Idem ſcil. ſudoris ſequitur effectus ſive per ſe medicamentum fundat ſerum, ſeparetque à ſanguine, ſive per accidens illud liberet & fundat.

Cæterum fuſionem ſeri hic reſpiciendam eò magis agnoſcas, quod non quævis commotio ſanguinis efficacia ſudorem, ſed longe frequentius ſiccum, ſiccantemque & ardentem ſanguinis & corporis æſtum.

Opiata, anodyna, & theriacalia, quæ præcipuè propter opium agunt, ſudorem ſæpe largiſſimum movere dicuntur, dum vaſcula ſubcutanea nervea, illorumque poros vel à doloribus, vel à furibundo ſpirituum animalium motu, vel alia ſpaſmodica contractione nimis conſtrictos ac criſpatos iterum laxent; dubites an frequentem hanc in ſudore ſuppreſſo deprehendas cauſam, ad nimium probabilius eſt anodyna, tum in conſtrictas ſpaſmodicè fibras interiorum partium & viſcerum, tum in ipſos humores non probè mixtos agere, illosque ſic duplici iſta via ad ſeceſſum excretionemque per glandulas internas ſollicitare.

Diaphoretica & ſudorifera gradu tantum differre dicuntur, ut ſcilicet diaphoretica vocentur ſudorifera leniora; ſi ſcilicet ſtrictiori ſenſu ſumatur diaphoretici vocabulum, alias coincidunt, & arbitraria eſt vocum impoſitio.

Sudorifera dicuntur quaſi evacuantia univerſalia, & optima medicamenta, & habere locum in omni ſtagnatione ſanguinis & lymphæ, in principio inflammationum, in tumoribus, febribus intermittentibus, malignis, perſe, morbis frigidis, ab obſtructione enatis, ſanguinis circulo debili, nervis pituita obſeſſis, catarrhalibus defluxionibus; interim nota, crebrum quoque eſſe abuſum, & ſæpe ſine neceſſitate, ſine commodo, imò cum detrimento ſudare ægros, vel verè tales, vel imaginarios; in ſpecie non in omni catarrhali defluxione tutò ſudabis, nec hac via nervos pituita obſeſſos liberabis, ſerum enim ſudor elicit non pituitam, quæ ſaltim tenacior hac via evadit & peior; nec omnes lymphæ ac ſeri ſtagnationes ferunt diaphoretica, exemplo, aſthmatum, hydropis pectoris &c. nec ſemper ſudor poteſt inſtitui ubi videatur tibi aliquo ex capite utilis, ob incommoda conjuncta.

Rectè monent ſudorifera volatilia & calida cautè in nimiis ſanguinis ebullitionibus, hectica, febribus ardentibus, doloribus gravioribus, & quando propter minutiſſima vaſcula obſtructa ſanguinis circulus impeditur ac ſerum deficit, vel quando primæ viæ craſſis viſcidis, acidis humoribus obſeſſæ ſint, tunc enim calorem ardorem, dolorem, vigilias, augere; hæmorrhagias excitare, imò paralyſin & apoplexiam inducere poſſe. Quod quidem monitum memori mente tenendum, in pluribus enim quam hic recenſitis caſibus iſta prohibentur, minus tamen nocebunt, ſi primæ viæ craſſis viſcidis humoribus ſcateant.

Semper jubent præmittere diaphoreticis evacuantia primas vias, & illas deplentia à ſaburra humorum vitioſorum; nec

malè

malè obſervaveris hoc monitum, quoties uſui diaphoreticorum frequentioti exhibitione libet inſiſtere; aliâs ſæpe non licebit præmittere quæ purgent primas vias vetante morbo, nunc tempus & occaſio non permittent moram iſtam; & quis toties ſumat purgans, quoties voluerit aſſumere diaphoreticum ad ſudorem excitandum; cui cum primis viis immediatum non eſt commercium nec nexus adeò arctus.

Monent quoque, nunquam cogendum ægrum ad ſudorem, & præſtare nullum quam coactum prodire ſudorem; omnia & hic ſponte fluant, abſit violentia, eſt tamen ubi moderatè urgere præſtet, quàm omittere ſudorem, cum illum requirunt circumſtantiæ; eſt verò & differentia inter urgere, & cogere intempeſtivè.

Calor externus, & balnea dicuntur augere vim ſudoriferorum, poros dilatando & humores fundendo; ſæpè tamen requiritur ſudor, ubi balneum locum non habeat; alia quoque ratio eſt caloris lecti, & caloris actualis ambientis ex fornace.

Balnea Laconica cum ſpiritu vini inſtituta in morbis frigidis, ab humoribus viſcidis pituitoſis ortis egregiam dicuntur præſtare operam; in caſibus ſcilicet ubi admittuntur, nec eſt quod contraindicet, uti ſæpe fit in aſthmate, hydrope pectoris, abdominis, œdemate anaſarca, aliisque cachexiæ ſpeciebus; tutiusque adhibentur iſta balnea ac ſudores, ſi viſciditas tanta nondum ſit, utpote cui ſolvendæ non ſufficiunt, minantur potius graviora adigendo in anguſtias mucum motum, ſed non promotum, non ex tubulis quos occupat emotum.

Diaphoretica ante paroxyſmos febriles intermittentium exhibita, illos ſenſibiliter immmuere dicuntur; perpetuum verò id vix erit, niſi ſic jam decreſcere incipiat febris vehementia, mitioresque ſuccedant paroxyſmi, eſt potius quod metuas de turbanda natura intempeſtivo ſudore.

Diaphoretica omnia eſſe ſimul alterantia agnoſcunt, &

ſimul incidendo , ac corrigendo vitioſos humores operationes egregias efficere , hinc non ſemper fine ſudorem expellendi ſed ſæpiſſime fine alterandi exhiberi , nullum impetrando poſt illorum uſum ſudorem , præterea nullum medicamentum magis turbatam ſanguinis mixturam reſtituere quàm diaphoretica ; Rectius forſan diceretur multa alterantia eſſe ſimul diaphoretica in doſi inſigniori , augendo motum ac fuſionem humorum , quam quod hic inverſo ordine dicitur diaphoretica eſſe ſimul alterantia ; alterantia enim illa omnia ſunt per ſe , diaphoretica pleraque per accidens, uti quoque calidus cibus vel potus motus, corporis , metus , hypocauſti calor &c. excitant ſudorem nec ideò ſunt diaphoretica ; ſi autem fine alterandi exhibentur , jam diaphoretica non erunt ; mixturam verò ſanguinis reſtituere diaphoretica per ſe vix exiſtimes , per accidens dum partem ſubducunt & eliminant impurioris ſeri id præſtare aliquando haud negaveris.

Diaphoretica dicuntur opiatorum optima correctoria, & ipſa tamen opiata ſunt diaphoretica, & celebrioribus diaphoreticis vim iſtam impertiuntur quam habent movendi ſudorem , quî ergò erunt opii correctoria ; ſi verò quædam corrigere opium videantur , quæ ſudorem quoque valeant excitare , id alio ex capite & per accidens fieri quivis agnoſcet, qui perpenderit , exigua doſi dari opiata quibus proin vix tantillum diaphoretici poſſit eſſe admixtum.

Diuretica agere dicuntur vel fundendo ſanguinem , craſſosque humores & circulationem eorum promovendo ; talia eſſe ſalia omnia fixa, terrea, alcalina , nitroſa , potus calidos Thée , Coffée , vina , acidula varii generis , ſerum lactis , vel agere præcipitando , ſeu particularum ſeroſarum à ſanguineis ſeceſſum faciendo , qualia ſint ſpiritus ſalis , tincturæ aperitivè Moebii & aliæ, ſpiritus mineralium dulces,

vel

vel agere denique , poros & canaliculos renum minutiſſimos aperiendo , & renum glandulas ſtimulando , uti ſint, omnia ſubtiliſſimo ſulphureo oleo imbuta , juniperina terebinthinata, ſuccinata, aſparagi, petroſelinum, ſeleri, oleum cardamomi, cubebarum, amſi.

Id verò & de his notandum , quod dictum fuit de diaphoreticis ; etiam diuretica ſunt paſſim ex variis alterantium claſſibus ſelecta remedia, nec omnia per ſe talia , ſed & multa per accidens ; ſunt etiam quæ mole ſola vim illam exerant, uti limpida aqua, & nonnullæ minerales; ſunt & quæ adſtringendo & humores & fibras diureſin tamen promoveant ; & quoties adſcribitur remedio quod ipſæ naturæ eliminat niſus , cujus potiſſimum in hypochondriacis , eorumque frequenti, larga, & limpida, variaque urina patet.

Unde & omnia calcinata ex marinis vel lapidibus egregiè dicuntur ſtimulare urinam , quatenus textura alcalina & particulis æthereis copioſis in calcinatorum poris latentibus craſſos viſcidos humores fundant , acidum deſtruant, & canaliculos renum ſtimulant , quò etiam referunt animalia ſale volatili cauſtico prædita, uti millepedes , vermes majales , cantharides &c. Quicquid ſit de æthereis particulis, quarum ſane plures in calcinatis quàm alibi non ſunt , dubitent alii an ad renes iſtæ lapidum moleculæ deferantut , eorumque ſtimulent tubulos ; alia verò cantharidum ratio eſt, quorum ſubtiliſſima ſpicula ubique penetrant , & diuretica ſunt non tuta , quæ vel externè applicita aggrediantur urinarias intempeſtivè vias.

Quæcunque igitur medicamenta craſſis , viſcidis humoribus attenuandis , fundendisque idonea , dicataque ſunt ea diureticam quoque vim habent , & proin ex omni medicamentorum claſſe huc quædam ſpectant , ne purgantibus quidem exceptis , quæ urinam quo-

que

que ſuo ſtimulo & fuſione urgent non rarò; quanquam non tam craſſi & viſcidi humores fundantur à diureticis, quàm ſeroſæ partes à complexu ſpiſſarum liberantur, ſeparanturque.

Si quæſtio ſit de loco ac tempore diureticis congruo, ea dari jubent primis viis prius à ſordibus purgatis, ventriculo jejuno exiſtente, in morbis frigidis, obſtructionibus viſcerum, malo hypochondriaco, tumoribus, hydrope, catarrhis regionem lumbarem occupantibus; non eadem hic ſufficit regula, ob inſignes graduum, indolis, & efficaciæ diureticorum differentias, vi quarum alia cauſæ calidæ, alia frigidæ convenientiora ſunt; ac diu ſæpe foret expectandum, ſi non niſi primis viis à ſordibus purgatis eſſent exhibenda; nec ſemper in obſtructionibus viſcerum ſunt tuta ob intempeſtivam humorum ſæpe commotionem & fuſionem exitu non patente; in hydrope autem aliquando cum fructu exhibentur ſæpius tamen fruſtra, ut vel non operentur, vel educant quidem non ſine noxa ſerum, illud ſcilicet quod pravum reſtat in ſanguine, non verò id quod ſtagnat in cavitate &c.

Diuretica plerumque cum antinephriticis confunduntur, hinc & dicunt, ea optimè à calculo præſervare, ſed notandum, partim fortiora in ipſo calculi paroxyſmo cautiſſimè eſſe exhibenda, imò rectius omittenda, ob incrementa dolorum hærente in anguſtiis calculo & in majore, ſub illis ſtimulis intempeſtivè adacto; multum enim diureticis his, quæ & communiter habent pro Lithontripticis, præſtant in nephritico malo cicurando & curando mitia, lenientia, emollientia, demulcentia, lubricantia.

Unde & monent, in inflammationibus renum, & aliorum viſcerum, hectica, phthiſi, ſerique defectu, cautiſſimè danda diuretica, maximè fortiora; imò planè non danda, ne quidem illa quæ videantur mitiora, multo minus illa inten-

tentione, & illa doſi ut diureſin excitent, ubi nec prodeſſe iis queas, nec ea adhibere quin graviſſimè noceas, malumque augeas &c.

Apophlegmatizonta dicuntur, quæ ſale quodam volatili plus minus acri glandulas palati & faucium ſtimulent, ſtimulando conſtringant, pituitam viſcidam colliquent, & expurgent, uti ſint, radices pyrethri, angelicæ, maſtiche, nicotiana, cubebæ, ſemen ſinapi, myrrha &c. rarioris tamen ſunt uſus, ſiccioribus enim & calidioribus vix conveniunt, pituitoſi verò ac ſputatores ſic ſatis abundè ejiciunt ſalivam viſcidam, imò & limpidiorem juſto.

Prodeſſe tamen dicuntur in defectu guſtûs, in humoribus viſcidis capitis partes occupantibus, catharrhis, glandulis faucium obſtructis, & ad præſervationem in omni contagio; ratò autem deficit guſtus niſi ex ſiccitate linguæ & nervulorum ejus, quo caſu inepta ſunt; nec enim ſerino eſt de guſto ad diem unum alterumve deperdito ob coryzam & catarrhum, ubi nec illis quoque opus eſt, cum per ſe ceſſet detumeſcentibus glandulis.

Circa præſervationem autem à contagio ajunt, omne miaſma ſalivæ ſeſe aſſociare, & cum ipſa ſaliva ad ventriculum deferri, hinc quæ ſalivæ fluxum excitent & mucum in faucibus hærentem reſolvant, & ad expurgationem ſtimulent optima eſſe præſervativa; ſi verò etiam hoc ſupponas ac largiaris, miaſma adhærere ſalivæ & facilè cum illa ad ventriculum deferri, ſufficiet ſane ſalivam tum non deglutire cum infecta præſumitur noxiis particulis, non opus eſt Maſticatoriis, quæ eliciant ſalivam, ſufficit illam quæ in ore eſt ejicere, illa quæ demum quaſi attrahitur non eſt infecta, & fruſtra ejicitur, adeò ut ſcopus præſervationis ſine maſticatorii concurſu obtineatur æquè feliciter, nec proin expectari ab illius uſu debeat.

Errhina tam ſicca quam liquida agere eodem modo di-

cuntur, ac apophlegmatizantia, ſternutatoria verò eſſe errhina fortiora; nec verò ſemper & in omnibus ſubjectis eadem ſternutationem procurant, nec in omnibus fortia requiruntur vellicantia, cum multi ſic ſatis inclinent imò nimium proclives ſint ad ſternutandum; erit verò uni ferè inſenſibile quod alteri fortiſſimum videatur errhinum; cujus exempla patent in iis, qui tabaco potiſſimum alcoholiſato Sevilienſi Hiſpano ſunt aſſueti, nec eo amplius multum moventur, naribus cicatrice jam & conſuetudine factis minus ſenſilibus.

Omnia purgantia dicuntur eſſe ſternutatoria, cum idem ſit modus operandi purgantium & illorum quæ moveant ſternutationem; dubites verò non immeritò de identitate modi agendi purgantium & errhinorum, eruntque non pauca purgantia, quæ nec tuta, nec apta, nec efficacia ſint errhina & viceverſa; ut taceam allegatam modo narium quà ſenſibilitatem differentiam.

Omnes herbæ Cephalicæ ſale volatili oleoſo & acri fœtæ, ut & omnia ſalia volatilia, vel in forma ſicca vel liquida, pituitam à naribus educunt; iſtorum verò odorem hauſtum præferrem ingeſtioni in nares, cum pleraque ob calorem inſignem & penetrantem vim ſpiculorum volatilium nimium laceſſant nervulos perque illos ſurrepant ad interna cerebri, vel ſaltem nimis interna laceſſant per continuitatem fibrarum.

Errhina tamen magis commendant præ ſternutatoriis; rectè quidem, ſi ad menſuram quadam certitudine iſta dari poſſent, erit verò uni ſternutatorium, quod alteri ſit errhinum, & viceverſa; ſternutatio enim fit per accidens & ob ſubjecti plerumque ſpecialem diſpoſitionem &c.

Nocere dicuntur ſternutatoria primis viis non evacuatis, vel obſtructis, in lethargo, apoplexia, cæcitate, omnibus hæmorrhagiis, hæmoptyſi, fracturis, luxationibus coſta-

coſtarum, procidentia uteri, gravidis, phthiſicis; ut verò de his ultimis manifeſta ſit ratio, connexio primarum viarum earumque impuritatis cum errhino non apparet, nec id obſervant Tabacophili moderni; ſunt & qui illa admodum commendant in Lethargo, apoplexia, ſed metuenda tum ſunt iſta acria, æquè funeſtum productum effectum, vel citius quam ſalutarem, ob concuſſionem maximè metuenda incertam quà effectum.

Quod verò dicuntur prodeſſe in obſtructione cerebri & narium ſternutatoria, in declinatione coryzæ, dolore capitis gravativo; id quà reliqua circumſpectione ſi adhibeantur concedetur, quà cerebri verò obſtructiones, ſatis plerumque occultas, incertas, ac formidandas, idem dicendum erit quod de apoplexia, lethargo, ſimilibusque ab ipſa hac cauſa oriundis morbis, in his enim potiſſimum cerebri obſtructiones ſupponuntur.

Notabile ajunt, angulo oculi compreſſo impediri ſternutationem ſcilicet compreſſione iſta aliò avocantur irritati jam ad ſternutationem nervuli & fibræ, atque aliò determinantur.

Expectorantia dicuntur illa, quæ ſale quodam tenui volatili oleoſo glandulas & tunicas bronchiorum irritant, ad excretionem ſtimulant, & lympham craſſam attenuant; fatendum tamen, ea magis potentiusque expectorationem promovere, quæ demulceant, emolliant, lubricent, viasque ad viſcidi eductionem ſternant, præparentque incidentibus tamen non excluſis; ita verò ut non rarò quoque in praxi in cauſa calidiore opus ſit humorum quadam condenſatione, moderata & blanda incraſſatione, quam maturationem vocant, ſeu diſpoſitionem ad expectorationem & ejectionem ex bronchiis, glandulisque colli, faucium &c.

Expectorantia hinc optima dicuntur, ſpermaceti, oleum

amygdalorum dulcium, ſyrupus violarum, Looh pulmonum vulpis, ex enula, liquiritia, chærefolio, gummi ammoniaco parata, ſyrupus de eryſimo &c. quæ pleraque ad lenientia, lubricantia vias, & invitantia ſputum pectoralia referuntur, potius quam ad irritantia & ſtimulantia, hinc gummi ammoniacum aſthmaticis relinquitur, nec ſtatim adhibetur.

Hinc quoque expectorantia dicuntur habere magnam efficaciam in tuſſi humida, aſthmate, catarrho ſuffocativo, raucedine, phthiſi, pleuritide; adde & tuſſim ſiccam quæ talia pectoralia, lubricantia maximè requirit, quæque in pleuritide egregia ſunt, Looh ſcil. & Linctus illi, decoctaque pectoralia, & inunctio præcordiorum juncta Mercurialia dicuntur inſtituere ſalivationem univerſalem, adhibita tam internè, quàm externè per ſuffumigia; & quod alii malunt præferre per inunctionem cum mercurio in unguentum redacto, quæ etiam ratio non parum ſi cautè adhibeatur, videtur habere commodi.

Mercurialia dicuntur operari, dum ſale ſuo minerali æthereo penetrantiſſimo viſcidos humores incidunt & colliquant; Deinde quoniam mercurius ratione texturæ ſuæ alcalinæ cum acidis ſpiculis in humoribus oberrantibus facilè conjungitur, corroſivam cauſticam acquirat vim, qua molliſſimas glandulas ſalivales & faucium cum illarum vaſis fortiter irritet, ſtimulet, conſtringat, & ſæpe ulcuſcula in illis pariat. Talem verò irritationem non fieri ipſi modi mercurium applicandi, & ordinarius ſalivationis ſucceſſus ac progreſſus docet, licet enim in aliis magis, in aliis minus tandem ſequatur in ore excoriatio illa tamen ſub intumeſcentia à ſeri fuſione atque huc congeſtione orta ab ipſa potius lymphæ acris, quam mercurii eroſione derivanda erit; primas verò fuſioni ſeri deberi ſi in cauſam fluxus iſtius inquiras, nullum eſt dubium.

Salivantia verò heroica dicuntur remedia, & non niſi aliis medicamentis nihil efficientibus cautiſſimè tamen adhibenda;

pro

pro ratione ſanè ſubjectorum, & morborum, & modorum applicandi mercurium iſta variant, ſemper tamen operoſa eſt res atque operatio moleſtiſſima hæc ſalivatio mercurialis; nec tamen tum ſolum adhibenda cum nihil efficiunt alia medicamenta, ſi enim malum ſit venereum parum reliqua efficient niſi ad hanc accedas, eritque eò vel mox, vel tandem tamen deveniendum, ſi malum fuerit radicatum profundius, ipſamque plenique infecerit ſanguinis maſſam.

Hinc in morbo Gallico, ſcorbuto frigido, deſperato, morbis chronicis, à viſcidis humoribus nervos obſidentibus ortis, ulceribus cacœthicis, ſalivatio Mercurialis pro ſacro habetur anchora; & de venereo quidem morbo res caret controverſia, nec excluſeris eam in aliis quibusdam effectibus, vix tamen in hîc allegatis reliquis tantos annotaveris effectus, ut tantum mereantur encomium, videturque vis magis ad iſtud malum ſpecificare reſtricta, licet ad omnia alia velint eam alii extendere.

Moneat verò, ante ſalivationem mercurialem primas vias probe purgandas, humores corroſivos corrigendos, & poros ſudoriferos apertos ſervandos, ne humores per urinam & ſudores alias evacuandi afficiantur, & exulcerationes oris, gingivarum eroſiones, anginam, deglutitionem difficilem efficiant. Et laudabilia quidem ſunt iſta monita, ſed humorum corroſivorum correctio non poteſt præmitti, hæc enim eſt inter præcipuos ipſius ſalivationis ſcopos, adeoque ante illius uſum non obtinebitur; nec verò eadem ſemper eſt exulceratio dum fluit viſcidus mucus, propter diverſum impuritatis, & acrimoniæ quæ in ſero ac toto corpore hæret gradum, hinc quidam levi tumore tentantur paucisque fiſſuris, alii enormibus, imò fiſſam quaſi linguam non ſine inſigni ſæpe hæmorrhagia referentibus.

Poſt inunctionem mercurialem frigida & omnia acida

rectiſſimè cane pejus & angue fugienda monentur ; talia enim vel non ſuſcipienda vel ſumma cum circumſpectione ac cura tractanda ſunt , ob graviſſima pericula, nec obſtant ſingularia quædam exempla rariora , quibus talia noxam haud attulere , fiunt enim & hic quædam rariora non incitanda à viris circumſpectis.

Funeſtum verò effectum habere dicitur ſalivatio mercurialis in ulceribus, inflammationibus viſcerum, phthiſi, nervorum nativa debilitate, virium dejectione, ſcorbuto bilioſo, hæmoptyſi, nimiis hæmorrhagiis; in his enim inepte adhibebitur , quamvis notandum circa virium dejectionem , eam non ſemper prohibere hanc operationem , niſi ſit à defectu ſpirituum, & eorum diſſipatione , ac defectu humidi ; alias enim datur quoque ingens laſſitudo non rarò in ipſo affectu venereo, ab ipſa humorum viſcidorum & impurorum mole, ut vix pedes poſſint attollere , & talis virium defectus per ipſam hanc ſalivandi methodum tollendus eſt.

Mercurialia ſalivantia etiam refracta dari poſſe doſi monent , magno cum effectu in morbis pertinacibus citra expectationem ſalivationis longioris; imò & quandoque ſine omni ſalivatione, ſed rariores tum ſunt effectus talium , ſaltem ſalivatio tam exiguis doſibus non obtinetur ; aliquid tamen aget qui cautè illis inſiſtat in malo non adeò radicato.

Mercurii noxam optimè corrigere dicuntur theriacalia; nimiam ſcilicet compeſcendo humorum fuſionem & diſſolutionem, cautè tamen etiam danda , nec enim ſtatim cohibenda ſalivatio , etiam largior & moleſtior viſa , modo probum obſervetur regimen; ſudorifera decocta , laxantia lenia, abſorbentia, diluentia præſtant ſæpe iſtiusmodi theriacalibus pro circumſtantiarum ratione.

Veſicatoria ab effectu nomen habent , quoniam excitant

tant veſicas , modò unam majorem , modò plures parvas ; diverſo excitantur ſcopo , nec in partibus iisdem , in partibus carne deſtitutis , multisque tendinibus ac nervis inſignitis malè excitantur , aliquandò citò aliquando tardè operantur, non ſolum pro ingredientium quantitate & qualitate, ſed potiſſimum pro diverſa ſanguinis & ſeri diſpoſitione.

Operari dicuntur ſale cauſtico volatili acerrimo , quod cutis vaſcula & poros ſudotiferas irritando ac ſtimulando, humores in copia advocet , qui propter cuticulam firmiſſimam tranſpirare non poſſint ; ſed nec tranſpirare debent guttatim in veſica collecti , non ſub halituum forma , nec poſſunt ob emplaſtrum impoſitum glutinoſum ; nec opus eſt ut advovocentur humores qui ſufficientes ſub circulatione ſemper præſtò ſunt , & ſub tali irritatione fibrarum ſtrati cutanei extra vaſcula facilè ejiciuntur, & ſub cuticula colliguntur attollentes eam in veſicam.

Materiam veſicatoriorum uſitatam præbere cantharides notiſſimum eſt , mixtas cum emplaſtro vel fermento panis, quod aliquot elapſis horis veſicam excitat diſcindendam , ni ſponte rumpatur ; ſi veſicam non excitet etiam diu relictum & probè paratum ſignum eſt vel ſiccioris cutis , vel arctæ humorum texturæ & quaſi incoctionis , vel denique necroſeos humorum & ſpirituum vigoris jam deſciſcentis mortique appropinquantis, hinc plerumque non vanus terror oritur.

Veſicatoriorum uſus præcipuus dicitur eſſe in lymphæ ſtagnationibus, defluxionibus , & derivatione lymphæ acris à parte affecta ad partem à veſicatorio dolentem ; minimè verò excluſeris iſta, nec tamen erraveris ſi præcipuam eorum vim colloces in motu ſpirituum animalium alterando , iisque excitandis , avocandis, à ferocia , fervore retrahendis, mitigandis, ac fibris proin tono ſuo reſtituendis, & fortioribus earum oſcillationibus ſic per indirectum ſedandis.

In-

In febribus malignis veſicatoria carpis manuum applicata nonnulli practici magni æſtimare ſolent; minoris verò hanc æſtimabit methodum, qui locum hunc pauca carne, multisque tendinibus inſtructum penſitet; in iſtiusmodi verò partibus non iuſignes modò dolores, ſed & ſpaſmos, aliasque inſignes moleſtias obſervarunt alii.

Veſicatoriorum uſum tutiorem proin agnoſcunt alii, quando partibus carnoſis quam membranoſis & nerveis applicantur; nec enim animus eſt excitare dolores, ſed ſedare, non peſſundare atque affligere ſpiritus ſed erigere ac liberare.

Uſus veſicantium maximè commodus dicitur in dolore profundo & diuturno partium ſine tumore, rubore, ulcere; nunquam verò tibi placeat ea applicare dolenti parti, unde nec facilè in affectibus capitis vertici ea imponas.

Hinc & rectè monent, partibus inflammatis veſicatoria non eſſe applicanda, foret enim applicatio & ſine fructu, & cum noxa, periculo, malique incremento.

De Fonticulis magnificè alii ſentiunt, alii eorum & ſetaceorum (tanquam duplicis fonticuli) uſum non planè in Medicina eſſe fruſtraneum ajunt, malum tamen magis alleviare, quam tollere; quàm verò pauca habemus remedia quæ plus præſtent, & quæ tollant malum? eſt omninò & manet ſua fonticulos laus, ne tamen nimium eos extollas cave, ſunt ulcuſcula corpori utilia, ſed non omni, non ſemper, nec ſola noxia educunt.

Et quando ajunt, fonticulos præſervare, teſte experientia, à morbis nervorum; id non negaveris; nec immeritò tamen quæſiveris quænam ſit illa experientia; an nemo nervorum affectibus præhendatur fonticulo inſtructus &c.

Cap.V.

Cap. V.

DE ALTERANTIBUS MEDICAMENTIS.

ALterantia dicunt illa, quæ humores & qualitates noxias corrigant, & in contrarium mutent, quæ ſunt varii generis; non verò ſemper valent in contrarium iterum immutare pravos humores; ſufficit ſæpe ſi ulteriorem impediant deſciſcentiam, unde & illorum officium eſt præſervare, & impedire deſciſcentiam humorum ac depravationem, quod & præſtarent facilius, quàm poſtea eos poſſint reſtituere jam depravatos, modò eſſent qui tempeſtivè & Medico & remediis uti vellent, malunt verò vulnerata cauſa quærere remedium.

Acidi, pontici humores in corpore contenti corrigi ac inverti dicuntur quam commodiſſime alcalinis, tam volatilibus, quam ſalinis fixis & terreis, hinc & illa nuncupantur abſorbentia & præcipitantia; agunt verò id quadam in latitudine, ut non neceſſariò uti videmus in congreſſu acidi & alcali oriatur ſemper efferveſcentia, nec enim iſte ſemper acoris in corpore gradus eſt, ſufficit eum qualiscunque ſit, temperari, reprimi, obvolvi, ut minus noceat, hinc & commodè imò ſæpè commodius ipſius abſorbentibus diluentia, temperantia, gelatinoſa, eidem ſcopo egregiè ſolent ſatisfacere.

Talia verò dicunt eſſe limaturam martis, lapides cancrorum, conchas præparatas, matremperlarum, C. C. uſtum, ſalia vegetabilia fixa, omnia ſalia volatilia; nec tuto tamen cuivis acrimoniæ vel acori volatilia oppoſueris, cum frequentiſſimè cum calore ac orgaſmo ſanguinis juncta ſit, ac talia tum non facilè admittat ſine augmento turbarum; cæterum doſis hæc ampliſſima eſt, magnumque remediorum com-

plectitur numerum, est verò judicii res, seligere ex ista farragine in quovis casu utilia ac necessaria. Acres salinos humores quam optimè corrigere & diluere dicuntur (quod & paulò ante monuimus) mucilaginosa, ramosa, oleosa, ramosis particulis cuspides salium involventia, terrea & diluentia varia; ex quorum sint numero varii generis terræ, antimonium diaphoreticum, emulsiones ex oleosis paratæ, gelatinæ & decoctum Corn. Cerv. mucilagines seminum; nec tamen negandum esse inter hæc quæ non rarò à pravis superentur succis, & in ipsorum motûs leges cogantur, ut priorem mucum acidum, & acerbum augeant, quod de emulsionibus maximè & ex lacte petitis evidens est, hinc tanta in adhibenda lactis cura opus est cautela &c.

Cæterum acrimoniæ gradus mirè variant, & crebrius forsan quam par est illa accusatur, ad minimum non quævis acidula humorum dispositio, quæ sæpe primarium eorum vitium non est, adeò operosè esset impugnanda, uti sæpe fit, quanquam & sæpe sine fructu, & cum ventriculi læsione ac fermenti; hinc & enatæ tam frequentes scorbuti accusationes in quovis acore à nonnullis allegatæ.

Viscidi ac tenaces humores dicuntur requirere medicamenta sale volatili acri oleoso imbuta, qualia sint aromata, radices, semina, herbæ tali sale gaudentes, & salia varia incidentia. Cave tamen ne quamvis mox visciditatem volatilibus, calidis, aromaticis urgeas, quo ipso sæpè magis lædes; semper mitia & refractæ doses præferendæ, cum pejores sint, si nimium agitentur viscidi humores.

Pituitosi, dulces humores optimè corrigi perhibentur amaris ex vegetabilium regno petitis, balsamicis resinosis; nota verò, rarò humores pituitosos esse dulces, frequentius acore sunt infensi, imò & vappescentes ad sensum visi alunt acrimoniam, ut rarò dulcium mereantur nomen; ista verò etiam

amara

amara parcius adhibenda, tanquam valdè calida, & fibras fortius percellentia, hinc præstat refractis dosibus rem agere, sensimque ac sensim corrigere partim, partim educere humores istiusmodi, viscidiores enim vix ad pristinam reduces fluiditatem, felix, si eos sensim eliminare melioresque liceat substituere.

Biliosi, sulphurei, volatiles humores, requirere ajunt blandiora acida, nitrosa, & varia diluentia, emollientia; sed nec viscida sint emollientia, nec copiosiora justo acida, nec nimio flumine diluentia ingerantur; moderandi enim sunt humores ferocientes, non in vappam nec in contrarium redigendi, sed nec hic negligenda absorbentia, ubi potissimum suum usum ac vim exserunt.

Nimis sicci humores, & terreis particulis onusti salia volatilia, humectantia, diluentia, nitrosa exigere dicuntur. Status verò ille sanguinis forsan fuerit rarior; siccior ille respectivè sanguis est, qui proportionata laudabilis lymphæ ac seri portione destituitur; nec verò terreæ potissimum hoc efficiunt particulæ; nec volatilia terreas corrigent, multò minus siccitatem sanguinis.

Nimis fluxiles, serosi humores terrea, adstringentia, roborantia, balsamica, & constringentia fixa postulare dicuntur; adde & gelatinosa, blanda, consistentiam justam conciliantia, laudabiliter incrassantia, quæ præstabunt terreis & adstringentibus, quorum usus non semper erit tutus in tali sanguinis statu.

Pro diversitate morborum ac affectarum partium alterantia varia nanciscuntur nomina, dicunturque, stomachica, cordialia, hepatica, splenetica, uterina, carminativa, anthelmintica, antifebrilia, antiscorbutica, antihysterica, traumatica, emmenagoga, alexipharmaca &c. non quod singula ad unam præcisè pertineant classem, plurima enim pleras-

que ingrediuntur classes, unde nec difficile nec incongruum foret numerum remediorum minuere in qualibet classe, cum multa sæpe promiscuè congerantur etiam sine ratione.

Omnia verò ista specifica agere dicuntur vel evacuando, vel corrigendo, humores noxios, vel vasa obstructa reserando; adde: vel spiritus confortando, excitando, sedando, demulcendo, humorum consistentiam & motum utrumque juvando, fibrarum tonum roborando, intendendo, remittendo &c.

Acidum & viscidum ad stabiliendas omnium morborum causas olim adhibitum, hodiè pro insufficienti habetur, hinc & alcalina medicamenta acidumque destruentia & viscidum corrigentia sola curationes morborum absolvere non posse agnoscunt; latius enim patent fontes tum causarum morbificarum tum remediorum.

Acida medicamenta in praxi magni æstimanda judicantur, sed subtiliora, minus fixa & corrosiva; spiritus sanè tales & parcè & rarius exhibendi, tutissimum acidum est in vulgari nitro, quod cum fructu prudenterque adhibitum reliqua ferè excludit, vel saltem eorum adimit necessitatem; præstat uti tam blando remedio quàm rodentibus illis succis, utut dilutis.

Acida sal volatile sanguinis figere dicuntur, oleosas ac globosas sanguinis particulas nimis fluidas concentrare, & coagulare; sed nec opus est coagulatione, si verò compescenda tantillum nimium rarefactio, id & blandis terreis, & gelatinosis, ac diluentibus obtinebitur, & blando nitri sale, aliis & hic acidis meritò præferendo, ut reliqua mitiora non tam excludantur quàm secundariò jungantur. Isti quorum fluores & primæ viæ scatent acidis particulis, item gravidæ, lactantes, puerperæ, infantes, pectore affecti, & quibus ordinariæ excretiones sint suppressæ, quique tussi, hectica, ulceribus

bus, vulneribus, alvo adſtricta infeſtentur, parcius & cautius uti acidis jubentur; nocent enim vel in viis aeris reſpiratoriis, vel in primis alimentorum viis, vel in ipſo ſanguine pro charactere in primis viis chylo ab illis impreſſo; lenia verò, & maxime parciora nitroſa non nocebunt, acerrimi verò illi ſpiritus ſemper ſunt ſuſpecti.

Salia volatilia maxima morborum dicuntur præſidia, illorum tamen uſum intempeſtivum multa parere monent incommoda; ſi ſcilicet calidior ſit cauſa, & orgaſticus tumultuetur ſanguis, vel effera prædominetur & acerrima bilis.

Salia volatilia venis animalium infuſa non ſecus ac acidi ſpiritus illa necant, licet alius ſit modus; illa enim cum coagulent, volatilia fundunt nimis ſanguinem, & conſequenter eum ad circulationem vitæque durationem reddunt ineptum; in genere verò tam potentia atque activa liquida ſanguini immediatè admiſceri non debent nec poſſunt ſine noxa præſentiſſima, unde & infuſus venis vini ſpiritus necat, qui per primas tranſiens vias toties innoxiè ſanguini immiſcetur, quamvis & crebro abuſu graviter mulctet incautos &c.

Parciorem verò jubent eſſe ſalium volatilium uſum in maximis ſanguinis ebullitionibus, nimio ardore & incaleſcentia corporis ſanguine nimis tenui exiſtente, ac ubi primæ viæ ſcoriis biliosis, & humoribus repletæ ſint tenacibus; duplex eſt ſanguinis tenuitas, una cum calore nimio ac æſtu in fuſionibus ejus acutis & malignis, alia in ſanguinis vappeſcente prædominanteque ſeroſitate, non eadem utraque ratione reſpuit volatilia, neutri tamen profuerint facilè illa, ſæpe & nocuerint; cruditatum verò in primis viis tenacitas ſalia volatilia per ſe non excludere videtur.

Unde etiam dicunt ſalia volatilia, oleoſa, & omnia, quæ tali pollent, acidum corrigere, humores viſcidos reſolvere, diaphoreſin excitare, carminativa, cephalica, & uteri-

na esse; sed notandum, non semper esse tuta, ubi scilicet calidior causa, & sanguinis elater justo intensior est, atque uteri status inquietus, fibræque irritatæ, atque ultra modum oscillantes &c.

Omnia salia vegetabilium fixa, item alcalina, terrea, v. g. marina, testacea, acidos ponticos humores temperare & dulcificare, per diaphoresin & diuresin superfluos humores expellere, & antifebrilia, atque antihypochondriaca esse dicuntur; uti scilicet alterantia semper ad plures specificorum pertinent diverso scopo classes; cæterum nec ista promiscuè acidis succis objicienda esse annotant ii, qui magnos inde tumultus & noxas observarunt.

Monent porrò, terrea alcalina omnia in appetitu dejecto ob fermentum nimis salsum, vel ventriculi tonum destructum, in obstructionibus alvi & viscerum gravioribus, & ubi tardior humorum sit motus, cautissimè vel plane nunquam esse exhibenda. Nota tamen talem ventriculi & fermenti statum non excludere ista absorbentia moderata dosi exhibita; imò nec alvi obstructiones, nec viscerum legitimum istorum respuere usum; nec desunt plurimi casus, ubi talia cum fructu opponas tardiori humorum motui, si scilicet ille vel ab acido pendeat, vel à lymphæ quadam quasi gelatinescentia occulto quoque acido adscribenda, quæ blandis absorbentibus facilè coerceatur; unde vel solæ species diacretæ, imò & oculi cancrorum toties se commendant.

Salia tam fixa quam volatilia vel media vitanda dicuntur in omnibus morbis à salino acri principio ortis, & ubi acidum ventriculi destructum sit; at verò nota, ventriculi acidum ipsum esse inter dubia, acidum scilicet naturale, non præternaturale quod ferè ordinarium; tantillum verò acre neminem negare lymphæ extillanti ex ventriculi glandulis; si verò morbus sit ab acri salino principio, & effera bile ortus, tamen vel

eo ipſo parcis nitri doſibus ſuccurres naturæ, ac corriges humores.

Omnia ſpirituoſa ſeu ſulphurea, volatilia, & ſic dicta confortantia propter tenuitatem ac ſubtilitatem partium ſuperiora petere, ſpiritibus corporis noſtri ſeſe immiſcere, celeriorem ſanguinis & humorum tam inteſtinum quam progreſſivum motum efficere, & ſi humidum adſit & pori cutis laxi ſint, diaphoreſin ac tranſpirationem procurare, flatibus verò & vitiis ventriculi ex cauſa frigida occurrere dicuntur. Ubi tamen diſtinctè de diſtinctis docendum, ob inſignes inter ſpirituoſa gradus, nec ea magis confortantia cenſenda, quæ magis ſint ſpirituoſa, imò ex adverſo mitiora longè ſunt præferenda; unde & ſpiritus vini toties opponitur flatibus & cruditatibus ventriculi frigidis peſſimo cum ſucceſſu, inſequente talem abuſum cacochymia; imò cachexia, ipſoque hydrope, nec in ulla re majores fiunt magisque noxii exceſſus, quam iſtorum ſpirituoſorum, calidorum, confortantium abuſu, qui ſpecie quadam magnæ utilitatis blanditur palato magis quam ventriculo.

Hinc monitum meritò leges, nimium ſpirituoſorum abuſum vitandum eſſe iis, quibus caput & ſyſtema nervorum ſit debile, qui humido careant, teneræ ſint conſtitutionis, & ad ebullitiones proclives; mallem dicere, quemcunque ſpirituoſorum uſum in his eſſe abuſum, & proin nimium; nec rarò vel a medicamentis atque eſſèntiis cætera bonis quà ingredientia, ob menſtruorum ſpirituoſorum, ſeu vini ſpiritus additionem incommoda in iſtiusmodi ſubjectis licet advertere; ubi tamen dinumeratis ſaltem exhibentur guttulis.

In omnibus morbis, ubi tranſpiratio prohibita, & cutis ſicca, ſpirituoſa & ſanguinem exagitantia aſſumpta mirum nocere dicuntur; nota tamen vix idem eſſe tranſpirationem eſſe prohibitam, & cutim eſſe ſiccam; hæc enim non ſemper coin-

coincidunt, ac distinguendus est à transpiratione sudor; potest esse sicca cutis, ubi non sit prohibita transpiratio; hæc verò potest inhiberi, ubi tamen extra ordinem sicca non appareat cutis: cæterum spirituosa non omnes excluserint in omni tali statu, quia sub ista non nimia exagitatione humorum mador excitari, halitibusque, via iterum potest restitui libera cum emolumento ægri in certis casibus.

Balsamica vocant medicamenta, quæ constent ex oleo & sulphure gummoso, blando ac temperato elemento, naturæ grato, uti sint myrrha, scordium, & variæ herbæ, crocus, zedoaria, nux moschata, lignum aloes, sassafras, quæ humorum acrimoniam demulceant, spirituascentiam chyli & sanguinis blandè promoveant, nervis prosint, & omnibus stomachi morbis, vulneribus, ac ulceribus medeantur, hinc vulneraria existant, nec tamen omnia vulneratis conveniant, nec illa promiscuè exhibueris, non enim omnia ad balsamica relata etiam vulneraria sunt, nec omnia vulneraria balsamica; ac nimium ferè etiam his in ventriculi vitiis adscribitur, quæ non omnia admittunt hæc balsamica.

Gummata oleo destillato copioso imbuta acido & viscido contraria dicuntur, hinc optima esse antihypochondriaca, bilioſos autem humores facile exagitare & calorem p. n. accendere; patet verò de resinis hæc intelligenda, non gummatibus propriè sic dictis, quæ isto non pollent calore vel oleo; sed neq; istæ resinæ hypochondriacis tantas ferre suppetias crediderim.

Amara sale copioso fixo scatere dicuntur, hincque aperire, acidum bili immixtum corrigere, & bilem copiosiorem generare, sicque spirituascentiam sanguinis blande procurare, hinc amara optima esse hepatica, antiicterica, antifebrilia, anticachectica, antiscorbutica, & anthelmintica. Vix verò ab isto fixo sale vis amarorum pendebit, quod plerique pro ignis sub calcinatione producto habent, saltem quà istam

formam

formam ſalinam fixam, juvant amara bilem, non acidum ejus corrigendo, ſed lentorem & viſciditatem à mora contractam, ac potiſſimum fibrarum robur amara fulciunt.

Ligna, quæ reſina polleant copioſa & acri, viſcidos tenaces incidere humores, exſiccare, ſudorem movere, hincque optima eſſe antihydropica, antiſcorbutica, & luis gallicæ alexipharmaca dicuntur. Notum verò eſt radicatam luem, noſtris quidem in regionibus, ſine mercurio vix expugnari radicitus; nec forſan tam acri pollere reſina ſalſamparillam, quæ præ lignis ferè inſignis eſt in iſta ſanguinis depuratione virtutis; in hydrope verò fruſtra forſan tantum ab ipſis expectes auxilii, nec ſcorbuto profligando paria illa facilè credideris.

Monent verò etiam rectè, lignoſa ubi deficiat humidum, ut in atrophia & hectica, omni modo eſſe vitanda; cum enim ſint ſudorifera, quid eſt quod in defectu ſeri velis expellere? quanquam atrophia non præciſè in defectu humidi videatur conſiſtere, quam potius in defectu humidi laudabilis, nutritii, imò & in hujus aſſimilatione, ſiquidem ſuggereretur adhuc, prohibita ac ceſſante.

Nitroſa propter æthereum, aëreum ſal quaſi concentratum, & figuram pyramidalem incidere dicunt, attenuare, obſtructiones aperire, particulas ſulphureas ſanguinis ligare & figere, hinc in omnibus morbis calidis, ubi humidum deficiat, ſitis & vigilia adſit, alvus adſtricta, gratiſſimam ferre opem, & optima eſſe calorem & ſitim ſedantia; ſi ſcilicet ventriculi tonus ea ferat, nec enim omnium ſubjectorum eadem eſt ratio, unde & quà doſes multum variandum; præſtat verò nitrum crudum, cryſtallinum lapidis prunellæ, aliisque præparatis, æthereum eſſe aëreumque ſal nitroſum non omnes concedent, nec vires illas temperandi, refrigerandi, aperiendi, pyramidibus illis præciſè adſcribent, cryſtalli nitri referunt pyramides, ſpicula ejus minima talem vix habent figuram, ſed

acuta videntur & rigiditate ſua facile liqueſcente ac cedente egregiè temperant humores, gratoque perfundunt frigore calentes nimium partes.

Monent verò nocere nitroſa, ubi ventriculus debilis ſit, vel ex cauſa frigida laboret, alvus humida, & diſpoſitio ad phthiſin ſit & catarrhus; catarrhi calidi nitroſa non excludunt; nec omnis ad phthiſin diſpoſitio præſertim paulò remotior; neque omnis ventriculi debilitas, eſt enim, ubi & debilis ventriculus gratiſſimè ſuſcipiat ingeſtum parcè nitrum, hinc omnes probè ponderandæ circumſtantiæ antequam concludas.

Aquea, diluentia, inſipida majori in copia calidè data ſalia lymphæ peregrina ſcorbutica diluere dicuntur, temperare, craſſos humores fluxiles reddere, ſudorem & urinam movere, ſitim & calorem præternaturalem exſtinguere, excretiones naturæ ordinarias promovere, & polychreſta eſſe dicuntur; eſtque hoc fundamentum potuum calidorum, hodiè adeò receptorum ac commendatorum, quorum tamen & abuſus tota die cernimus & abominamur; cætera ſi non ad voluptatem ſed commodum ex ſpecificis parentur vegetabilibus cuivis affectui congruis, vires exferunt egregias nec ſatis laudandas.

Hinc quicunque calidos hos potus ferre non poſſint, eos in primis viis vitium quoddam habere judicant; ſunt enim reverà qui talia ferre non poſſunt ob atoniam ventriculi, & cruditatum præſentiam, neque enim omnia omnibus promiſcuè conveniunt, ac tentandum ſæpe prius, quamnam remedii formam commodius ferat æger, ſunt enim qui calida, ſunt qui frigide ſumpta præferant decocta & infuſa:

Omnia actu frigida poros obſtruere, excretiones ſiſtere, inflammationes adaugere, & humores reddere tenaciores, adeoque repellentia eſſe dicuntur. Nota tamen eorum numerum ingentem qui per totam vitam nonniſi frigida hauriunt, ſine noxa, imo ſemper glacie utuntur, cujus quidem

dem frequens noxa in non adſuetis, alii tamen eam benè ferunt.

Frigida concentrare ſpiritus, & in morbis à ſpirituum reſolutione natis illorum uſus non ſemper contemnendus dicitur; ſed cautiſſimè tum ſunt adhibenda, ac mitiſſimo gradu, imò & tum per gradus, cum nec hoc ſemper liceat, ægris talibus ne frigidiuſculam quidem auram ſæpe ferentibus, reſolutio enim ſpirituum plerumque cum illorum teneritudine, ſenſibilitate nimia, & debilitate conjungitur; & quis fervori in aliis caſibus opponat contrarium frigus, ubi omnia forent metuenda mala.

Medicamenta viſcidam quandam mucilaginem recondentia, ſpicula ſalium acria temperare, involvere, nutrire, dulcificare dicuntur, & eſſe proin emollientia, pectoralia, ſuppurationem promoventia, humectantia. Non tam laudanda mucilago viſcida, quam non viſcida pro ſcopis pleriſque, vel ſaltem minus viſcida; nec omnia emollientia ſunt mucilaginoſa, nec omnia pectoralia, quæque promovent ſuppurationem; acrimoniam verò talia oblinunt magis quàm corrigunt.

Cap. VI.

DE MEDICAMENTIS MOTUM HUMORUM ACCELERANTIBUS AC NIMIUM SISTENTIBUS.

NOtant, medicamenta accelerare ſpirituum, ſanguinis & omnium humorum motum vel privativè, vel poſitivè; privativè, omnia incidentia, acidum & viſcidum deſtruentia; poſitivè, omnia calida, ſpirituoſa, & ſale volatili ſulphureo imprægnata. Nota verò inſuper, priora illa videri tutiora,

ex eo, quia ligatas, impeditasque liberant moleculas, ſuoque reſtituunt vigori priſtino, neque illas ultra quam par eſt exaltare, cum ex adverſo poſitivè motum accelerantia toties noceant ultra naturales limites incitando, efferasque reddendo moleculas, quæ ultra nativam vitalitatis motionem fortius non debebant commoveri; hinc tot in praxi errores, tot graviſſima ſanitatis diſpendia & errores naſcuntur capitales &c.

Ajunt Mercurialia, & ſulphura mineralium, quatenus ſpiritu quodam metallico, penetrantiſſimo, æthereo, ex ſolidiſſimis particulis conſtructo gaudeant, in nervos & illorum fluidum immediatè operari ſtimulando, irritando, & impulſum ſpiritibus animalibus communicando, hinc fortiſſima eſſe aperientia in morbis frigidis, diuturnis, & nervorum ac glandularum obſtructionibus efficaciſſima, qualia ſint regulus Antimonii medicinalis, cinnabarina, mercurius diaphoreticus jovialis, tinctura veneris dulcis, tincturæ antimoniales, mercurius philoſophicè præparatus & cum auro fixatus.

Magnifica certè ſunt quæ de his potentiſſimis dicuntur deobſtruentibus, & majora forſan quam ſperare ab illis re ipſa liceat, ſpiritus ille æthereus tanti non eſt, neque experientia confirmat ingentia illa chymicorum de Regulis ſuis, panaceis & Mercuriis effata ac promiſſa; inſignis mercurialium particularum penetrandi vis notiſſima eſt & laudatiſſima, maximè in lue venerea, pleraque autem ex Mercurio præparata nec tuta ſunt, neç proficua, ne in his quidem morbis, ubi certa eſt vis Mercurii, in aliis magis metuenda. Cinnabaris meretur laudem, vix tamen tantam, quanta ordinariè ipſi tribuitur. Mercurius fixatus nunquam eſt fixus, & ſi fixus, inutilis. Sulphura verò illa decantata & laudata encomiis ſuis raro reſpondent, & requirunt cautam, quæ ea exhibeat, manum &c.

Nimium humorum motum ſiſtere ac demulcere dicuntur adſtringentia, vitriolata, & omnia açido-terreo principio imbuta,

imbuta, quatenus particulis ſuis craſſis ad motum ineptis vel vias minutiſſimas occludant, vel humores nimis fluxiles ac tenues particulis ſuis motui ineptis angularibus & majori ſuperficie gaudentibus coagulent; talesque eſſe omnes tincturas martiales, quæ non niſi ſolutiones ſint Martis, vitriolicam naturam habentes, omnia vitriolacea, aluminoſa, auſtera, ſtyptica. Agunt verò hoc magis per indirectum, imò ipſa hæc martialia, quæ dicuntur vitriolata, agunt potius aperiendo & incidendo, acidumque deſtruendo, quam adſtringendo; unde & alia efficacius convenientiusque temperent humorum, ſpirituumque impetum, motum, vel ferociam, uti ſupra jam de diluentibus, temperantibus, gelatinoſis, leniter incraſſantibus, papaveraceis monuimus.

In eundem ferè ſenſum monent, adſtringentia per accidens ſæpe aperire, quatenus anguſtioribus redditis viis accelerent ſpirituum motum, ut non rarò ſpaſmodica contractio inde reſultet, qua contractione contentum fluidum moveatur & expellatur; ipſam facilè admiſeris theſin, licet æthiologia videatur & minus fundata, & ob excitatos ſpaſmos ſuſpecta; nec viis anguſtatis accelerant ſpirituum motum, ſed eum potius obtundunt in tali caſu.

Quam opinionem eò magis confirmeris, ſi attendas monitum ipſorum aliud, in omnibus morbis ex nimiis ſanguinis ac humorum excretionibus & ex læſo ſanguinis circulo natis, morbis frigidis, obſtructionibus, & infarctu viſcerum adſtringentia eſſe inſtar veneni; qui igitur promovere dicentur motum humorum impeditum? utut enim moderata adſtringentia in dictis caſibus haud adeo formidanda videantur, certum tamen eſt hanc humores torpentes promovendi rationem tutam expeditamque non eſſe.

Vitriolica medicamenta in majori copia aſſumta nauſeam parere dicuntur, vomitusque & ſedes efficere, quatenus præ-

ter virtutem adstringentem etiam irritantem & stimulantem habeant. Multa sane stimulandi & irritandi vim habent, quæ tamen nec purgant, nec movent vomitum, hinc potius ad venereas vitriolorum particulas, quæ emeticæ sunt, id referendum, qualia quidem vitriolica non deberent assumi, tono quippe ventriculi & viscerum contraria; cum verò vitriolacea errhina dicuntur potentissima, eo ipso vis ipsorum tum adstringens, tum irritans salina innuitur; quæ proin neque tuta semper fuerit, neque adeò forsan frequenter necessaria &c.

Post usum adstringentium vitriolaceorum, martialium, pulsus sæpè augeri dicitur, calor in corpore fieri major, & sudoris ac urinæ fluxum excitari; possunt scilicet ac solent sæpè nimia dosi exhiberi martialia, ut copia quoque sua prægravent ventriculum, vomitumque excitent; præstat refractæ diutius insistere dosi, quam obruere fibras stomachi improportionato remedio.

Post martialium & vitriolaceorum usum feces ut plurimum secedunt nigræ, propter martiales particulas à bile præcipitatas; Quis verò in fecibus miretur nigredinem, qui vel ex mechanicis novit nigri coloris profundissimas radices ex ferro peti; bile ergo non opus erit præcipitante, sufficit acres humores rodere martem, & ab illo resoluto tingi nigredine accedentibus terreis ac austeris crudorum humorum moleculis, uti satis docent phænomena colorum circa infusionem gallarum & vitrioli &c.

Motum nimium humorum sedare ac sistere dicuntur omnia vaporosa, quæ nimirum in maxima quantitate emittant vapores, uti sint omnia grave- & suaveolentia, & hæc esse & dici anodyna; vim verò horum anodynorum uti omnes agnoscunt, ita illam in vaporum & halituum copia nemo facilè cum fructu quæsiverit, nec ea quæ graveolentia aut suaveolentia sunt, anodyna ideò vel narcotica erunt.

Vapo-

Vaporoſa talia copioſiſſimis ſuis effluviis per poros facile penetrantibus nervos replere dicuntur, & ſpirituum animalium fluxum quodammodo ſufflaminare, & ſuſpendere, hinc torporem inducere ac ſomnum, dolores auferre, calorem extinguere, acrimoniam humorum demulcere, excretiones ſiſtere, ſudorem nonnunquam movere, & hæc omnia efficere, dum motum ſpirituum, furibundum nimis, ſedent. Hunc effectum præſtant anodyna ac narcotica pro gradibus diverſis, licet non præciſè hanc ob cauſam, nec tam ſubitò per poros ingrediuntur in nervos, nec ſi ingrederentur ſola ſua præſentia ſufflaminarent motum ſpirituum, uti tot halitus longè volatiliores & penetrantiores ſpiritus potius nimis commovere ſolent; quicquid verò ſit de modo agendi anodynorum, ad minimum nimium illis non tribuere debemus, præſtant dicta illa commoda, ſed non omnia, nec ſemper, nec enim acrimoniam humorum per ſe corrigunt, nec extinguunt poſitivè calorem, niſi quatenus ſedant ſpiritus, & elaterem humorum fibrarumque moderantur.

Anodyna pro diverſitate principii illius ſeu ſulphuris differre dicuntur, & magis vel minus naturæ grata eſſe, hinc diverſos eſſe effectus opii, nuciſtæ, camphoræ, croci, caſtorei, moſchi; Id verò inde eſſe quis non videt, quod vaporoſorum appellatio omnibus his competat, non verò anodynorum & narcoticorum; caſtoreum ſane narcoticorum corrigens eximium eſt, ſpiritusque potenter excitat, ſed & blandè mulceat atque afficiat: camphora pariter ſubtilia habet miaſmata ab opiato tamen prorſus diverſa &c.

Hinc etiam rectè ex omnibus vaporoſis opium dicitur efficaciſſimum, & hinc cautiſſimè applicandum; non quod exhalationes habeat tenuiſſimas & confertiſſimas, (in hoc enim cedit longè camphoræ & moſcho &c. ſed quod nimis violenter liget ſpiritus, ad totalem uſque ligaturam ac lethalem; hinc

opus

opus habet corrigentibus ; quanquam optima correctio eſt cauta & parca doſis , qua nunquam nocebis & tutiorem melioremque tamen obtinebis effectum.

Optima præparatio opii dicitur ejus ſolutio in inſipido menſtruo , & à ſordibus ejus terreis depuratio ; terreæ verò partes non ſunt noxiæ , ſed ipſæ narcoticæ aliquam habent virulentiam , hinc adeò parca doſis commendanda.

Optima opii correctiva dicuntur ſudorifera , & ſalia volatilia oleoſa , aromatica & ſpirituoſa ; ſed & ipſa hæc corrigentia in multis caſibus fuerint noxia , & ſuſpecta ; præſtabitque non indigere correctivo , ſi non exhibeas plus quam requiritur ad pacandos ſpiritus ; neque enim ſunt opprimendi.

Acida & alcalina opii texturam planè deſtruere dicuntur , hinc ejus vim vel debilitare , vel imminuere ; nec ipſorum additione aut combinatione opus eſt , quanquam illa nec meditenda ſit , ubi ea admittunt cæteræ circumſtantiæ morbi ; nec tamen blanda acida deſtruunt opii vim , ac ſi dicas imminuere , nihil dixeris ; hoc enim eſt quod quærunt illi qui quærunt corrigentia , habent illam vim pro juſto fortiori , hinc ſucco cydoniorum ſunt qui laudanum parent tanquam mitiſſimo acido & adſtringente ac tonico.

In omnibus morbis frigidis , obſtructionibus , tam alvi , quàm vaſorum , & maximè nervorum , in virium dejectione , ſpirituum animalium imbecillitate , pulſu debili , in omni malignitate , viſcerum infarctu , opiata cane pejus & angue fugienda dicuntur ; intellige verò fortiora , blanda enim , alexipharmacis combinata tota die in malignitate , in imbecillitate ſpirituum animalium (quæ ab oppreſſione potius , quam diſſipatione eſt ac defectu) in malignis febribus , ubi debilitas ſpirituum cum ipſorum elatere aucto jungitur ac ferociâ , exemplo theriacæ cœl. & andr. diaſcordii &c. moderatiſſimè tamen junguntur.

Cum

Cum verò monent, ſæpè ubi opium non proſit, prodeſſe camphoram, crocum, notandum, non ſemper tutum eſſe ſpiritus eccentricos anodynis fortioribus, & narcoticis opiatis refrenare & ligare, ſed præſtare ſæpè ea adhibere, quæ demulcendo, blandè in alium motum ſollicitando ſpiritus, ſedatiorem ipſis fluxum concilient amica & ſuavi ſua aſſociatione.

Notant quoque, opiata pro diverſitate ſubjectorum varios edere effectus, in aliis excretiones ſiſtere, in aliis promovere, in aliis ſomnum, in aliis vigilias producere; ſæpe enim tanta ferocia eccentricitas, & confuſio eſt ſpirituum, ut opiatis non auſcultent, ſed potius confuſiores inde fiant, & vigiliæ augeantur, uti ſæpe obſervamus in variis doloribus, noctes magis reddi inſomnes & inquietas, confuſasque aſſumtis opiatis, theriaca cœleſti, extracto bezoardico &c. ſic & per accidens fluxum ſeu excretionem excitabit, ſpiritus aliter determinando partim & avocando &c.

Tandem moneri quoque videas, opiata nunquam niſi primis viis benè apertis, reſpiratione & tranſpiratione libera, pulſu fortiori propinanda, & melius in forma liquida quàm ſicca operari. Si parca tutaque opiata exhibeas, non erit quod adeò de primis viis ſis ſolicitus; tranſpirationem verò ſæpè egregiè eadem promovere ſolent. Cæterum, & in ſiçca çommodè exhiberi forma frequentior praxis çomprobat.

Cap. VII.

DE CAUTELIS QUIBUSDAM PRACTICIS.

INnumeræ huc ſpectant, ac referri poſſunt cautelæ; nec verò poſſibile eſt ad omnes nunc attendere, ſequendo monita

aliorum nonnulla ſparſim notare libet. Mercurialia & amara optimè dicuntur præſcribi in forma pilularum ; ne ſcilicet infenſus dentibus Mercurius ibi hæreat , omnisque deferatur in ventriculum ; nec alibi intempeſtivè hæreat , quanquam iſta rarioris ſint uſus ; & ad ſolum ferè Mercurium dulcem reſtricta ; qui nec ipſe omnibus in frequenti uſu eſt ; amara verò pro lubitu in omni forma dari poſſunt ; niſi libeat blandiri palato pilulis.

Medicamentum liquidum ſemper dicitur melius operari , quam ſi in forma ſicca propinatur ; de quibusdam id extra controverſiam eſt , plurima utraque ratione promiſcuè eodem exhibentur fructu.

Monent in omni morbo alvum ſervandam apertam , & ſi purgante id fieri nequeat , expediendum eſſe clyſteribus ; nec tamen ſemper opus eſt alvum urgentibus , cum vix aliquid cibi conſiſtentis aſſumant ægri , ac turbari natura his remediis poſſit in opere ſuo , adeò ut & in variolis non facilè ad clyſteres , alias innoxios cautiores accedant , ne ulla diarrhœæ tam funeſtæ tum detur anſa.

Clyſteres conſtare jubent ex emollientibus , carminativis & ſtimulantibus ; mitiora tamen præferenda , plerumque enim illa ſufficiunt , acria raro requiruntur.

Salina in clyſteribus plus ſtimulare dicuntur quàm purgantia ; utraque non niſi moderatè , nec ſemper jungenda , niſi excitandi ſcopo enema applicetur.

Monent , naturam clyſteribus & aliis medicamentis facile aſſueſcere , hinc mutationem medicamentorum eſſe conſultam ; Præſtat clyſteres ſine neceſſitate non applicare , ne iis aſſueſcat æger , alvusque tardior non ſine ſtimulo impoſterum officio ſuo fungatur ; quod ad alia attinet medicamenta , nec illa præter neceſſitatem adhibenda , ſæpè tamen præſtaret diu eidem inſiſtere , ſi quidem ægri impatientes id ferrent , nec metuen-

tuendum, ne assuescat natura, sed optandum potius, ut tamdiu exhibeatur, donec correxerit vitia naturæ deficientis; cætera prudens medicus facilè novit, ubi mutatione opus sit, nec naturam certis assuefaciet stimulis, si sibi sufficiat.

Omnis venæ sectio, purgantia, emetica, tempore excretionis subcutaneæ in variolis, erysipelate &c. nocere dicuntur, & naturam in crisi turbare; non omnes in hoc consentiunt, tutius agunt qui ab ipsa etiam venæ sectione abstinent, nisi grave quid urgeat ultra modum, de purgantibus & emeticis tum nemo prudens cogitaverit.

Purgatio ante variolas & post declinationem optima dicitur, quis verò tibi denunciabit instantes variolas, ut possis exhibere in tempore purgans? in fine laxantia commodè exhibentur, non æquè in declinatione, ubi tutum id nondum foret, sunt enim morbi subdoli.

Omnia calida, spirituosa, volatilia, oleosa massam sanguineam exagitantia tempore eruptionis cane pejus & angue vitanda dicuntur; symptomata ut plurimum non tantum exasperare, sed & copiosiores efficere variolas; prodesse magis temperata, ebullitionem humorum nimiam deprimentia. Fortia sane illa & exagitantia nec in principio sub eruptione, nec in decursu tuta sunt, in principio tamen turgenti ac molienti sanguini succurrendum non deprimentibus, sed moderatè urgentibus, & expellentibus, quo in negotio lapis bezoar, & pulvis pannonicus dictum omne ferunt punctum, simul enim moderantur nimium æstum & turgescentiam, blandamque urgent diaphoresin.

Myrrhata dicuntur optima tempore convalescentiæ, cum balsamum reddant sanguini à nimia ebullitione vappido redditio; sunt tamen qui in principio myrrhata potius commendent; in declinatione videri queant justo calidiora; & absorbentia laudabili diætæ cibisque evpeptis juncta vim sanguini

ſuam reddunt. Tempore ſuppurationis variolarum commodiſſimè alvum clauſam poſſe aperiri, ſunt qui moneant; tutius tamen erit, abſtinere ab iſtis conatibus, qui ſiniſtre ſæpius cedunt, nec periculum adeò eſt in mora.

Calido nimis regimine plures mori varioloſos quàm frigidiori aſſerunt, frigidioris regiminis noxas manifeſtas toties videmus funeſto exitu; ſi verò per calidum regimen ſaltem ambientis temperiem aëris, & non medicamenta intelligas juſto calidiora vix tot inde noxas quàm à frigore obſervaveris; ut non laudemus exceſſivum quem aliqui requirunt calorem.

Morbillos tractandi & curandi methodum eandem eſſe cum variolis monent; nec malè; plerumque tamen minor malignitas mitiora ac pauciora poſcit remedia; quamvis in utroque morbo hujus gradus ſint plurimi.

In omnibus malignis, quicquid movendum, id ajunt ſtatim in principio fieri debere; optimum erit, ſi naturæ potius ſequaris motus, eosque vel juves pro re nata, vel modereris, proprio auſu verò nec in principio, nec in progreſſu quicquam moveas, niſi natura ſuo quodam robore ac niſu inclinet, quod tamen judicatu non adeò pronum ac facile eſt, facilis enim hîc lapſus eſt.

Venæ ſectio in malignis nonnunquam ſalutem, nonnunquam etiam mortem afferre monent, hocque tempore prodeſſe, illo nocere; ad minimum temerè eam non ſuſcipies, niſi epidemii mali genium aliis jam cognoveris exemplis, frequentiorem enim inde obſerves noxam.

Quò mitius ægri in malignis tractantur in morbi ſtatu, & quò magis totum negotium naturæ relinquatur, eò felicius ajunt procedere Medicos, & citius evadere ægros. Non ſane obruenda, nec turbanda natura, totum verò ipſi negotium vix tutò reliqueris; ducenda eſt, non cogenda.

Vomitoria magis ajunt commendanda in malignis, quam

quam purgantia, mixta tamen ſemper cum alexipharmacis, turbatam maſſam ſanguineam reſtituentibus. Nec placent vomitoria, vix ullus enim principium maligni morbi citò ſatis novit, vel agnoſcit; poſt hæc tutum non erit, licet addas alexipharmaca, quorſum enim illa, nec impedient natas ab emetico turbas.

Rectius ergo monent, cum dicunt, in malignis mixturam ſanguinis turbatam ante omnia eſſe reſtituendam, & vires conſervandas, id verò emetica non agunt, ſed moderata bezoardica, nitroſa, prudensque corticum, chaquerillæ & peruviani uſus, non omnibus perſpectus, hinc tot lites andabatarum.

Omnia alimenta ſubſtantifica, pinguia, juſcula ſic dicta confortantia nocent in omnibus febribus; nolis tam generaliter loqui; pinguia nemo facilè ægris dederit, juſcula verò gelatinoſa qui tam funeſta ſint febribus, haud facilè apparet, nec enim metuendum eſt, ne corpus impurum nutrias, & eo ipſo lædas, magis enim tum ventriculo ac viribus iis ſuccurrimus, quam ut nutrire & augere ſuccos credamus.

In omnibus morbis epidemicis emetica & diaphoretica dicuntur præſervare & curare, mixta cum balſamicis; præſervabunt verò aliquando emetica ſubducendo cruditates, fomitem contagii ſuſceptivum, rarò curabunt, ſæpe nocebunt; diaphoretica nec ſemper præſervabunt, nec æquè in omni curatione conveniunt, eſt verò ubi maximè moderanda ſunt, niſi ſimul ſint alexipharmaca ac tonica, & tum non quà diaphoretica adhibentur & agunt.

In intermittentibus, antequam primæ viæ expurgatæ ſint, ſolutæque viſcerum obſtructiones, cavendum maximè monent à china chinæ, à præcipitantibus ac adſtringentibus. Nota verò, quod, ſi omnes viſcerum obſtructiones debeant eſſe expeditæ prius, vix unquam poſſis accedere ad remedia antifebrilia,

brilia, nec agere contra febrim, ſunt obſtructiones illæ diverſi generis, nec omnes impediunt corticis uſum, cui etiam non ſemper commodè evacuans præmittitur remedium, id verò ſua quemque experientia facilè docuerit, nec enim ſemper febres ferunt purgantia.

Chinæ chinæ eſſentia in extractu liquidius redacta convenientiſſimum dicitur remedium, nec talia efficere incommoda, quam exhibitum in pulvere; hoc verò non obſtante præferent ii quos ſolidior frequentiorque docuerit experientia, pulveris alcoholiſati cum congruis aliis mixti uſum prudentem.

Arcanum medendi intermittentibus dicitur verus uſus & exhibitio prudens chinæ chinæ; adeò redeunt ad corticem, qui eum reddunt aliâs ſuſpectum; fatendum committi in uſu corticis graves errores, abuſus verò non tollit uſum.

Purgantia fortiora uti in omnibus obſtructionibus viſcerum, ſic maximè in intermittentibus, quæ ex obſtructionibus fiunt, damnum inferre dicuntur; fortiora purgantia nunquam laudem merentur; intermittentes epidemicæ ab obſtructionibus non fiunt, ſed & mitia purgantia vix ferunt commodè, hinc facilis recidiva.

Mercurialia & antimonialia glandularum obſtructarum & morborum contumaciſſimorum dicuntur alexicaca; ſed non æquè videntur iſtis encomiis ſatisfacere, ſi excipias luem veneream; nec enim facile videas pertinaces glandularum obſtructiones per ea ſolutas diſſipatasque.

Nimis calida, volatilia, ſudorifera in febribus, & ubi primæ viæ obſeſſæ ſint ſaburra vitioſorum humorum nocere dicuntur, & intermittentes facilè mutare in continuas; nimia iſta nunquam congrua nec proficua ſunt, moderata tamen in febribus non ſemper contemnenda, maximè ſudorifera; nec primarum viarum impuritas abſolutè iſtiusmodi excludit remedia,

media, nec facilè hinc in continuas febres transibunt, nisi per se jam per paroxysmos ad continuam tendant.

In hecticæ statu omnia purgantia & emetica, item acria instar veneni esse dicuntur; cum prodesse non possint, nocere verò plurimum emetica, concussione, purgatione, fusione ac diarrhœæ funesta excitatione, viriumque extinctione.

In hydrope, cachexia, volatilia, sudorifera maximas angustias efficere dicuntur, febrim accendere, & symptomata augere; scilicet in dosi nimiâ, & quæ ad sudorem usque urgeat & evalescat, quem motum talis sanguis viscidus non sine turbis & angustiis queat suscipere.

Viis in hydrope obstructis adapertis, monent fortissimè, & quidem repetitis viribus esse purgandum; sæpe verò videas quo cum fructu? vidimus aliquando leni satis purgante ἄνω καὶ κάτω summam cum ægri salute eductam humorum copiam, sed quoties vidimus virium prostrationes ac dissipationes à fortioribus purgantibus, imò & à lenioribus intempestivè datis; licet primo blandiantur aspectu, omnia mox in pejus ruunt, & citior imminet morbi finis; & quis tibi dicet, vias obstructas jam eò usque esse apertas, ut liceat purgare?

In omnibus morbis cum virium defectu junctis, vel ab ipso ortis cavendum esse monent ab omnibus fortioribus evacuantibus, adstringentibus, opiatis; minus tamen ab adstringentibus metuendum; ac distinguendus virium defectus a virium oppressione & quasi ligatione.

In declinatione morborum semper balsamica, amara & stomachica, item salia volatilia esse optima dicuntur; parciora tamen & mitiora sint oportet, si proficua esse, & sine noxa debeant dari; estque duplex tempus quod declinationis vocant, vel verè tale post ἀκμὴν morbi illius decrescentis decursus, vel post hunc demum convalescentiæ ulterioris status, quæ diversa significatio diversum quoque de canone & his remediis judicium format.

In

In ulceribus, ſcabie &c. internis ſemper prius auſpicandam eſſe monent curam, deinde externis adjuvandum; ſed ne ſic quidem promiſcuè externa admittuntur, quod ſulphurata unguenta in ſcabie triſtibus effectibus dudum docuere; nec tutò antiqua occludes ulcera, etiamſi internis prius uſus fueris, natura iſtis jam aſſuetâ emunctoriis; ſed & ſcabiei externa remedia admittuntur, ſi non repellant, ulcera citius conſolident, & citò ſanent.

Pediluvia in omnibus capitis affectibus, nec non clyſteres dicuntur convenire; ſunt tamen caſus, ubi non conveniant, ſi capitis affectui febris jungatur, ac ſæpe aliâs in cauſa calida, maxime ſi pediluvia calidiora fuerint, quæ capitis ſanguinisque augeant turbas & æſtum; ſæpe quoque excluduntur clyſteres, quos non æquè omnes commodè ferunt, ſed non rarò majores inde turbas & moleſtias obſerves enaſci & excitari.

A balneis abſtinere jubentur hectici, cacochymici, & quorum viſcera ſint inflammata; balnea adeò non humectant (quæ aliorum opinio eſt) ut potius plus quam par eſt calefaciant corpus, & ſpirituum augeant elaterem, ſermo enim eſt de calidis balneis, utut remiſſis, frigida enim plane proſcribuntur ab ægris; quis ergò hecticis illa ſuadeat; cacochymicis adeò abſolutè prohibere eorum uſum vix licebit, niſi ingens cacochymiæ gradus ſit, & alia concurrant obſtantia ſymptomata.

Emplaſtra Mercurialia egregiè reſolvere dicuntur obſtructiones, aſt ſcirrhos lienis, pancreatis, in abſceſſus facilè mutare; ſi verò abſceſſus tales efficiant, ſignum erit, ſcirrhoſa verè non fuiſſe illa viſcera, verus enim ſcirrhus vix in abſceſſum abibit; nec iſta emplaſtra tutò viſcerum regioni facilè impoſueris.

Poſt Martialium, abſorbentium uſum ſemper interpolanda

landa esse monent leniora purgantia, item acidula, stomachalia, menstruum ventriculi erigentia; si moderatus illorum fuerit usus, non opus erit purgantium usu succedente, sed nec acidulorum; stomachica verò semper jungenda sunt in refracta dosi; nec facilè in martialibus dandis excedas.

Adstringentia in pectoris affectibus cautissimè danda monent, cum sistant expectorationem; magna adstringentium latitudo est; nec illa indicantur in pectoris affectibus, nisi ob atoniam pulmonum mitiora, & maximè ob hæmoptysin ad vasa occludenda, ubi iis carere nequeas, prudentiæ verò est ea pectoralibus ritè combinare.

In morbis catarrhalibus & pectoris affectibus looh ac electuaria dulcia sæpe ventriculum ejusque digestionem ita lædere dicuntur, ut cachexia, hydrops, hectica, asthma inde fiat. Non dubites aliquando ventriculo gravia esse illa eclegmata viscido-dulcia; sed nec iis abutendum, si copiam spectes, nec tanta iis inferenda innocentibus injuria, ut dicantur gravissimos hos cudere affectus; sequi talia post affectus pectoris novum non est, loquiturque res ipsa, sequi verò ob linctus istos dulces tanta mala efficientes, credant alii.

Cautè semper danda esse & in minori dosi dulcia monent, lædere enim scorbuticos, hystericos, & hypochondriacos; & tota tamen die hi omnes utuntur dulcibus, ii verò ex illo numero, qui iis læduntur, abstinebunt, cæteri iis non abutentur, usum tamen commodè ferent, uti eum ferunt plerumque in cibis.

Ante purgationem semper prius humores alterandos maximè acidos monent, sic feliciorem sequi operationem; sed & eadem sequitur plerumque illis non præparatis, circumstantiæ docebunt, an necessaria sit præparatio eorum.

Spirituosa, aromatica, theriacalia optimè dicuntur sistere hypercatharsin; præstat eam nunquam excitare, fortia

enim purgantia ſemper metuenda; ſi tamen evenerit, ad temperamentum ægri reſpiciendum, diſpiciendumque, quænam ex his illi ſint convenientiora, theriacalia quidem efficaciſſima ſunt.

Decocta, dulcia, & magni potus in viſcerum obſtructionibus non danda monent; vix video, quî decocta, cætera convenientia, his nocere queant; magni potus per vices dari commodius poſſunt; nec dulcia promiſcuè nocent in obſtructionibus.

Dari perſonas monent, quibus certa remedia ſint inimica, ex certa quadam idioſyncraſia; plerumque tamen ex præjudiciis, & formatis pravè opinionibus, eſtque hæc contrarietas probè diſtinguenda ab ea, quæ ab idioſyncraſia verè oritur.

Medicamenta, quæ ſanguinis vitia corrigere debent, commodiſſimè dicuntur ſumi cum decoctis; vel gratius etiam in forma infuſorum, quo referenda ſummi uſus infuſa ſpecifica Theeformia, mira varietate & utilitate ſe commendantia.

Poſt purgatas primas vias medicamina ſemper felicius operari monent; ſi quidem tutum ſit, liceatque illas purgare, neque enim occaſio ſemper morbusque id permittunt.

Morbi periodici tempore intermiſſionis magis quam in ipſo paroxyſmo dicuntur ſanandi; in paroxyſmo verò talia potius danda, quæ roborent, urgentibusque ſuccurrant tantiſper ſymptomatibus leniendis.

In frigidis morbis, & ubi ventriculus ſit debilis, vinum quidam pro medicamentorum vehiculo commendant; præſtiterit verò vinum ſanis, vel ſaltem cibi ſumendi temporibus relinquere; acor vini pleraque inficit infringitque medicamenta; aliud eſt, ſi ii qui vino delectantur, Eſſentias quasdam vel elixiria ament in iſto paulo ante prandium vel in prandio aſſumere; præſtant ergò pro vehiculo aquæ deſtillatæ, ventriculo verò aliis rectius ſuccurres, æquè ac frigori humorum.

Acido-

Acidularum, thermarum, lactis uſus ſupponere dicitur viſcera ſana, robuſta, non inflammata vel ſcirrhoſa, & robur ventriculi; qui omnibus his gaudet integris vix lactis curam admittet; & quis hæc dabit tabido, ut lactis cura poſſit uti, quâ tamen uti eum multi jubent? thermarum uſus varius eſt, mitiorem & moderatum facilè ferat, qui intenſiorem non admiſerit ſine noxa; circa acidulas verò ingentes committuntur abuſus, ab iis maximè, qui earum uſu ventriculi atoniam ſe debellaturos credunt, quam potius augent; ſunt verò & debiles ventriculi, quos mireris commodè acidulas ferre, licet iis forſan aliis ex capitibus minus proficuas.

Acida poſt curam lactis vitanda dicuntur; ergò multò magis in ipſa cura, & quicquid anſam dare coagulo lactis queat; delicatum lac remedium eſt, ſi nocere non debeat, cautiſſimè dandum, nec cuivis, ac multa quidem cum circumſpectione.

Hyeme magis volatilia oleoſa calida dicunt prodeſſe, æſtate magis temperata; quælibet convenient pro neceſſitatis ratione, quacunque etiam tempeſtate, ſunt, qui calida iſta nec æſtate ferant nec hyeme, aliis media etiam æſtate iis cum fructu, ſi quidem opus fuerit, utentibus.

In omni inflammatione monent vitanda eſſe inſtar veneni frigida, cum ſtaſin humorum & incraſſationem augeant, ſicque ad gangrænam, ſphacelumque diſponant quam celerrimè; externa ſcilicet frigida intelliguntur, interna enim refrigerantia e. g. nitroſa diluentia, temperantia tam congrua ſunt, quam actu frigida exterius applicita, & frigidi hauſtus noxia exiſtunt.

Nervis, membranis, & oſſibus nimis calida, frigida, acida, oleoſa, & mercurialia nocere dicuntur; de diſtinctis diſtinctè, olea calida nervi læſi & ferunt & expetunt valdè calidè admota, exemplo olei terebinthinæ calentis in vulneribus

partium nervosarum & synovia cum fructu adhibendi ; acida omninò respuunt iidem ; Ossa pinguia , & oleosa non æquè tolerant impunè , sed ossa carriosa aut ad cariem inclinantia requirunt olea calida &c.

In omni horrore ac frigore morborum incipiente dicitur nocere potus , cum ventriculo tum debili facessat negotium , alia vix nociturus ratione.

Medicamenta emmenagoga optimè dari dicuntur aliquot dies ante consuetam purgationem ; ut medicamentum moveat efficacius tendente & inclinante jam ipsa natura.

Omnes morbi incogniti in principio dicuntur esse tractandi diaphoreticis ; sed non sudoribus , adeoque potius medicamentis , quæ dicuntur diaphoretica , non tamen semper sudandi scopo , sed quod sint bezoardica , alexipharmaca , diaphoresin promoventia.

In spasmodicis intestinorum affectionibus præstare ajunt clysteres ex meris oleis præparare ; præstet forsan oleis jungere lac vel jusculum vel emolliens ac nervinum decoctum , aut si mavis his olea , utpote quorum minor queat esse quantitas , est verò & quoad olea differentia , utut cocta , cum alia calidiora sint , alia minus , exemplo Ol. cham. verbasc. rosar. lil. alb. ruth. menth. castor. absynth.

In purgatione & vomitu omne frigidum , acidum , & adstringens dicitur esse vitandum ; aliud in vomitu , aliud mox post vomitum dixeris , ubi acidula non rarò grata , & tonica , adstringentia necessaria evadunt &c.

Puerperæ dicuntur tractandæ esse uti graviter vulnerati , & in illarum morbis semper inflammationem partium esse attendendam ; non tanquam præsentem , sed tanquam imminentem , ac facilè sequentem incautam tractationem , quanquam satis læsus tenerque sit uterus , ubi placentæ connexio fuit avulsa ac separata.

Potus ,

Potus, balnea, & carminativa hernioſis valdè dicuntur proficua, nocere autem ipſis purgantia fortiora; ſane & mitia formidanda; quanquam duplex eſt ſtatus hernioſorum, dum inteſtina vel prolapſa ſunt, vel in ſitu, & hi, ſi ſubligaculo ſint muniti, habendi quaſi pro non hernioſis; nec tamen adeò profuerint balnea, quæ laxant, niſi cum incarcerata ſunt inteſtina, ſi verò inflammata jam ſint, quorſum balnea? quæ tum magis nocebunt &c. Fotus & cataplaſmata magnarum ſunt virium, ſi repoſitio adhuc ſperanda, nec malum deſperatum ſit.

Non omnia ſubjecta vel omnes morbi externi ferre poſſe emplaſtra monent, item unguenta, liquores &c. In ſpecie inflammationes hæc reſpuunt; imò & ſpirituoſi liquores non ſemper conveniunt externè; ſunt verò aliqui tam tenera cute, ut nec omnia ferant emplaſtra; aliis tam ſicca denſaque & inſenſili cute præditis, ut ne veſicatoria quidem emplaſtra excitent veſicas.

Doſis medicamentorum dicitur variare pro diverſitate medicamentorum & præparationis eorum; hæc ſanè doctrina ampliſſima eſt; potes omninò dare circa doſes ac formare regulas, ſed laxiores & cum aliqua latitudine, quæ variandæ demum variè applicandæ erunt in praxi; potiſſimum verò circa purgantia cautela opus eſt, præſtiteritque fugere draſtica ac violenta, probatorum verò ac moderatorum doſes exhibere vel minores vel mediocres, non facilè accedendo ad ſummas; nec fide ipſis ægris, qui ſæpe nituntur perſuadere medico, ſe purgatu difficiles commotuque eſſe, cum vel leni laxante ſolvantur moveanturque abundè.

Multum quidem intereſſe dicitur, quâ doſi applicetur medicamentum, nec quisquam de hoc dubitat, maximè circa purgantia, & alia activiora remedia, & hæc maxima prudentiæ ac judicii practici pars eſt, noſſe ſuum cuique tribuere, ut nec timidè agas, nec temerè.

Eodem fundamento niti oportet notitiam, quamdiu insistendum sit medicamento cuidam præstanti, neque enim id ex effectu licet concludere, qui non mox erit conspicuus, etiam si profit usus remedii; est verò subtilior acies Medici prudentis, qui subtiliores attendit effectus, & signa aliorum in sensus non incurrentia, qui ipsum doceant, an debeat insistere, an mutare? Multa verò esse in praxi cum Galeno monent, quæ nec dici, nec scribi possint, sed discenda sint in ipsa cum ægris conversatione, assiduaque eorundem observatione &c.

DE CAUTELIS CIRCA OBSERVATIONES ADHIBENDIS.

NIhil æquè Medicinam discenti necessarium est, ac observationes. Utut enim alienæ ipsi magno numero exhibeantur in libris; eas tamen non solùm cum circumspectione ac prudentia admittendas sciat, sed & propriis observationibus quasi fulciendas, atque cum iis solicitè conferendas.

Nec tam facilè est vel judicare de observationibus alienis, vel instituendo proprias, justa, ne fallaris, methodo procedere, cum nullibi facilius fallaciæ non causæ ut causæ committantur, quam in arduo hoc observandi negotio, quod proin attentionem perpetuam, judicium solidum, ac industriam singularem requirere nemo non agnoscet, qui operam rei tam intricatæ aliquando dederit.

Observationum verò nomine non idem omnes intelligunt; quibusdam enim ita dicitur tota series phænomenorum alicujus morbi, aliis quodcunque phænomenon circa morbos, eorumque curationem obvium, aliis verò ea quoque præcepta, vel si mavis axiomata ita vocantur, quæ ex ipsis morborum phænomenis penitius consideratis ultrò se oculis, animisque ingerunt, offeruntque, istasque vocant Theoretico-Practicas.

Quem-

Quemcunque autem voci ſenſum tribuas, cavendum erit, ne obſervationem vel advertendo, vel formando inconſideratè agas, vel negligendo præcipua, vel apprehendendo pro præcipuis minus eſſentialia, minusque attentione tua digna, imò te à ſcopo abducentia, vel concludendo ex phænomenis cum præcipitantia quadam, concludendo à particulari ad univerſale, regulamque formando, cujus certitudo phænomenis ſufficientibus haud nitatur.

Vel ſola lectio obſervationum in libris medicis paſſim obviarum docere queat ſufficienter, non eâdem omnes circumſpectione, ἀκριβείᾳ, plenitudine, ac ſoliditate eas exhibere. Sunt tamen & ex veteribus, & ex modernorum numero, qui accuratè, ſolidèque eo in negotio verſati ſint; exempla clariſſima dabunt ſcripta Mortoni, Baglivii, Stahlii, Pechlini, Wedelii, Valiſnieri &c.

Obſervationum verò Theoretico-Practicarum exempla ſubminiſtrare diſcentibus poterunt Obſervationes Luculentæ, peculiari diſſertatione ſub Præſid. Excell. D. Stahlii exhibitæ, quas non immeritò commendamus diſcentibus, ut eadem methodo circumſpectè utantur, in formandis commodo ſuo obſervationibus, ſeu regulis artis, quas ſibi ex phænomenis non ſine cura attendendis, conferendisque mente efformant, ne talia ſibi forment præcepta practica, quæ cum axiomatum ipſi certitudinem præ ſe ferre videantur, errores potius, & præjudicatas opiniones contineant, ægris funeſtas, aut ſaltem minus utiles ac proficuas.

Obſervatio prima ibi exhibita: Quod Medicinæ ſubjectum, & præcipuum objectum ſit humanum corpus vivum, poſſet quibusdam videri inutilis, cum nemo neget, viva corpora curare medicum, non mortua; ſed axioma hoc non vult, ſed conatum eorum reſpicit, qui vix quidquam aliud agunt, quam ut de materiali habitu corporis ſimpliciter diſceptent atque

que commententur; cum motuum vitalium major habenda eſſet ratio, quos ars auxiliis ſuis ſublevare, & in libertatem aſſerere debeat.

Hinc & veteres ſolicitè diſtinxerunt inter temperamentum corporis humani ut ſimpliciter materiati atque mixti, & VIVI; utut obſtaculum eos præcipuum impediverit, quò minus iſta clarius potuerint concipere, quod & omnes alios eorum conatus ſufflaminavit in inquirenda veritate, nondum ſcilicet detecta ſanguinis circulatio, humorumque ſecretionis ratio ac modus genuinus.

Agnoſces ſic neceſſitatem ſummam jungendi cum materialis habitûs Machinæ humanæ ac mixtionis conſideratione motuum vitalium mirabiles connexiones, ita ut nec materiæ tam mirabiliter ex heterogeneis adeò partibus mixtæ conſideratio ſola, nec motuum vitalium ac ſecretionum connexio aç ſucceſſus ſolus attendi à Medico debeat, ſed utriusque combinatio ſolicita ſit ineitabilis; ſuccis nunquam extra ſuam progreſſionem ac circumpulſionem per corporis vaſcula conſideratis, iſtaque humorum vitali ac perpetua filtratione ſemper ad κρᾶσιν mixtionemque humorum debitam accommodanda, qua in harmonia ac juſto conſortio vita ſanitasque conſiſtit.

Altera obſervatio ejuſdem diſſertationis eadem circumſpectione poſita eſt: Quod vita formaliter ſit conſervatio corporis animalis in hac mixtione, ne promptas & prævalidas corruptiones actu ſubeat & incurrat, ad quas tamen non ſolùm toto ſuo materiali habitu planè diſpoſitum & proclive ſit, ſed etiam tale eſſe, & perpetuò manere omni modo debeat.

Hoc enim axiomate reſpicitur & ad motus vitales à corruptione præſervantes, & ad humorum diſpoſitionem facilimè corruptibilem, quæ omninò requiritur in corpore ex tot heterogeneis tam mirabiliter conſtante ac contexto; partes enim ſolidæ æquè ac fluidæ ad corruptionem ſunt pronæ, cum prio-

res ex posterioribus formentur ac constent, fluidaque maximam corporis molem forment, cum omnes ejus tubulos occupent ac repleant.

Ipsa verò hæc promta corruptibilitas ad hunc corporis statum præsentem absolutè necessaria est, nec sine ea vigor ejus posset obtineri, quicquid enim reparatur restituiturque in locum partium per excretiones deperditarum æquè corruptibile est, ac transit in sanguinem tam facilè ad putredinem declinantem ob mixtionem ejus summè heterogeneis partibus constantem, quarum sola commotione & attritione perpetua vitalitas conservatur.

Non minus certò formatam observationem tertiam agnosces: vitam hanc corporis præstari eidem instrumentaliter perpetuo successu distractionum & denique planè ejectionum è toto corpore; si perpendas, vitam ab anima pendere quidem, ac à circulo sanguinis conservari, hujus verò principalem effectum, fructumque esse eliminationem eorum quæ poterant corpori graves inferre noxas si retinerentur; has adeoque ejectiones, distractionum dictarum sequelas utilissimas, vitam maximè conservare, illiusque conservationis instrumentum esse utilissimum.

Quarta observatio illius Diss. novum discentibus exemplum præbet, formandi omni circumspectione præcepti medici, seu axiomatis, dum dicitur: Homines universim æstimando atque computando, raris numero, atque paucis specie morbis affici. Utut enim homo à nativitate morbus dicatur communiter, id potius respicit tendentiam illam materialem corporis ejus ad corruptionem quæ tamen à vitali ac progressivo motu impeditur multa cum efficacia, donec prævaleant causæ vel internæ vel externæ. Ac mirum sanè est non pluribus ac frequentioribus morbis obnoxios esse homines in ista humorum propensione ad putredinem summaque canaliculo-

rum tam mirè intortorum anguſtia, ac teneritudine, atque inenarrabili noxiarum occaſionum varietate.

Sequens obſervatio eò curioſior eſt, quò magis videri queat paradoxa, quod nempe homini illa ſpecies morbi rariſſimè omnium evenire ſoleat, ad quam ſimpliciſſimè, & quam maximè directè, materialis habitus & conſtitutio corporis magis immediatè propendet, quæ nihil aliud eſt, quam corruptio liberè & ſimpliciter putrida, in ſolideſcentibus corporis partibus ſphaceli nomine notari ſueta.

Utut enim corruptio totalis frequentior ſit obvia in fluidis, exemplo frequentiſſimo ſuppurationis in abſceſſibus, ibique etiam ſolidi portio in tabum abeat, tamen ibi ſphacelus non eſt, ſed hic rariſſimè omninò occurrit, ac rarius, quam quidem videretur requirere humorum propenſio ad corruptionem, & facilitas obſtructionum formandarum in tubulis partium anguſtiſſimis.

Adeò ut vix opus ſit recurrere ad computationem vitæ bis mille hominum, quorum quivis vivat annos quinquaginta ſine ſphacelo, ut monſtretur ſphacelum centies mille annis vix ſemel evenire, cum etiam alii morbi quotidiani ſic rariſſimè evenire oſtendi poſſint pari concludendi artificio.

Sexta obſervatio notat: Hominem, nec facilius, nec proinde ſæpius æquilibrium ſanitatis maximè ſinceræ temerare & inclinare, quam abundantiâ ſanguinis; cum improvidè ſatis confundat appetitum ſtomachi & palati, & proportionem motus & quietis ad proportionem edacitatis & ingluviei negligat.

Hanc quidem abundantiam & copiam ſuccorum juſto majorem multi auſi ſunt negare à multis retrò luſtris, ſed res ipſa loquitur, poteratque omninò hic ſupponi frequentia illius abundantiæ, ex ipſa frequentia exceſſuum in edacitate atque ingeſtione alimentorum, cum enim res aliquæ negantur

contra

contra ipſam quaſi ſenſuum fidem, licet uti hac methodo, ac ſupponere quod videri poſſet demonſtratione indigere.

Magni verò momenti alia obſervatio ſeptimo loco ex priori iſta deducitur: Quod abundantia ſanguinis ſeu quantitas excedens, etiam ſimpliciſſimo ſucceſſu, qualitatem ejus ita alterare valeat, ut tam generali, quam ſpeciali vitali conſervatorio motui plus ſolito negotii faceſſat; unde ultrò fluunt impedimenta ſecretionum & excretionum neceſſariarum, turbatio mixturæ in ſanguine, cohæſio ejus particularum, aliarum prædominium, infarctus vaſculorum, & quicquid vitii à fœcunda hac matre, abundantia pravorum ſuçcorum originem trahere ſolet.

Elegans eſt octava obſervatio: Quod homines quam maximè ipſo oculorum judicio ſani, nempe florido habitu & colore conſpicui, ab illo ſuo veluti faſtigio ſanitatis in detrimenta valetudinis inclinent; notante jam Hippocrate, athleticum, ſaginatum atque plenum corporis habitum non diu in eodem vigore conſiſtere poſſe; vulgoque aſſerente, conſpicuos hujusmodi plenitudine in morbos propendere graviores.

Quod & in valetudinariis obſervavimus frequenter, eos nunquam propiores fuiſſe novis acceſſibus ſymptomatum ac moleſtiis, quàm tum, cum ſibi viderentur quàm optimè habere, viribusque valere, ac aliqua corporis tenuioris incrementa ab aliquo tempore percepiſſe; materia enim (ut recte ibi dicitur) ſummè corruptibilis diſpoſitionis, ſi ipſa quantitate exſuperante præſidium ſuum conſervatorium, motum liberum depuratorium perdat, velut ſab uno extremo ad alterum ruit, dum corruptio ejus à ſemper profundiſſima potentia in actum deducitur. Ubi & fundamentum

ſuum habet axioma tritiſſimum Medicorum : Corpora impura quò magis nutriveris eò magis læſeris , turgent enim tum vaſcula ſucco , motus vitales illis ſubigendis ob fibrarum tonum inſufficientem non ſunt pares , hinc corruptiones , ſtaſes , aggeſtiones , infarctus , & mala innumera.

Multa quoque experientia nititur nova obſervatio illius Diſſ. Quod cum tota conſervatio vitæ & ſanitatis motibus ad ſecretiones & excretiones terminandis unicè peragatur , quando impedimenta aliqua ſubnaſcuntur etiam hi motus præſidiarii neceſſariò ſecundum augeſcens periculum augendi quoque atque intendendi veniant. Nec dubites hanc rem prudentiorem æſtimationem in multis magni momenti caſibus efflagitare , ut de iſtiusmodi motibus ac conatibus rectè judices , nec eos , cum utiles , imò ſæpe abſolute neceſſarii ſunt , cum rerum harum minus peritis pro tumultibus , atque meris turbis habeas , à morbo unicè pendentibus , adverſus quem potius tum inſtituuntur , nec viciſſim turbas morbo verè adſcribendas , pro naturæ habeas conatu ſalutari.

Attentionem quoque tuam meretur obſ. decima : Quodiu corpore humano pro vitali ejus conſervatione , & avertenda ejus corruptione , nullum præſtò ſit penu variarum materiarum , quæ materiis corruptionem ſubeuntibus materiali atque corporali contactu aut actu ſatisfacere , eaque ſimpliciter invertere poſſint , decantato phyſico-mechanico effectu ; Sed totum negotium hoc abſolvatur nuda formali efficacia , & organico motus regimine atque moderamine. Ut nempe materiæ vel noxiæ , vel jam obnoxiæ , non tam in integrum reſtituantur , quam quantocyus fieri poteſt , dimoveantur , diſtrahantur , & tandem penitus è toto corpore emoveantur atque ejiciantur.

Ubi

Ubi quidem aptiſſimè dicitur, dimoveri, ac diſtrahi materias noxias; hæc enim aſſidua dimotione ac diſtractione ſeu divulſione particularum ſæpe reſtituitur ſanguini ſua mixtio, quæ jam fuerat turbata, attenuantur humores viſcidiuſculi, excitantur torpidi atque ad priſtinas circulandi leges diſponuntur, ſecedente ſimul per emunctoria ea portione, quæ vel reduci in meliorem ſtatum non poteſt, vel ſuperflua, aut moleſta fuerit.

Undecimum locum occupat, quæ illuſtriſſima ſuo merito dicitur αὐτοκρατεία naturæ. Quam Hippocrates cum anteceſſoribus ſuis innuit, cum naturam morborum medicatricem dicit. Cum omnes morbos ſæpiſſimè natura ſcitè oppugnet, vel feliciter quoque expugnet, & immanem ægrorum numerum ita in ſanitatem vindicatum eſſe atque indies vindicari obſervare liceat.

Et hoc per methodum antecedente axiomate declaratam, ſolos motus depulſorios, & tandem expulſorios corrumpentium atque corruptarum materiarum, reparationem verò amiſſarum. Quæ illuſtris obſervatio fulgidam lucem rectè præferre dicitur artificiali medicinæ, quomodo hæc ipſa hac naturæ energia uti, frui, eique ſocias manus & ſuppetias jungere, non magis poſſit, quam paſſim debeat, ut tanto ſecurius atque certius, quod ſæpe ſine artis ſubſidiis ad felicem effectum pertingit, his liberaliter ſociatis, tanto auſpicatius abſolvatur; ut ſcilicet nihil invita tentemus natura, neque eam cogamus, ſed quo ipſa inclinat ducamus, vel hanc ipſi, quæ eam deceat, inclinationem ſuaviter procuremus atque circumſpectè imprimamus.

Obſervatio duodecima prudenter monet, reparationem partium per corruptiones qualescunque ſublatarum, aut

neceſſaria jactura pro ejicienda ſimul corruptione amiſſarum ſolam naturam ultimò & formaliter abſolvere poſſe ac debere, nec quicquam poſſe ullam artem humanam hoc in genere, quàm ut poſitivè è longinquo aliquid ſuppeditet, privativè verò è propinquo impedimenta tantum removeat, atque arceat, adeòque utroque modò non niſi admodum remotè occurrere potius, quam ſuccurrere, aut concurrere. Quo ipſo non tam excluduntur, quàm includuntur, monita medica ac directiones circa id negotium, remedia novos ſuccos genitos vel gignendos à priorum labe præſervantia, tonica, fibras viſcerum firmantia, acidum emendantia vel præcaventia ejus dominium &c.

Non attendi minus meretur obſervatio decima tertia; Quod nullus ſit affectus, qui ita univerſaliter omnium hominum (infantibus exceptis) conſtitutionibus ac conditionibus magis æqualiter impendeat atque immineat, quam ſanguinis depletoria evacuatio ſeu hæmorrhagia in genere: Quia, ſicut prima exquiſitæ ſanitatis inclinatio in abundantia ſanguinis ſeſe manifeſtat, ita nullus etiam certior ſit evidentioris talis abundantiæ effectus aut eventus, quam evacuatio depletoria ſincera, ſive hæmorrhagia.

Uti verò hæc evidentia ſunt, ita pro ſimilibus obſervationibus formandis ac deducendis haud inutile fuerit, ſi conferas quoque omnibus ætatibus communem ac frequentem Coryzam ſeu congeſtionem ſeri in glandulis, maximè faucium, & ſudores ſive evacuationem largiorem per cutis oſcula, ac alvi ſolutiones liberiores, urinæque largiores effuſiones, minus ordinariè attendi ſolitas. Utut nec hi, neç alii ſimiles affectus æqualiter omnibus ſint communes; multis, imò plurimis à regula exceptis. Nec infantili ætate ſemper excepta in niſibus ſanguinis depletoriis.

Fluit

Fluit ex priore ſequens obſervatio, quæ dicit : ſi autem neque pertendat neque pertingat abundantia talis ad juſtam hujusmodi ventilationem, ſed otioſa magis, atque ſegni vitæ ratione non ſolum foveatur, ſed etiam illas qualitatis corruptelas nanciſcatur, quas ſupra jam luci expoſuimus, præbet hoc obſ. XIV, quod etiam illæ qualitatis depravationes, non minus omnis ordinis & ætatis hominibus communi quidem, in genere, ratione immineant atque competant. Ac vides eo ipſo, quantum tibi operæ relinquatur in pluribus, ac ſpecialioribus obſervationibus inde porrò derivandis, ad oſtendendam in ſpeciali quovis caſu depravatæ qualitatis originem ac modum, ubi illa abundantiæ debeatur humorum, ubi motibus depravatis, ubi primarum viarum vitio ac cruditatibus, ubi denique intrinſecæ humorum deſciſcentiæ, ac ſeceſſui particularum à ſe invicem ſub turbatione mixturæ ex variis cauſis.

Ex hoc ipſo autem, quod modò dicta ſimplicior qualitatis ſanguinis mutatio C quantitatis excedentis promptior pediſſequa dicta) major ſpiſſitudo, depletoriæ evacuationis facilitati, imò tandem facultati, luculentum impedimentum objiciat, fluit diſſertationis, quam laudamus, obſervatio decimaquinta : Quod libratus inter contentionem ad exitum, & ipſum exitum hæmorrhagicum ſanguis, ſimplici effectu utique, ſtagnationem, ſtagnatio meatuum diſtenſionem, hæc ſenſibilium partium tenſionem, quin tenſorios reniſus : Imò vel impetuoſior vel pertinacior ſtagnatio tenuiorum portionum altiores diffuſiones, ſpiſſiorum infarctus, ſtaſes, coagulationes, corruptiones, inducere poſſit, & luculenta obſervatione teſte etiam paſſim ſoleat.

Vides autem & hîc ingentem tibi aperiri campum novarum obſervationum ulterius deducendarum; quousque ſcili-

ſcilicet neceſſe ſit ut quantitatis vitium præcedat vitium qualitatis ; quibus in caſibus ſanguis etiam non abundantior poſſit ſpiſſeſcere ; an ſtagnationes etiam fieri poſſint ſine contentione præcedente ſanguinis ad exitum ; quî ad eas conferre poſſint ſtricturæ ſpaſmodicæ ? quid contribuant pungentia ſalium ſpicula ? quid moleculæ glutinoſiores in ſanguine ex variis circa res non naturales vitiis coacervatæ &c.

Decimo ſexto loco allegat obſervationem vulgo hominum magis, quam modernæ, ut loquitur Diſſ. Scholæ Medicæ luculentam. Nempe quod hæmorrhagia in genere diſtrahatur in ſpecies, ſecundum certa corporis loca, imprimis per certas ætatum periodos. Ut puerili & adoleſcenti ætati per nares, adultæ juvenili per pectus, virili per hæmorrhoides, ſenili per mictum cruentum exitum quærat. Sicuti ſexui fœminino per uterum & ejus ambitum, magis ἀνομαλῶς autem (imprimis huic, longè rarius autem virili ſexui) per vomitum cruentum, exitum affectet. Non fefelliſſe hanc rem antiquiſſimos Medicos ipſumque Hippocratem monetur.

Quo quidem in negotio cautè iterum tibi procedendum erit in deducendis inde ulterius obſervationibus, circa mictus cruentos puerorum, ſputa cruenta virorum ac ſenum, hæmorrhagiam narium omnium ætatum, circa hæmorrhoides fœminarum, hæmorrhoides veſicæ, vomitus cruentos virorum quorundam, imò & adoleſcentum, largiſſimos ; ſputa cruenta utriusque ſexus ; aliasque in hæmorrhagico negotio anomalias, circa quas difficile fuerit ſatis eſſe circumſpectum.

Quam in rem etiam facit Obſ. decima ſexta, quæ cum Hippocrate monet, quod ætatibus his diverſis certi quoque alii morbi, ita diverſimodè, ut quaſi ſingulis (certè intuitu ad minimum familiaris frequentiæ) proprii, evenire ſoleant circa eadem illa loca, & eorum complexum atque propiora confinia, per quæ ipſis ſanguinis eruptio ſi facilem ſucceſſum inveniat obtin-

obtingere ſolet ; Deprehendes omninò tales obſervationes multa utilitate non deſtitui, modò non præjudicia inde tibi ac impedimenta formes in dijudicandis liberè, qui occurrunt affectibus, ſed cogites, hæc familiarius evenire, nec excludere alia ſymptomata, aliunde etiam ſubinde orta, ac deducenda omni jure.

Decimum ſeptimum in præfat. diſſert. locum occupat Obſ. ſequens: Quod ſpecificatio, quæ hos affectus ſecundum ætates diverſos reddit, magis innitatur diverſitati locorum, nempe partium, quas occupant, quam eſſentiali differentiæ indolis illorum magis in ſe ſpectatæ, ratione cujus inter ſe conveniunt, ut ſtagnatorii, diſtenſorii, ſenſibiliter tenſorii, ſpaſtici renitentis, è ſtagnatione diffuſorii, & denique per ſtaſes corruptorii ſint ingenii atque genii; ſua autem habeant initia à redundantia humorum circa hæc loca exitum molientium, ſed non impetrantium; quæ quidem lucem affundant pathologiæ talium affectuum veriori ac ſolidiori. Quæ omnia multam merentur attentionem, ſed & innumeras alias ſpeciales ſuppeditant obſervationes, ſi maximè conferre libeat aphoriſmos illos ultimos ſectionis tertiæ, eorumque exempla ac affectus ætatibus aſſignatos conferre cum experientia quotidiana, quæ eorum non pauca confirmabit, alia non æquè ætatibus adſtricta ſatis commonſtrabit, quare nec præcipitanter ex paucis obſervationibus formandæ ſunt regulæ.

Octava & decima obſervatio reſpicit ſexum fœmininum, cui naturales ſunt exonerationes ſanguinis, ſi ſanitate frui debeat integra, notat hinc, quod, quando evacuationes hæ detrimentum inſigne incurrant, tunc non ſolum in genere, notabili proportione ſanitatis damna incurrant fœminæ, ſed & propriè, & eminenter ipſis talibus morbis, quales hæmorrhagiæ in genere juſto & æquo eventu ſperan-

rando, ſed ad exitum non æque perveniente, pullulare & ſubnaſci proximis obſervationibus fuit aſſertum. Miraturque non immeritò, rem illam ab omnibus non attendi, cum omnibus non poſſit non eſſe obvia ac manifeſta.

Et hic quidem nova ſe offert obſervationum ſpecialium ſeges circa affectuum ex menſium vel irregularitate vel ſuppreſſione ortorum varietatem, in ſanguinis non modò circa uterum aggeſtione, ſed & ad alias partes raptu, aut potius ſtaſi in illis, interveniente ſtrictura fibrarum ſpaſmodica, cui in iſtiuſmodi affectibus primas ferè deferendas eſſe evidens eſt; prout ſcilicet fœmina largiori fluxui aſſueta, aut abundantiori ſanguine dotata eſt; ac prout emanſio menſium magis ſtatum ſpaſmodicum, aut & ſimpliciter paſſim in corpore aggeſtorium variis junctum metaſtaſibus, aut ſaltem chloroticum, ſanguine magis vappeſcente, ac ad visciditatem inclinante, aut ſeri prædominium ſine violentis ſymptomatibus ex utero aliâs excitatis; ac tandem circa defectum ſanguinis vigore deſtituti in ſuppreſſionibus iſtiuſmodi, quæ accidunt debilibus ex morbo, ubi menſes emmenagogis ciendi non ſunt, ac fruſtra urgetur fluxus, deficiente & vigore & copia ſanguinis. Ac certè, ſi ullibi, hic omninò medicus circumſpectus eſſe debet, atque ad omnia ſtrictè attendere; cum nulli affectus ſint magis abſconditi quàm qui ex utero oriuntur.

Obſervatio decima nona ſupponens febres eſſe ægritudines frequentiſſimas, in quibus manifeſtiſſimi ſint effectus ſalutares motuum vitalium per ſecretiones maturas, ordinatas, ac proportionatas aliena emoventium, ut propria ſua bona illibata atque liberata corpori remaneant, colligit, quod febres in ſe & ſecundum veram & ſinceram ſuam indolem ſpectatæ (nempe accidentalibus gravioribus impedimentis non prægravatæ) ſint talis appara-

tus

tus motuum vitalium auctiorum, qui reverâ ſalutariter, materiis morbidis, propiore efficacia conſervationi vitali corporis periculoſis, & phyſico-mechanica aptitudine quadret, & finaliter ad hunc ſcopum deſtinetur, ſuſcipiatur atque dirigatur.

Habent & hîc, in quo ſe exerceant diſcentes, ſi ſapere magis ex ipſa ægrorum ac morborum aſſidua contemplatione velint quàm ex variis promiſcuè libris, mira de febribus paſſim ac minus ſæpe congrua docentibus. Id quidem in aprico eſt, dari febres ex eventu quaſi ſalutares, & poſt quas ſani ac vegeti magis videantur ii, qui illis laboraverant; tertianas exquiſitas, & ſubinde etiam varias alias febres ultrò ſæpe ceſſare; antequam verò generalia formes axiomata, generalis febrium indoles non perſpecta ſolùm debet eſſe, ſed & ſpecialior earundem ratio, vi cujus diverſiſſimos febrium genios, origines, decurſus, typos, aliasque circumſtantias notabis. Nec quidquam forſan obſtiterit, quò minus motiones ac niſus, ſalutari primum ſcopo dicati, deſinant dein, vel aucta mixtionis turbatione evaleſcant in ſymptomata graviora, ipſique vitæ inſidias ſtruentia.

Fluere ex hoc dicitur vigeſima obſervatio: quod complexus omnium illorum phænomenorum (quæ vulgò ſymptomata morbi vocant) quæ in ſenſus incurrentia, uti pro febre, nec ſic malè, habentur, ita tamen pro morbo aut reſpectu corporis paſſivis ſymptomatibus, nempe à morbo directè pendentibus, ſanitati, imò vitæ periculoſis, effectibus, penitus iniquè habeantur, aut declarentur. Sed unicè materia illa, propter quam hi motus auctiores ſuſcipiuntur, & ſive gliſcentes atque ingruentes, ſive pullulantes, ejuſdem effectus, verè ſint ipſe morbus; quibus ipſis occupandis, & præfocandis, motus illi febriles efficaciter inſer-

viant ; adeoque non ab illa materia pendeant , ſed actu contra illam ſtent , valeant , atque fiant.

Ac certum omninò eſt, ſymptomata febrim comitantia non poſſe ita abſolutè pro paſſivis merè reſpectu corporis haberi , cum omninò activè concurrant & febrillæ paſſim irritatæ , atque ſe variè ſtringentes , & reliquæ quoque partes ; neque tamen id impedire deprehendes attentiore rei perquiſitione , quò minus vitæ æquè ac ſanitati ea ſymptomata inſidias ſtruant , ſi intenſiora atque urgentiora majori vi mali fiant. Cæterum an materia illa , quam alii fomitem febris dicunt , morbus an cauſa morbi dicenda ſit , diſquiſitione ulteriori ventilabis , modò non ad logomachias delabaris ; id attentiorem merebitur penſitationem , an ſymptomata illa omnia ita contra febrim fiant atque ſtent , ut ab illa materia febrili pendere nulla ratione queant ; annon etiam motiones ac niſus verè ſymptomatici , atque à materia vitioſa excitati poſſint dirigi , ac concurrere ad motiones inde oriundas ſalutares , ac ſubinde criticas , ut quod in origine ſua erat malum , fiat dein in progreſſu proficuum , uti ex adverſo haud rarò exitioſum evadit , quod in principio videbatur ſalutiferum , ac meretur quoque id attendi , an tutum ſit atque utile in genere hîc quidquam tale pronunciare de febribus , quorum varietas eſt ratione circumſtantiarum , typorum , ac morum inenarrabilis ? Obſervatio vigeſima prima eodem reſpiciens deducitur ex Hippocratis effato : Cynanehen , peripneumoniam , pleuritidem & his ſimiles non febres , ſed morbos acutos fuiſſe dictos , quorum febres ut plurimum hominem occidant. Cum autem hi morbi ſint profundiores internarum partium inflammationes , iniquum habetur , ſi quis æger iis moriatur, decernere , quod non tam ipſo tali morbo , inflammatione ſcil. viſceris graviore , ſive

ſpha-

ſphaceloſa qua tali, vel potuerit interire, vel actu interierit: ſed potius febre talibus morbis accedente; cum febris potius, mortis aliunde hujuſmodi viſcerum inflammationibus ſuperinducta, potius bona intentione, licet non æquè felicis effectus compos fiat, concitata ſit; cum tollatur inflammatio, ſi ſanguis in ſtaſin prolapſus diſſolvatur, ac distrahatur, ac pars ab illo obſeſſa liberetur, hoc autem viribus naturæ propriis aliter fieri ſolet, niſi auctiore motu locali ſanguinis, qui ipſa ſit febris continua, neceſſariò hinc ſequi, quod morbis acutis, nempe viſcerum inflammationibus concurrens febris continua, nulla phyſica, (cum inflammatio, imò mortifera corruptio ſphaceloſa utique eſſe poſſit ſine febre ſtrictè dicta) ſed finali ratione, imò propter hunc finem, abſoluta neceſſitate fieri debeat atque fiat; & quando æger moritur, ſic adfectus, ille non tam febre quàm inflammatione illa inſuperabili periiſſe judicandus ſit.

Hîc habet abundè, quod agat is, qui formare ſibi tales obſervationes cum fundamento, ſpecialesque hinc deducere voluerit; iniquum omninò foret febri adſcribere, quod accidit culpa inflammationis. Merentur tamen hîc circumſtantiæ omnes maturam penſitationem, an in caſu ſpeciali inflammatio præceſſerit, an verò ſub morbi demum decurſu ſupervenerit febri in principio exardeſcenti more ſimplicis febris continuæ, qui tamen caſus ad hos inflammatorios acutos affectus non ſpectaret, ſed ab iis probè eſſet diſtinguendus, uti v. g. fieri poteſt in dyſenteria, cui ab initio etiam febris maligna poteſt jungi, & in fine demum ſupervenire inflammatio, ubi tamen inflammatio mortem omninò producet, etſi ultimò ſupervenerit; ſi autem alii febri malignæ interna demum in ſtatu inflammatio ſuperveniat, penſitandæ accuratius erunt circumſtantiæ obſerva-

tione ſecunda iniquisſimi vocantur arbitri, qui febri veri morbi culpam ex eo imponere annituntur, quod non ſolum febricitantes pasſim moriantur, ſed quod etiam, niſi violentis caſibus repentinis, vix quiſquam homo moriatur, quin plus minus evidens febrilis commotio unà concurrat. Conſiliarium enim non teneri de eventu, nec vituperio, ſed laude dignum eſſe, qui quantum uſquam potuit, calamitati reniſus ſit, etſi tandem ſuccumbat. Cum hac ratione etiam Medicis mortis cauſa poſſet imputari, qui ſæpe mortem ægri haud poſſint impedire. Debere proin tales à ſcholis diſcere diſtinctionem inter cauſam per ſe, & poſitivam, & per accidens & privativam atque defectivam, ita inventuros tam ſibi, quàm febri tutelam, quando non poſitivè, ſed defectivè cauſa mortis ſunt, quatenus bonos conatus poteſtas effectus deſtituit, & potentioris morbi vi ſuccumbit.

Hîc ulteriorem diſquirendi habes materiam, an febris dici morbus queat, & an aliqua ſaltem ejus ſpecies, quarum tanta varietas eſt, triſti hoc nomine poſſit denotari, uti quidem in febribus malignis contagioſis ea animo tuo obſervabuntur, quæ ex morborum eas cenſu eximere haud æquè videbuntur permittere. Licet non ſequeretur, omnes ferè ægros cum febre mori, ac proin ex febre mori eosdem. Erit & attentione tua digna collatio febris & Medici, an par utrinque ratio ſit; exiſtimabunt enim aliqui, grande hoc modo malum fore Medicos. Requires ad minimum majorem in Medico circumſpectionem ac prudentiam quàm febri auſis tribuere, niſi cogites eam excitari à natura, ab anima; hîc novæ meditationes enaſcentur, an anima tam gnara ſit rerum corporis ſui, illique tam providè, tam ſollicitè poſſit proſpicere ac præcavere imminentia, ac latentia in ſinu maſſæ ſanguineæ mala, quæ quidem res attentione

tione tua ac diſcuſſione digniſſima erit. Conſiliarius non tenetur de eventu; ſi ſcil. rectè, quantum penes ipſum fuit, conſuluit; an ergo febris conſiliarii privilegia ſibi hîc jure ullo arrogaverit, diſpice; nec rarum vel infrequens fuerit, perverti à Conſiliario magis res & corrumpi, quàm reſtitui ac conſervari; hinc malum conſilium conſultori peſſimum dicitur; ſed nec iſta nimis extendenda, etiam in Medico foro.

Obſervatio vigeſima tertia eidem ſerviens ſcopo notat: Quod graviſſimis febribus, contagioſis imprimis, paſſim immenſum quantum major hominum numerus ſalutariter perfungatur, & ab illis ad ſanitatem reſtituatur, quàm artis manifeſto atque directo auxilio. Diciturque id ſua luce radiare exemplo variolarum ac morbillorum, quibus integræ hominum myriades, ſola continentia & tranquilla quiete ſalutariter perfunguntur; adeò ut moraliter certi ſimus, facilius centum, uno forte moriente, numerari poſſe ſine artificio eluctantes, quàm quilibet Medicus directo & vero artificio (alia ratione exquiſita, quam iſti convaluerunt) decem, propemodum dixiſſet duos, producere poſſit, quin unus ex illis deſideretur; quæ & de peſte monentur, ex qua multi ſine artificio evadunt. Sicut etiam in aliis febribus, v. g. veris bilioſis, paſſim vel ſine, vel præter, imò non rariſſimè contra artis intentiones atque opem, facta tandem eliſione bilioſi fomitis, homines ad ſanitatem revertantut.

Memorabilis valdè etiam hæc obſervatio eſt, multarumque aliarum eò ſpectantium obſervationum fœcunda fieri poterit mater, modò attentius quædam penſitaveris; ſcilicet etiam eorum plurimos tam facilè defungi his exanthematibus ſeu morbis allegatis, qui nec continentia illa, nec quiete tranquilla utantur, ſed liberè diſcurrant; eſſe variolarum

larum æquè ac morbillorum plurimas, easque insignes, vario tempore, loco, ac grassandi modo differentias; ratione moris gradus dari plurimos malignitatis in his morbis, cum plurimi eorum planè benigni sint; in multis nec ars, nec natura quidquam valuerit, in multis aliis utrique vires suppetent sufficientes ad eos morbos debellandos; respiciendum quoque ad specialem atque individualem subjecti vigorem, temperiem, regimen &c. Nec desunt exempla talium contagiorum, ubi plurima infantum strages est, & eorum maximè, qui nullis utuntur remediis, quamvis & sæpe prava, & inepta, imò noxia remedia adhibeantur, nec regimen melius, dum disputant, an calidum regimen conveniat an frigidum? Cæterum inquirendum quoque, restat, quid valeat natura in curandis morbis quoque aliis, in diarrhæis, dysenteriis, ictero, cachexia, chlorotide, imò hydrope, & plurimis aliis, quos pro morbis nemo non habuerit? quorum forsan agmina haud minora sine arte curata occurrent. Attendi verò ex multis capitibus hæc observatio meretur.

Ad vigesimam quartam observationem manuduxit eadem hæc: Nempe, quod ars medica, summa utilitate, hujusmodi spontaneam energiam naturæ, vel animadvertere, & consiliis regere, vel synergia sua sublevare, & cum ipsa prudenter & fideliter conspirare debent; nisi quidem contra honestatis rigidiorem normam impingere velit, ad minimum inscitiæ notam incurrendo, æquivoca curatione. Nempe simpliciter directè arti suæ imputando atque vindicando, quando æger ex aliquo tali morbo salutariter evadit, quando verò eodem alii moriuntur, simpliciter naturam incusando. Quæ certè (pergit Observ.) sive imprudentia, sive aliquando calliditas, non jam amplius ita dissimulari potest, quin vel rusticis suboleat, alibi latere errorem.

rorem. Interim agnoſcit prudentiſſimus ille obſervator, hanc obſervationem, quantumvis luculentam, poſtulare tamen oculos etiam nulla obſcuritate laborantes, ad rectè pervidendum, in hypotheſi, & per ſpecies, quod in theſi & in genere ſatis videt verum, certum atque rectum eſſe. Monetque Medicos, ut obſervent ſedulò, in quibusnam morbis, & qua cumprimis ratione natura morbis medeatur, ne arti adſcribatur, quod ipſius naturæ efficaciâ perfectum ſit, &c.

Atque omnino ita eſt, multum adhuc obſcuritatis hoc in negotio deprehendimus, neque adeò aperta eſt methodus, qua utitur natura, quibus moderaminibus ſalutaribus, quibus directionibus atque intentionibus, motuum vitalium ſecretoriorum & excretoriorum ſibi conſulere nitatur. Ac difficile fuerit hîc & nunc decidere, quid naturæ, quid arti adſcribendum, ut neutri fiat injuria. Cum enim nunquam non, quotiescunque remedia adhibentur, concurrant in ſanatione perficienda ars & natura, fieri vix poterit, ut ſuas cuivis partes præcisè valeas aſſignare. Nec facilè prudens Medicus omnia ſibi ſuæque arti tribuet, ſciens miniſtrum ſe eſſe naturæ, atque ad ejus ſe componere nutus. Nec jactantia quorundam artem profanantium promiſcuè medicis imputabitur. Medicus ſincerè ſuccurrens Naturæ laboranti ſynergiæ ſuæ non eſt immemor, quodque cum natura conſpirare prudenter & fideliter debeat, ultrò agnoſcit, nec poſtea ſolicitus eſt, arsne, an natura curam abſolverit, modò ægrotis opem ferre liceat, qui ex charitate potius ſua agit, quàm gloriæ inanis cupiditate, & ſic nulla ipſi curatio erit æquivoca, modò morbum videat ſubjugatum, non magiſterium ſibi tribuens, ſed miniſterium in gravi iſto ſanitatis reſtituendæ negotio. Ac neceſſariam utplurimum eſſe naturæ ſynergiam Medici,

vel ex eo quis colligat, quod adeò ignari ſint plerique ægri rerum ſuarum, ſuæ diſpoſitionis, temperamenti, idioſyncraſiæ, ut monitore omninò indigeant, ſi naturam turbare, imò penitus peſſundare non debeant.

Pertinet quoque eò obſervatio vigeſima quinta: Quod magnus numerus imprimis poſteriorum temporum hiſtoriarum medicarum, clinicarum, inſignem illum uſum, quem alias aſſequerentur pro veritate luculenter ſtabilienda, propterea non adſequatur, quia omiſſæ circumſtantiæ circa habitum corporis, vitæ genus, reliquum morbi progreſſum, & quomodo ſub eo ſe geſſerint, & quibus methodis aut remediis tractati fuerint ægri. Laudaturque Lælius à Fonte, qui hiſtoriis atque conſultationibus ſuis, non dubitârit ſubjicere eventum, quem habuerint, non reticendo paſſim etiam minus proſperum; Laudatur Foreſtus, Ettmüllerus; ac meretur maximè laudari eo in genere accuratiſſimus iſtius diſputationis D. præſes.

Hæc querela juſtiſſima eſt; fatendum tamen etiam tum, cum iſta enarrantur omnia, facile eſſe fallaciam non cauſæ ut cauſæ committere, niſi admodum caveamus à præjudiciis, quæ Medico quoque foro graviſſima incumbunt, quæque ſibi quiſque format, niſi caveat omni ſedulitate atque attentione. Medico frequenter adſcribitur, quod natura præſtitit, ſed nec rarò naturæ tribuitur, aut etiam ultimo cuidam remedio, quod pendet ab aliis prius adhibitis. Modò tamen ſentiat æger opem parum interfuerit, quis primas in curatione teneat, nec Medico cum natura lis erit, cum qua operatur, cui ſuccurrere omni conatu ſuo ſtuduit, ſi verò obliquum, pravumque medicus, vel medicaſter potius ſcopum habuerit ſibi propoſitum, ille quidem culpari meretur modis omnibus.

Vige-

Vigeſimo ſexto loco obſervatur: Quod Medici ſæpiſſimè in ſolidum ſibi ſuisque remediis adſcribant, cum tamen anceps ſit hoc judicium, cum paſſim multi eodem morbo affecti, vel nullis, vel paucis, vel aliis, multumque diverſis remediis ſanati fuerint nec incertius, nec tardius, nec difficilius aut incommodius. Ubi ſana dictet ratio, tum methodo vel remedio deberi laudem, cum morbi iis certius, citius, cum majori decurſus tranquillitate, æqualitate, mitigatione ſincera & conſtante, & matura atque ſincera ſanitate ſubſequente, abſolvantur atque percurentur, quam vel ſine, vel certè ab aliis remediis. Talium autem (pergit) hiſtoriarum ſinceræ commemorationes,& non aliæ, ſcriptæ aut ſcribendæ eſſent, juſtus metus eſt, ne paſſim præla circa hoc ſubjectum non ſudarent, ſed arceſcerent.

Etiam tum, cum indubiè Medicus methodo ſua ac remediis ſuſtulit morbum, manent ſuæ partes Naturæ concurrenti, ac à medico per omnem quaſi morbi decurſum deductæ. Sunt ergò cauſæ ſociæ, operæ conjunctæ, laus ergò communis utrique. Ceterum poteſt remedium aliquod plurimis eſſe utile ac conveniens, quod alios eodem morbo decumbentes curare non valeat, ob diverſas diſpoſitiones, ac circumſtantias variantes. Poſſunt plurimi naturæ quodam robore, ſine remediis emergere ex periculo morbi; aliis tamen reverà à remedio adhibito curatis. Poſſunt aliqui his remediis curari, alii aliis, ſæpe multum diverſis; methodo prorſus alia. Magna hîc obtinet latitudo; ſed, quod fatendum, magna quoque incertitudo. Sæpiſſimè etiam laudatur methodus, laudantur remedia, tanquam ſalutaria plurimis evadentibus ex morbo, qui tamen bonitate naturæ evaſerant, remedio non rarò magis

rei adverſo, malitia tamen ejus à Natura ſuperata, vel inſufficientiam illâ ſupplente.

Obſervatio vigeſima ſeptima commendat aſſertionem medicorum in praxi numeroſa verſantium, imò eorum uſum atque morem, quod ad felicem praxin non opus ſit prolixo apparatu numeroſorum medicamentorum. Cui quidem obſervationi lubenter atque ultrò ſubſcribent, quicunque ex ordine medicorum averſantur hiſtrionica molimina, & methodos jactabundas, verbaque ſeſquipedalia nonnullis uſitata. Selecta præſtabit commendare, multoque probata uſu remedia, quàm farraginem alienorum à ſcopo coacervare; egregiè tamen monetur, pauca nonnullis in uſu eſſe remedia, quæ tamen & inepta ſint ad ſcopum, cui deſtinantur, & immodicis evecta laudibus avertant ægros à meliorum, tutiorumque uſu, quod quidem frequentiſſimum eſt.

Obſervatione XXVIII. laudatur prærogativa energiæ jam repetitò laudatæ, ipſius naturæ, præ medicamentorum efficacia. Et quis non idem ſentiat, ſi ritè rem ad mentem hujus obſervationis explices; neque enim decet rem ſimpliciter naturæ relinquere, nudumque agere ſpectatorem ac otioſum, ſed potius eam obſervare proportionem, ut è neceſſario operationis atque actuationis ipſius naturæ, cum medicamentis intuitu, perpendatur, quàm prudenter ars ſubordinando potius, quàm primores partes capeſſendo, gerere atque regere debeat ſuum negotium, ne ſocietatis leges, cum ſpontanea naturæ energia obſervandas temeret; merenturque & cætera ibi notata conferri.

Monet Obſervat. XXIX. quod admodum frequenter longè concinnius atque utilius ſatisfiat, materiarum potius

ad

ad obſequendum juſtis motibus ſpontaneis, artificioſa præparatione, quàm motuum ipſorum provocatione, aut incitatione. Etiam hæc Obſerv. attentionem omnem meretur ac laudem. Quàm ineptè enim, quàm perversè excitentur paſſim in corpore motus, vix amplius cum fructu poſtea compeſcendi, triſtis loquitur experientia. Quando juſto plus agit Medicus; ubî præſtatet longè, nihil agere, vel leniter ſaltem, nihilque movendo, agere. Feſtinatæ enim commotiones quantum noceant, dici ſatis non poteſt.

Hanc ipſam verò materiæ alterationem videbis Obſervatione XXX. diſtingui in ſtrictè dictam ſeu abſolutam, & reſpectivam, nempe ad ſubjungendas idoneas evacuationes planiorem viam ſternentem, quæ ſit ipſa illa de qua præcedente Obſerv. ſermo fuerit materiæ præparatio. Felix omninò eſt, qui utramque, hanc materiæ alterationem, ac utriuſque limites genuinos novit, ſuum cuique tribuens.

Prudentiſſimè enim Obſervatione XXXI. intra ſuos limites coercetur iſta elegans diſtinctio, moneturque alterationem non tam nudè & ſimpliciter materiis, ſed ipſis etiam motibus adhibendam eſſe; Unum eſt agendum, alterum non omittendum. Feſtinatio nunquam tuta eſt. Diſponendæ ad motus materiæ, motus ipſi moderandi, nec niſi ſumma circumſpectione inſtituendi; tempeſtiva motuum & incitatio & refrænatio omnem plerumque abſolvit paginam, vel potius curam; ſic enim nec ineptè adſtringes, nec intempeſtivè adſtricta ſolves aut concitabis quieta in motum, ſi maximè diſpoſita prius eò non fuerint.

Ultima elegantiſſimæ diſputationis Obſervatio com-

mendat ſimplicitatem præparationis medicamentorum. Et quis eam non commendet; quis non videat, vel doleat potius operoſos, quos paſſim commendari videmus, proceſſus? Egregiè hunc in ſcopum Hippocratis effatum explicatur, dicentis, Medicum debere operam dare, ut ſit Phyſicus, quod exponitur non de ſola notitia phyſicæ experimentalis, ſed potiſſimùm de notitia naturæ ejuſque conatuum ac ſimplicium agendi modorum, quos imitari, ſtudiosè conſiderare, agnoſcere, naturamque ſublevare ac ſequi deceat, quod ſine iſtis formularum inepta farragine conſtantium ambagibus rectius valeat ſimplicitate remediorum liceat obtinere.

Inſtituti autem noſtri non eſt pulcherrimæ diſſertationis capita omnia hîc recenſere, ac conſiderare, hæc ſaltem ſpeciminis loco commendare Tironibus lubuit, ut videant, quàm cautè, quàm circumſpectè, cum ventum ad praxin fuerit, ſua ſibi formare axiomata, praxeoſque ſpecialioris præcepta debeant; quàm non fidere ſuis præjudiciis, quàm acres propriarum obſervationum cenſores eſſe, ſi immunes ab erroribus manere velint, quàmque in iis eruendis deſudare ac induſtria omni ſeriò verſari debeant.

Potuiſſem in his acquieſcere; ſed operæ forſan pretium fuerit, alio adhuc alius authoris exemplo docere, quàm cavendum, vigilandumque ſit in formandis concluſionibus Medicis, maximè ad praxin tendentibus, morborumque cauſas ac curationem tangentibus, cum & ibi res dubia eſſe adhuc poſſit, ubi ipſa oculorum fide ſtabilita videri queat, cum & hîc à particulari ad univerſale legitima conſequentia vix liceat concludere.

Id

Id verò exemplum ſelegimus ex celebri ſcripto moderno, Vera chirurgia D. Ludovici Legerii de Govey, ubi ſcilicet in veram inquirit cauſam gibboſitatis, ſeu incurvationis ſpinæ dorſi, quam cyphoſin morbum pravæ conformationis ordinariò vocant, conſiſtentem in figura vitiata dorſi, ob vertebrarum ſitum verſus exteriora mutatum, & luxationem plerumque a cauſis externis violentis inductam. Et quando Hippocrates aph. 46. §. 6. affectum hunc ab aſthmate aut tuſſi fieri poſſe dixerit, hoc tamen & rarum habetur, & cauſæ vehementia nihilominus quoque reſpondere cenſetur externæ cuidam violentiæ.

Dominus de Govey autem non in has internas, externaſve cauſas æquè inquirit, quàm in propiorem quandam, de quâ tum κατ' ἄρσιν, tum κατὰ θέσιν agit, ſuamque meliorem experimento firmat. Κατ' ἄρσιν dicit: Multi moderni prætendunt cauſam gibboſitatis conſiſtere in relaxatione muſculorum vertebralium, id verò judicat eſſe abſolutè impoſſibile; Poſſe equidem relaxari eos muſculos vertebrales haud diffitetur, ſed ſpinæ incurvationem non efficere arbitratur, niſi ipſorum antagoniſtæ contrahantur, maneantque in contractione ſua immutabiliter, quod quidem efficeret ſpeciem fornicis, non verò gibbum acutiorem.

Theſin verò ſuam, obſervationi ſuperſtructam, ita format: Incurvationem ſpinæ non conſiſtere niſi in ſtructura ac ſtrictura arcta ſex muſculorum obliquorum & rectorum abdominis, qui cum non poſſint ſeſe extendere manent in prima ſua magnitudine, cum reliquæ partes dorſum formantes creſcant atque augeantur liberè à ſubeunte ſucco nutritio.

Ob-

Obſervationem elegantem, qua nititur D. Govey hunc in modum recenſet: D. Mullot me rogavit, ut aperirem corpuſculum infantis ſui modò demortui, inquireremque in cauſam mortis eximproviſo evenientis. Erat verò puella illa ætat. quatuor annorum ac ſex menſium, quæ inde ab anno ætatis ſecundo adeò facta erat gibboſa, ut ferè caput ad pedes acceſſerit; gibboſitas hæc formabat eminentiam admodùm acutam, adeò ut cum cadaver dorſo vellem imponere, tenendum id fuerit eo in ſitu à duobus miniſtris, quorum unus humeros, alter verò femora ſuſtinuit.

Facta per crucem abdominis juxta methodum conſuetam inciſione, obſtupui videns parvulum hoc cadaver extenſum jam in tabula ſine miniſterio aliorum; nec apparuit mihi vel veſtigium gibboſitatis minimum, quod in admirationem me omninò rapuit, movitque ut attentius inquirerem in cauſas gibbi, poſtquàm intentioni D. Mullot ſatisfeceram.

Inquiſitionis verò accuratioris initium feci in muſculis abdominis, quos quidem in conſueto ſuo ſitos loco deprehendi. Quatuor obliqui & duo recti erant ſtructuræ adeò compactæ ac denſæ, ut viderentur aponevroſes potius eſſe quàm muſculi; muſculi recti non diſtincti erant per inſcriptiones ſuas nervoſas, quæ in iis ordinariò deprehenduntur; pyramidales muſculos omninò non inveni, tranſverſi autem erant in ſtatu ordinario ac conſueto.

Cum progrederer in diſquiſitione mea ad ſpinam dorſi, eam quidem inveni in parte ſui anteriore rectam, removi pleuram vertebras dorſi obtegentem, ac peritonæum lumborum vertebras obvelans, ut attentius eas perluſtrarem.

Lum-

Lumbares verò vertebras in ſtatu naturali deprehendi, binæ priores dorſi vertebræ (ab inferiori parte verſus ſuperiora numerando) eodem ſe habebant modo, quinque ſequentes magis magisque diminuebantur mole ac ſpiſſitudine ſua ſolùm in anteriore corporum ſuorum parte, ita quidem ut ipſum ſeptimæ vertebræ corpus lineas duas craſſitie vix ſuperaret, tres vertebræ hanc ſequentes erant paulò ſpiſſiores, duæ ſupremæ autem naturalem offerebant oculis ſtatum.

Cartilagines, quibus jungebantur inter ſe vertebræ illæ ita imminutæ, adeò erant laxæ, ut in modum partium membranacearum elongari ac diduci potuerint; incurvari juſſi parvulum cadaver, uti ferè in vivis fuerat, verſus anteriota, ac obſervavi has vertebras iterum ſeſe invicem conjunxiſſe denuo priſtinum in modum, ac quandam quaſi flexi cubiti ſpeciem formâſſe ad angulum rectum, ac ſpinam ſeptimæ vertebræ, cujus corpus adeo erat anguſtatum, ac diminutum, acutam illam formâſſe eminentiam, quam dorſum puellæ exhibuerat; his obſervatis, ſolicitè ſecundùm ſeriem ſuam, immiſi iterum trunco viſcera ſua, factaque futura conſueta obſervavi, quod conſuendo iterum inciſionem tranſverſalem illico rurſus comparuerit gibbus parvuli cadaveris, qualis antea fuerat.

Ex hac igitur obſervatione formavit theſin ſuam ſupra allegatam, explositque eam, quæ ſupponit vertebralium muſculorum relaxationem; credit enim hanc obſervationem contrarium docere, cogereque nos ac obſtringere, ut ſtatuamus, reipſa gibboſos habere muſculos abdominis breviores quàm quidem eſſe naturaliter deberent, hos enim muſculos, ſi fuerint breviores, efficere, ut car-

tilago xyphoides accedat verſus oſſa pubis, ac conſequenter formetur incurvatio ſpinæ dorſi.

Non hujus loci eſt inquirere, an hæc cauſa gibboſitatis in univerſum omnis admitti poſſit; ita ut dicere liceat, gibboſos habere muſculos abdominis multo quàm par eſt breviores, & hanc genuinam proin gibbi cauſam eſſe. Poſſet enim quis non exigua heic, nec contemnenda objicere dubia. An in caſu præſente gibbus inceperit ab iſta tractione breviorum juſto muſculorum? An vero vertebris aliunde curvatis ea muſcularium fibrarum conſtipatio, induratioque ſucceſſerit? Quid rhachitici hîc ſubfuerit, quantumque rhachiticorum ſpinæ curvatæ pendeant ab iſtorum contractione muſculorum? Si maximè conferantur Rhachiticorum alia phænomena, oſſiumque aliæ incurvationes per totum machinæ ambitum, & quæ Κυφώσει opponitur à quibuſdam λόρδωσις, repanda recurvatio ſpinæ, & quæ in obliquum fit σκολίωσις; ſique attendatur, eſſe alium gibbum in cervice, alium in thorace, alium ſubſepto tranſverſo & in lumbis, alium ex his complicatum. Vix iſta omnia unam hanc ſolam cauſam videntur admittere. Subiungamus adhuc unum eodem ex authore ſpecimen, concluſionis ex una alterave obſervatione formatæ, quam non omnes inter axiomata mox ſint recepturi.

Dum aſſerit, pericordium non multùm neceſſarium eſſe ad vitam hominis; fundamentum effati hoc eſt: Secuit puerum duodecim annorum, in quo cor ſine pericardio inventum eſt; Fœtum quoque antea quatuor vel quinque menſium diſſecuerat, in quo pariter pericardium

dium fuit desideratum ; aliamque Columbus observationem habet. Hîc sane non eâdem omnes facilitate admittent hanc consequentiam , pericardium justis casibus defuisse , ergo parum esse ad vitam necessarium ; id forsan sequeretur certius, partem eam ad vitam absolutè necessariam non esse , omnem tamen illi necessitatem vix ob ista exempla denegabunt ; eo minus quod in fœtu tam parvulo temeritudo forsan agnitioni ejus obstiterit ; cæterùm eâdem pagina idem author fatetur , supervenire vulneribus pericardii deliquia , &. horripilationes supervenire , quod parti, quæ momenti quasi nullius sit, vix tribueretur ; sed abundè est exemplorum , optima ipse colliges ac formabis , si debitam adhibeas attentionem ac circumspectionem.

CAUTELÆ CIRCA PARTUM NATURALEM AC VIOLENTUM, SEU ARTEM OBSTETRICIAM.

SI in partu omnia ad votum ſuccedant, rarò ad Medicum accedunt Mulierculæ, niſi majoris dignitatis ſint parturientes; cum verò vel tempore geſtationis; vel imminente partu, vel non ſuccedente, aqua ipſis hæret, multum negotii, multumque curarum ipſi offerunt. Difficile enim cum primis eſt dirigere obſtetrices plerumque imperitas, ac præjudiciis mirè impeditas; difficilius Chirurgis conſulere rem ſæpe nec peritè ſatis, nec circumſpectè tractantibus. Ut taceam eos etiam, qui eo in negotio præcipuam ſibi laudem compararunt, non idem per omnia plerumqne ſentire.

Loquuntur id ſcripta Virorum experientiſſimorum, ac lites inter eos obortæ; uti exemplo D. Mauriceau, & D. Peu Pariſienſium Embryulcorum Cel. patet, qui ſcriptis elegantiſſimis inclaruêre, per annos plurimos difficili adeò muneri inſudarunt multa cum cura & attentione, nec tamen eandem per omnia mentem ſervare vel voluerunt, vel potuerunt, ſed vel publicis litibus diſſenſum inter ipſos gliſcentem publico ob oculos poſuêre.

Cautumque vel maximè efficiant Medicum in negotio tam gravi, lites illæ in Germania noſtra cumprimis celebres, quæ obortæ ſunt edito libro Sigmundiano de Enchireſibus ad partum commodis atque proficuis, Medicis quibuſdam librum ejuſque monita ſummo ornantibus elogio, aliis ex adverſo ſuſpectiſſimum eum reddenti-

dentibus, incuſantibusque enchireſes ejus tanquam impoſſibiles, temerarias, ac prorſus ineptas, quo tamen judicio iniquius forſan immitiusque actum fuiſſe, ſalutaria libri effata non pauca ſuadeant.

Recentiſſimus eo etiam in genere ſcriptor eſt Ludovicus Lagerius de Govey in vera Chirurgia, ſed nec ille ita tractavit ſublime hoc arduumque negotium, ut acquieſcere omninò ac per omnia placitis ipſius liceat; unde generale ac præcipuum hîc quoque monitum erit, nulli præcisè autoritati ſine exceptione fidendum in re tam gravi, ſed pro circumſtantiarum varietate omnia proprio etiam judicio probè diſcutienda, ponderandaque, & ſic quidem non ſine commodo effata aliorum tuos transferes in uſus.

Sic vel circa veros partus dolores à falſis, torminibusque aliis diſcriminandos non eam in Goveyi ſignis evidentiam deprehendes, quam optaveris; nec agnoveris facilè eandem cum ipſo horum dolorum cauſam, acrimoniam ſcilicet Meconii ſub finem geſtationis contractam, quæ ſtimulando inteſtina colicos in infante excitet dolores, ac calcitrationes, tum ruptionis membranarum ac effuſionis aquarum, tum & dolorum conatuumque maternorum cauſas.

Nec adeò frequens fuerit, quod monet, aquas ſæpe profundi integro ante partum menſe; quanquam exempla non deſint, duplicis quaſi aquarum effuſionis, multo etiam intervallo diſtantis, ubi quidem prima effuſio, certi quaſi cujuſdam loculi ac collectionis aquæ ſepara-

tæ in ſua quaſi peculiari amnii cellula, pro vera illa fœtum præcedente aquarum effuſione vix habebitur.

Naturalem partum vocat Dominus Govey, cum fœtus vel capitis ſummitate imminet uteri orificio, vel pedibus prodit primùm, qua in re non omnes æquè habet conſentientes; qui pedibus prodeuntibus partum pro naturali non habent, ut & inter difficiles non ſit, ſi obſtetrix ſatis ſit circa caput collumque ſolicita ac perita.

Cæterùm Goveyus omnibus parturientibus, quibus habitus corporis non ſit debilior, commendat venæſectionem, omnes quippe moleſtias partui vel accedentes vel ſupervenientes præcaventem, febres, hæmorrhagias uteri, omniaque quæ metuenda ſint ſymptomata; hanc methodum receptam vocat inter Gallos, Germanis non æquè ſolennem; etſi enim frequentes fiant in prægnantibus plethoricis ac orgaſticis venæſectiones, & quædam quoque in nonnullis verſus geſtationis terminum, vix tamen id obtinet in ipſa ad partum proximè imminentem diſpoſitione, ubi eam commendat Goveyus. Enchireſes verò habet non contemnendas circa partum difficilem, circa repellendas partes ad fœtus exitum procurandum non aptas, pedeſque apprehendendos, circa pedes quærendos, iiſque educendum fœtum, vt collum non ſtringatur in tranſitu caputque infantis, ſi avulſum id infortunio fuerit, ex matrice tutò educendum, ſi modò eadem facilitate exequi liceat ea, quæ proponi aliis ac commendari poſſunt.

Sanè ſi mentum in oſſe pubis figatur, non æquè facilè fuerit indice, ex præcepto ejus, immiſſo aliud in latus

tus mentum à pubis oſſe amotum convertere, ſicque fœtum remoto obſtaculo, methodo conſueta plenè extrahere.

Caſum quoque, ubi duo ſint infantes ſimul exitum molientes, pedeſque una offerentes, ita reſolvit, ut facilè res abſolvatur, modò tam facile ſit alterius tantiſper pedes corpuſculumque removere, dum primus utroque pede prehenſus extrahatur; videntur enim plerumque loqui de re iſta, ac ſi abundè ſpatium ſuppeteret, movendique removendique pro lubitu contenta intra uteri anguſtias corpora, qua tamen in re tantum difficultatis obſtetrices ac Chirurgi deprehendunt, viis ſæpe anguſtiſſimis, nec manu tam liberè inſinuanda, fœtibuſque ad libitum vel dignoſcendis, diſcriminandis, vel dimovendis ac arripiendis.

Si infans natibus prodeat, jubet Goveyus eum, ſi parvus fuerit, hac ratione educere, duobus indicibus digitis inguinibus admovendo, ſi verò major fuerit, eum repellendum, quærendoſque ante omnia pedes. Sed difficile fuerit eo in ſitu mox judicare de magnitudine fœtus, an illa hunc illumve præſcribat in caſu occurrente modum; cum maximè obſtetrices non rarò tales infantes eo ſitu extrahant promiſcuè, non attenta magnitudine, etſi non ſine difficultate ac diſtenſione partium inſigni; ad minimùm periculo non careret illa repulſio corpuſculi in alium ſitum deducendi.

Difficile quoque fuerit inſerere manum ac funiculum umbilicalem, ut jubet, collo infantis circumvolutum evolvere ac liberum reddere, ut arreptus pedibus infans poſſit extrahi, enchireſi facilius certè præſcribenda quam efficien-

efficienda, cum maximè rariſſime conſtet de iſta circumvolutione funiculi circa collum.

Quis verò omnes huc caſus congerat; quos abundè diſcentes apud hos memoratos alioſque Authores invenient; uti verò monitum eſt, proprio hîc opus eſſe judicio, conferenda ſcriptorum expertorum placita, ac ſeligenda meliora, quibus & experientia faveat & ratio.

Cumque monuerimus, non poſſe cujuſcunque, etiam expertiſſimi Magiſtri placita omnia aſſumi ſine hæſitatione à tironibus, etiam circa hoc exempla libuit ſubjungere ac cautelas, circa ſcriptorem hoc ſanè in genere præcipuum, Dominum Peu, Virum magnæ dexteritatis ac experientiæ, formando paſſim circa ipſius placita cautelas ac monita, ut videant diſcentes, quî legere debeant, ac ponderare virorum doctorum ſcripta, modeſtè ea penſitare, ac meliora ſeligere, ac ſequi; congeſſimus verò ea ordine nullo obſervato ſpeciminis loco.

Mirum non eſt, veteres uterum dixiſſe animal in animali, ipſique tribuiſſe proprias quaſi vitales motiones, ſi vel moderni, interque eos obſtetricia arte eleganter deſcripta celebratiſſimus D. Peu, ipſi tribuant præter univerſales motus ex repletione vel inanitione, proprios ſuffocationis, præcipitationis, irritationis motus.

Hunc verò ultimum ſubſilientem quaſi aut in ſe reſilientem, aut inflando turgendoque ſalientem ante menſtruorum eruptionem in aliis, in aliis ferè perpetuum ſupponit. Eò certè majori incertitudine, quò crebrius ſtricturæ ſpaſmodicæ partium aliarum ac vicinarum, flatuumque

que concurſus iſtiuſmodi motiones utero per fallaciam facilè adſcribendas, & vel viris quoque communes, ſolent exhibere atque excitare.

Neque ex loci, ubi contingit motio, conſtantia certus planè de mola eris, aliave hærente in utero mole, nec horum impreſſiones ſemper eædem manent ſub diverſis incrementorum & durationis gradibus.

Raraque forſan fuerit aquæ in utero collectæ egreſſio irritatoria, quam quaſi ſternutatorium vocat D. Peu, probè diſtinguendum à flatibus ex matrice cum impetu proruentibus; nec difficile erit à flatibus aquas diſtinguere.

Nec propiorum ano arteriolarum pulſatio, aut internarum hæmorrhoidum comes aggreſſio ſanguinis circa illas partes lucem accendit motibus fœtus ſeu præſentiæ ejus adhuc dubiæ in utero.

Mireris virum tam expertum dicere, motum infantis duobus aut tribus primis menſibus ferè inſenſibilem eſſe, eſt enim & tum planè inſenſibilis, & menſe adhuc ſequente quarto, ubi forſan aliquæ ſunt, quæ ſentiant aliquid ſubobſcurius; licet vix aranææ, vel in incremento muris motum referat; nec poſtea quoque tam accuratè ex motus ratione vel tumoris figura vel angulo licet de parte ſubjecta & pulſante judicare, hæc enim variant juxta craſſitiem muſculorum abdominis ac pinguedinis, motusque ipſius vehementiam, &c.

Motus infantis & molæ non faciunt motum complicatum, mola enim motum habet nullum, poteſt ta-

men impedire & obtundere, incertumque reddere infantis motum.

Graviditate cum hydrope juncta vix ſemper motus fœtus omninò ſupprimetur, fietve inſenſibilis, quanquam nec adeò frequentes iſti ſint caſus, multumque habeant incertitudinis ipſo temporis lapſu decidendæ, quanquam & regimen laudabile & circumſpectum multum hic mereatur attendi ac commendari.

Circa aquarum amnii effluxum ante partum ejuſque modum multa, nec ſemper accuratè dicuntur, eſt ubi ſimul & quaſi uno impetu prorumpant; eſt verò, ubi bis quoque ſeorſim effluant, imò plurimis vicibus, exiguisque portionibus, quò ſitus ipſius fœtus variè contribuit.

Illæ vero aquæ cum varios illos, qui allegantur, habeant uſus, eum tamen vix habebunt, quod qualitate ſua humectante faciant, ut longè commodius extendatur uterus ad proportionem incrementi infantilis, nec enim illarum humiditas utero communicatur.

Nec aptè tanti Magiſtri dicunt placentam eſſe maſſam ſpongioſam ſubſtantiæ ferè ſimilis cum liene, à cujus ſtructura toto cœlo differt.

Dubites de veritate perpetua axiomatis illius; Si mammæ brevi decreſcant ac flacceſcant, ſignum id dubium eſt mortui infantis, infallibile vero abortus imminentis.

Nec indubitabile ſignum erit infantis in utero mortui, ſi mater poſtquam ſenſerit die aut nocte præcedente motum

tum impetuoſum, extraordinarium infantis, poſtea infantis motum non amplius ſentiat; nec frigus narium, labiorum, auriumque matris; nec labores, doloresque inutiles, diuturni; nec inquietudo ac moroſitas matris, nec ponderis ſub ſtomacho ſenſus, nec deliquia matris, frigidulive ſudores, qui à vaporibus infantis putridis non ſemper oriuntur; nec urinæ incontinentia, nec excrementorum retentio; hæc enim omnia alias quoque poſſunt habere cauſas.

Tactu membranarum aſperarum quaſi ac rugoſarum, ac magis ſpiſſarum & glutinoſarum vix judicabis tutò mortem infantis; nec futurarum, quod tamen ajunt, nimio hiatu ſeu diſtantia, cum ſtatus cranii ſub iſtis anguſtiis ac preſſuris valde ſit occultus & in ſtatu quaſi violento.

Plus ponderis habere videtur, quod addunt, ſi funiculus umbilicalis ſit flaccidus, frigidus, lividus, niger, omnique motu arteriarum deſtitutus, nec tamen ſufficit ille color, nec video, quomodo membranis nondum ruptis, nec effuſa earum aqua, poſſit, uti jubeat, vel funiculi, vel alius partis corporis infantilis pulſus tangi per membranas & aquas ac dijudicari &c.

Non eſt facilis deciſio controverſiæ, an neceſſariò abortiat mulier curæ ſalivatoriæ ob veneream luem expoſita; D. Peu taxat Viardelii axioma: Audacter tractent Chirurgi fœminas gravidas venerea lue infectas! Metuit enim ſibi à Mercurio, aitque triginta fœminas abortire inter ſalivandum antequam una retineat fœtum. Obſervavi-

vavimus felicem retento fœtu ſalivationem ; forſan non eadem ratio eſt ſalivationis à ſumto interius Mercurio, & ab inunctione , quæ ultima huic fœminæ fuit adhibita.

D. Peu in favorem Hippocratis forſan ac Veterum ſtatuit fœtum ſeptimo menſe plus habere virium quàm octavo ; fatetur tamen rationem haud redditu eſſe facilem , nec à Saturno derivandam , ſed experientiam fœtuum natorum octavo menſe id confirmare , de quo non omnes æquè conſtant.

An immineat in gravida aliqua partus , eò determinatu difficilius eſt , quod non eadem omnes ratione ad partum diſponantur atque accedant , ſitque magna quà individua varietas , quæ excludit regulas præſcribendas generales , neque tamen res adeò incerta , uti D. Peu eam deſcribit.

Si enim dolores urgeant & verſus anteriora & verſus poſteriora , orificium uteri internum apertum ſit amplitudine ferè palmæ , præcedentibus hanc aperturam horroribus , digitoque immiſſo attingente ac diſtinguente caput fœtus naturaliter appropinquans , quis de imminente partu dubitet ; regeritur equidem , hæc non ſufficere ſi partus verum tempus nondum adſit ; at , novimus non ſemper æquè exactum mulierearum calculum eſſe , nec terminum certum.

Si dicas , poſſe à colicis , nephriticis , aliisque doloribus iſta ſigna præmaturè oriri ; vix crediderim ea omnia ſic ſe exhibitura , & ſi ſe exhibeant , prodibit infans etiamſi terminus nondum adſit , nec poterit retineri in utero ,

quis

quis enim hunc concipiat ſtatum ſine effuſione aquarum, iſtis verò effuſis prodeat, partus neceſſe eſt, nî graviora velis expectare.

Nec ſufficit dicere, aperturam illam uteri juncta habere ſymptomata, quæ quidem denotent imminentem partum, ſed non illis, in quibus hæc ſymptomata à remediis adhibitis remittunt; nam poſſunt remittere in ſpeciem ſymptomata, & brevi vel redire eadem, vel alia facie graviora iiſdem debita cauſis, fibrarumque tenſionibus.

Rebus enim omnibus ita, ut ſupra dictum habentibus, ceſſare ſymptomata, partum falso tum quæ annunciaverant, uterum ſeſe claudere iterum, fœminam iterum fieri ut prius tranquillam, terminumque juſtum expectare fructumque ad illum uſque in utero quietum gerere vix credent D. Peuio ii qui patientibus frequentius adſtitere vel opem tulêre.

Ii verò qui frequentiori circa partum experientia inſtructi ſunt, haud adeò difficulter veros partus dolores, à colica diſtinguent propriè ſic dicta, quæ certè alium affligendi modum habet; plus negotii ac dubii faceſſunt dolores ſic dicti vagi, aut fallaces, quia veros dolores partum urgentes efficientesque referunt, nec niſi ab expertis diſtingui à veris poſſunt, vocatis in ſubſidium aliis ſignis.

Nec facilè hîc ad enemata accedendum, niſi vicinum jam ſit partus verum debitumque tempus, ſtimulant enim ob viciniam enemata, partumque facilè accelerant; ob-

ſervarunt id agnoveruntque ipſi ex Gallis cautiores, fautores aliàs enematum ſingulares ac perpetui.

Aquarum fœtus verarum effuſio, ab aliis extra membranas in utero collectis, vel ex veſica venientibus haud adeò difficulter diſcernitur, ultimæ enim à ſphinctere moderamen in fluxu accipiunt, priores non; alia verò ratio eſt aquarum hydropicarum (ſi morbus hic cum graviditate junctus ſit) ex oſculis vel à natura vel à ſcarificatione apertis effluentium, aut extillantium, & aquarum fœtus, etiamſi etiam hæ per vices aliquando lentèque, aliâs autem cum impetu profundantur; junctus verò graviditati uteri hydrops tam frequens non eſt; cæterum attenditur in agnoſcendis veris aquis ad omnes circumſtantias obſtetricis ſe offerentes imminente partu, unde diſcretio facilis.

Non malè monent obſtetricantes cautiores, frequentiores inſtante partu attrectationes easque paulò duriores non parum poſſe nocere, utut enim vix credas cum D. Peu caput infantis ſuis adhuc aquis membranisque circumdatum tum facilè ab attrectantibus digitis in omnem partem verti, ſicque fœtum mox à ſtatu directo & naturali in pravum deduci, ita ut offerat poſtea in partu non ſummum capitis, ſed vel faciem, vel nucham, vel quamcunque aliam partem, partumque proin fieri ſolo hoc tactu præternaturalem, præſtat tamen tam inutiliter & incautè non attrectare prægnantem, cum nihil iſti tactus commodi habeant, aquis nondum effuſis, ſignisque partus imminentis nondum præſentibus.

Vires

Vires parientium non intempeſtivè prodigendas rectè ac unanimiter monetur, in eo ſaltem eſt difficultas, ut determinetur, quandonam tutò cooperari doloribus debeat pariens, res illa delicata eſt, tempus partûs requiri per ſe ſtaret, in eo verò videas differre magiſtros, an orificium uteri ac membranæ patere debeant, an verò ſufficiat, ut ſint in diſpoſitione bona ad ſe aperiendum, cum fiet conatus ægraque cooperetur cum partûs doloribus.

Tutius verò eſt abſtinere à conatibus nimiis in caſu poſteriore, qui incertus eſt ratione illius diſpoſitionis, utpote quam non ſemper licet prævidere; ſi enim motiones intempeſtivæ & violentiores excitentur ac fiant, perdet pariens vires adeò poſtea neceſſarias, necdum conſtat de ſitu infantis, an liceat illum urgere, ac intempeſtivè aquis effundendis datur occaſio, unde ante tempus ſicceſcit infans, orificium uteri intumeſcit, ſtringitur, tenditur non ſine dolore, ac redditur quaſi aſperum, unde difficilis admodùm partus, &c.

Sæpe anſam dat præmaturis conatibus & niſibus noxiis, quod confundantur primæ ad partum motiones ac diſpoſitiones cum ipſis partûs jam fientis doloribus veris, utilibus, & quos vocant penetrantibus; nec enim urgenda natura ad immaturum fructum ſeparandum; tum demum laborare ad partum dicitur mulier cum ruptæ ſunt membranæ effuſæque aquæ, orificio uteri ſe jam ampliori offerente; vel, quod rarius fit, & ſi aquæ ſint ferè parciores, ſi fœtus cum iis integrisque membranis protrudatur.

Dubi-

Dubites an os ſacrum ſe extrorſum quaſi aperiat, cedatque, ac facilitet conſequenter admodum partum, uti viſum D. Peu; oſſis coccygis alia ratio eſt, ſuis articulationibus gaudentis, alia ſacri, tam firmiter vicinis oſſibus nexi.

Multum in moderanda reſpiratione ſitum eſt in partu, ac præ primis in expiratione haud præcipitanter, ſed lentè ac multa cum circumſpectione abſolvenda, præprimis inter medios dolores, niſusque illis correſpondentes ex parte mulieris, qui cum forti ſpiritus detentione debent conjungi, ubi ſemper monendæ, ne ſui inter dolores oblitæ, ſubitò captent, dimittantve aërem retardentque, ſibi ipſis partum aliis citius ſecuturum, ſi infanti nihil tale fuiſſet impedimento.

Nimiæ ſunt venæſectionis in ipſo partu laudes, quas paſſim Galli cum primis ipſi tribuunt, utut enim occurrant caſus eam requirentes, vix tamen generaliter licebit aſſerere, eam abbreviare partum, levioremque ac ſuaviorem reddere, extendere & ampliare inferiores ventris partes, plus libertatis motusque infanti largiri, imò plus ad prodeundum facilitatis, dolores moderari ac dirigere, ſymptomata præcavere, ac in ſpecie rupturam funiculi umbilicalis lochia nimia, &c. uti D. Peu ſtatuit.

Cum verò dicit, ante, inter & poſt dolores caput fœtus ſi non omnino directè prodeat, ſed lateraliter in pubis oſſe hæreat, vel ſaltem orificio directè non immineat, inclinatione in alterum latus, ac digitorum ſimul concurſu immiſſorum poſſe & debere ſtatim reduci in ſtatum planè directum, plus jubet ac promittit, quam præſtare omni in caſu liceat, ſub illis ſcilicet in principio dictis circumſtantiis & temporibus.

Quicquid dicant Magiſtri, haud facilè accedendum

ad

ad rupturam membranarum, quæ intempeſtivè facta maxima poſt ſe mala trahit, nec enim ſemper per aquas membranasque tangere accuratè caput, ac certò de ſitu fœtus judicare licet; & quis tibi dicet, an mox fœtus ſit aquas ruptura tua evacuatas juſto in ſitu ſecuturus, quam tamen rupturæ faciendæ addunt conditionem, cum non ſit periculoſior error, quam rumpendo aquas intempeſtivè mulierem partus laboribus quaſi ſubjicere, cautè igitur etiam iis in caſibus agendum, ubi rumpendas eſſe digitis aquas vix dubitare licet. Non omninò ſine ratione terret obſtretrices, easque de infantis vitâ reddit ſollicitas occurrens digitis tangentibus meconium, abſit tamen, ut cum aliis mortem fœtus indubitatò concludas, proin ad liberandam matrem violentas mox hoc ſigno permotus injicias manus, quid enim obſtat, quo minus vivi infantes excernere illud meconium poſſint, neque enim ſemper ob ejus elabitur debilitatem, ſphinctere quaſi reſoluto, ſed poteſt quoque variis ſtricturis & preſſionibus expelli, imò & à flatibus extrorſum urgeri, quos in fœtus inteſtinis & ex ipſo meconio poſſe elevari ac gigni, vocari in dubium ab iis vix poterit, qui indolem aëris norunt.

Nec dabis facilè D. Peu, plerosque infantes poſt partum mortuos, quos putent à nutricibus oppreſſos in ſomno, mori ob meconium nimia compreſſione infimi ventris infantilis regurgitantis ad ventriculum & duodenum, indeque, mox fœtum ſuffocantem, aut lacti, ut putat, tranſitum mox omnem denegantem per duodenum.

Dubites, an in infantibus brevis craſſique colli, capite prodeunte, ſi digitos ſub axillas admovere non poſſis, funiculo aptè ac tutò liceat uti, collo circumdato, inſertis licet ante tractionem digitis ad impediendam ſtrangulationem, ad minimum multum requiritur in iſto negotio circumſpectionis ac patientiæ.

Penſitatis diſſentientium omnibus argumentis haud facilè acceſſeris illi parti, quæ ſtatuit oſſa pubis in partu dehiſcendo eum facilitare, amplioremque reddere viam, cum alium iſtorum oſſium ſtatum anatomia abunde demonſtret ad oculum; circa os ſacrum, ejusque in partu emotionem pariter conſenſus non eſt, nec res tam evidens, uti plures etiam ex modernis dicunt, multo minus circa ileum res dubio caret, niſi patiaris te convinci aſſerto D. Peu; de oſſe verò coccygis dubium eſt nullum.

Ligatura funiculi umbilicalis ſummè neceſſaria eſt ob metum hæmorrhagiæ, nec multum habet difficultatis; mireris quorundam in ejus apparatu deſcribendo ambages; & cui bono experti etiam viri jubent facere duas ligaturas, inter quas abſciſſio fieri debeat, quaſi verò periculum immineat ab hæmorrhagia placentæ ſeparatæ &c? & cui bono tandem altera adhuc umbilico vicinior ligatura diutius poſt primam fiat, hujusque dehinc ſolutio? ſic plures magni etiam viri commendant circumſtantias vix obſervandas.

Secundina utique, temerè non promovenda, ſufflare in volam, tuſſire, tutius tamen licebit, quam vomitum excitare aliosque motus fortiores, nec quoque tutum trahere vi funiculum ac avellere placentam, res aliquandiu naturæ ac cautis relinquenda remediis, ſi non ſuccedat, præſtabit inſerta blandè cautéque manu, tentare leniſſimè ſeparationem maſſæ ſub utero, cavendo ab unguibus & omni læſione vel duriore tractatione.

Si plures uterum occupent fœtus, plures quoque ſunt ſecundinæ, aliud verò eſt eſſe plures ſecundinas, aliud ſeparatas placentas; hæ enim ſæpius, & forſan plerumque, poſſunt alicubi cohærere, etſi diſtinctæ ſint, diverſisque propriæ fœtibus, ac rectè monet D. Peu, Viardelium poſt Laurentium non debuiſſe ejusdem ſexus gemellis ſecundinas easdem, diverſi

diverſi ſexûs gemellis diſtinctas ſeparatasque tribuere ſecundinas.

In larga ſanguinis effuſione ante abortum vel partum dicunt equidem experti, unicum, optimumque remedium eſſe, ſi ſtatim mulier liberetur à fœtu, ſed caveat ſibi prudens operator, ne quid agat intempeſtivè, ac præpoſtere, antequam ſatis apertum offendat uteri orificium, omnis hîc violentia ſuſpecta, periculoſa, imò exitialis eſt, ob metum inflammationis à læſione orificii.

Situs infantis in partu naturalis, præcedente capite, non ſemper promittit felicem partum; quoties optaret Chirurgus, ut pedes potius liceret apprehendere, quam otioſe expectare caput fuſis diu aquis arctè diutiusque in anguſtiis hærens, vel & obliquius paulo aperturæ imminens, aut variè funiculo detentum implicitumque.

Nec verò licet, prodeunte jam capite, illo apprehenſo violenter extrahere corpus; neque enim tutum id eſt, cum & avelli caput, & lædi ſpina dorſi, & vaſa, nervique rumpi, ſicque infans interfici plurimis modis queat; præſtat ſub axillis (reductis in directum, ſi neceſſe ſit, ſitum) rem aggredi, ac parcere collo tenerisque ejus articulationibus.

In genere audias moveri litem, an liceat uti unco, an verò ad quascunque occurrentes in triſti hoc negotio tractiones ſufficiant manus; id quidem ultimum plurimum urgent non levi ſpecie; exiſtimat verò D. Peu, ad uncum non accedendum, ſi naturæ niſus, ſi manuum ritè adhibitarum conatus ſufficiant, eſſe verò, ubi deficiat harum virtus, ac neceſſariò vocandus in ſubſidium uncus; agnoſcit verò neceſſitatem dexterrimæ cautiſſimæque manus.

Cautos reddat operatores obſervatio D. Peu circa parturientem inter dolorum intervalla graviter convulſam, dubitans de fœtus vita (magis tamen propendens in opinionem)

eum eſſe mortuum) multo ſtudio uncum alteri auris meatui immiſit, ſicque extraxit altera ex parte juvante manu fœtum, mox undis baptiſmalibus adhuc tinctum: ſi jam ab alio uncus alibi fuiſſet infixus? & quis putet ſemper in tali rerum ſitu poſſe auri immitti uncum? accedit temeritas virium incitanda, fluens tamen ex religione, quâ eduxit, capite partui imminente, quæſitum fœtus brachium, ac ſub conditione baptizavit, dein verò repoſuit; ſed ſi non iterum potuiſſet reponere, uti ſanè plerumque fit? nemo hæc imitetur facilè! licet vivus prodierit hic infans.

D. Peu rejicit eorum conſilium, qui pedibus extrahentes fœtum brachium unum ſinunt ſurſum protendi, ne orificium uteri graviter irritatum ſe ſtringat circa infantis collum; putat enim ſi via pateat, facilius ſequi caput ſolum, quam unà cum brachio ſurſum acto; ſed non videtur attendiſſe ad ſtricturas orificii ſpaſmodicas metuendas, & ſæpe fatales extractioni, capite poſtea avulſo & infeliciter in utero hærente; nec tam facilè eſt infantem faciem tum ſurſum vertentem invertere pro lubitu, vel digito ori inſerto evellere ex anguſtiis illis caput.

Avulſo, & in utero hærente capite res miſerrima eſt; quis caput iſtud lubricum, vagum ac mobile in utero inſtrumentis eripiat? Manu rem agere pariter difficilimum; brachium toties ingerere manibusque violentius agere temerarium ac periculoſum; inde D. Peu putat, parva mediocriaque capita naturæ & medicamentis expellentibus relinquenda potius, quàm multa audacter tentanda; ſed quis dicet tam præciſe, quænam tali capiti magnitudo competat?

In ſitu fœtus immutando & corrigendo magna opus eſt cautela, ne luxando frangendoque partes lædamus; utut enim D. Peu dicat, ſe, quoties fuerit coactus ad frangendum brachium aut pedem, parum inde commotum eſſe, cum facile

ſit

ſit tenellas tales partes debita repoſitione & ligatura in integrum reſtituere, præſtabit tamen, quantum poſſibile eſt, evitare tales fracturas, maximè voluntarias, cum eas poſtea perſanare non ſemper ſit in Chirurgi poteſtate, poſſitque graviſſima poſt ſe mala trahere; nec facilè illa fractura multum proderit.

Sectionem Cæſaream viva Matre rectè diſſuadet D. Peu, integris enim viribus eò non accedent, fractæ autem tanto operi non ſufficiunt; ſi dicas inſtituendam in mortua, dic quoque, unde quis primo mox inſtanti certus eſſe poſſit eam eſſe certò mortuam, & non ſaltem ſyncopticam aut internè convulſam; noti enim ſunt tot caſus talium, quæ dicuntur bis mortuæ; & cogita operatores ad conferendum baptiſmum ferè unicè reſpicere ex principiis Religionis ſuæ, ſcil. Romanæ, quæ non baptizatis infantibus denegat beatitudinem; manebit ergò hoc Problema Chirurgicum.

Probè diſtinguendum eſt inter caput infantis imminens partui, quod coronatum vocant, interque illud, quod jam propius ad exteriora tendit, & tandem inter illud, quod ita immobiliter intruſum, infixumque quaſi illis partibus eſt, ut nullis doloribus, niſibusque vel hilum ulterius promoveri queat; in caſibus prioribus mitiora adhuc ſuppetunt media, in hoc diſputant, an ad uncum accedendum ſit; abſtinere præſtat, quamdiu licet; abſolutè uncum rejicere in omni caſu vix licet, ſi certus maximè ſis de morte infantis, aliâs haud facilè excuſaberis, etſi auri, & non oculi orbitæ infigas uncum, licet enim non ſtatim moriatur infans, moritur tamen; reſpondet D. Peu, ſalvari tamen animam: ſed & illam jam ſalvaſti, ſi, ut credis, ſub conditione hærentis in utero caput baptizaſti, & illa anima tamen ſalvabitur, licet moriatur fœtus (licet non te miniſtro moriatur,) quanquam iſta D. Peu vi religionis ſuæ dicit. Semper cogita de incerti-

tudine de morte infantis in tali caſu capitis fortiſſimè adacti & hærentis.

Eædem militant rationes contra Domini Mauriceau Inſtrumentum Capitis intra iſtas oſſium anguſtias impacti extractorium (le tire-tête) rejicit illud D. Peu cum certæ morti fœtum tradat ipſa applicatione, ſi vivat, cum de morte certus nemo ſit, cujus exemplum addit extracti à ſe fœtus, qui per quinque jam hæſerat ibi dies, ſine ullo vitæ ſigno frigente ventre matris, fœtidiſſimis excretis humoribus, à latere in latus motu corporis delabente fœtu, &c. & tamen unco orbitæ oculi infixo extractus vixit per aliquot dies; ſed quomodo ſalvabit uncum ſuum, qui licet non ſtatim interficiat, vulnerat tamen mortaliter? cautè ergò agendum! multæ ipſi ſolennes enchireſes nituntur ritibus, ac ſententiis Eccleſiæ Romanæ &c.

Si cranium non ſit impactum, ſed facies, erit forſan facilius ſperanda ſitus illius manuum ope mutatio, repellendo circumſpectè, non omninò rejiciendo cum D. Peu D. Viardelii lintea duplicata digitis ſuppoſita, cætera cum altero illo impactionis ſtatu conveniunt.

Artis eſt liberare collum, ſi à brachiis una protenſis prematur urgeaturque, aut ſi inflexo corpuſculo quaſi flaccido pedes collum ambiant & impediant partum, vertere infantem tum manu, tum unco juvante prudenter inſerto, pedemque blande ambiente, ſi digiti eò attingere non poſſint, aut funiculum inſerendo pedi ad faciliorem ſitûs mutationem pedumque adductionem ad orificium; exortas verò manus non ita facile eſt reponere intra uterum, ac quidem jubetur ab aliis, videas, ubi fruſtra id omni etiam poſſibili conatu tentatur.

Et quam difficile eſt, removere axillam fortius orificio impactam, mirè torto ac periclitante collo, ubi ſumma difficultas

cultas eſt inſerendi manum, ad amovendum hunc axillæ ſitum, pedesque obtinendos converſione infantis.

Diſtinguendum omninò eſt inter brachia prominentia, prout vel unum vel utrumque, magis vel minus, vel extra orificium uteri, vel extra vaginam promineat, magis, minusve, ſæpe usque ad axillam &c. Quamvis verò difficilis eſt reductio, attamen omni modo tentanda ac procuranda; nec facilè accedas ad abſciſſionem talis partis, ob incerta mortis indicia, & triſtes hanc in rem hiſtorias fœtuum poſt tales mutilationes & extractiones adhuc clamantium; dantur tamen & caſus mirabiles partuum in tali ſitu ſuccedentium, ſi nimia arctitudo non obſtet, ſæpe etiam ſuccedit reductio brachii circumſpectè tentata, ut cauta manu arripere pedes, illosque & ſic totum corpus educere liceat, &c.

Si venter ſe offerat, vel ſolus, vel cum una aut duabus manibus, vel cum pede aut pedibus, rem haud adeò difficilem judicat D. Peu, ſed ſatis eſt difficultatis, ſi perpendas, quàm difficulter ita reponantur manus, ut maneant repoſitæ; cæterum facilè illi largimur, plus eſſe difficultatis, ſi cum ventre manus, & pedes ſimul occupent orificium uteri, nec facilis foret ejus enchireſis pedes primùm, dein brachia reducendi, ac dein iterum educendi pedes, perque illos converſum fœtum. Idem de dorſo cum artubus oblato dicendum, ſunt verò iſti caſus non tam frequentes.

Natibus prodeuntibus non eſt novum parere ea via mulierem non nimis arctam, modo caveatur ruptura perinei. Si verò repelli nates, pedesque adduci queant, melius. Ruptum perineum recenti mox ſutura conſolidatur. Si genu occupet orificium, vel pes unus multum protenſus, res difficultatis plena eſt ob difficilem reductionem; ſed nec utriusque pedis oblatio, in ſe optima in manu prudente, innumeris caret periculis, niſi & deorſum infantis ſpectet

ctet facies, & obſerventur brachia, & caput prudenter dirigatur.

Rariſſimum eſt, funiculum umbilicalem in ſe ita brevem eſſe, ut egreſſum fœtus ſub dolorum intenſo etiam niſu, placenta nondum ſoluta, impediat; frequentius verò triſti obice corpuſculo, collo, artubus variè circumvolvitur; difficulter extricandus, niſi à cautiſſimo ac dexterrimo; ligatura tamen quandoque mediante abſciſſus deſinit obeſſe; mireris varias unde deducent iſtas implicationes hypotheſes, quas vel in primis fœtus rudimentis quærunt; probabilius videtur, evenire id ſub violentis quandoque & celeribus converſionibus fœtuum, motibusque convulſivis, quos novimus contingere adeò violentos ſubinde, ut graviſſimos matri inferant dolores; quo & faciunt ſtricturæ ſpaſmodicæ dolorificæ abdominis in ipſa prægnante.

Firma placentæ adhæſio crebrius minatur parturientibus, ſed & hîc opus eſt patientia & prudentia, quò nec citò nimis, nec nimis tardè (ſæpe enim natura tardius, ac tamen efficaciter eam expellit) immiſſa prudenter manu ſingulares illas adhæſiones quaſi cotyledoniformes non unguibus, ſed digitorum pulpa leniter ſepares, lentiſſimo conatu: abſit, ut, quod commendant alii, in centro placentæ vel funiculo vel placenta apprehenſa trahas, abſint quoque fortia ſternutatoria, & irritamenta faucium ad vomitum; talia ſunt periculoſa, leniores manuum inſufflationes tutiores ſunt, ſed parvæ efficaciæ; dolores partus ſuperſtites ſæpe feliciter ſuccurrunt.

Examinandæ omninò ſecundinæ, an prodierint integræ, an nihil deſit, vel membranæ, vel placentæ? nec tamen crediderim D. Peu, pejus eſſe, ſi fruſtum membranæ ibi hæreat, quam fruſtum placentæ? utut enim patet, hanc ſub lochiorum & quaſi ſaniei fluxu prodire & ſolvi facilius quam membranas, abſit tamen ut iſta valeat ratio, abſit illa putredo,

minus

minus ſanè à membrana periculi, quæ regulariter non adhæret utero uti placenta. Id verò miſerum eſt, ſi diutius, quam par eſt, expectetur, ac tum demum, clauſo uteri orificio, tentetur inſertio digitorum, ac dehinc manus, perque eam extractio per ſeparationem placentæ; abſit enim hic violentia, nec licet promiſcuè debiles laceſſere ſenſilesque partes in tam debili ſubjecto, puerpera viribus jam exhauſta.

Cum peracta videntur omnia feliciter, præcipuum adhuc reſtat periculum, lochiorum retentio, aut jam fluentium ſuppreſſio, hinc tantæ cautelæ circa animi affectus, frigus, alimenta &c. neceſſitas; ligaturam abdominis nimis arctam potiſſimum audias accuſari, rarior tamen ſuppreſſionis cauſa erit; vitanda potiſſimum, quæ rigoribus febrilibus præbere anſam queunt, ac mammæ probè curandæ ac muniendæ; horror enim febrilis nunc cauſa eſt, nunc effectus ſuppreſſionis lochiorum.

Mira res eſt, fœtuum quorundam mortuorum in utero non tam putredo, quam durities & conſervatio; uti exempla loquuntur, fœtum quatuor circiter menſium, tum mortuum, geſtatum cum vivo alio usque ad terminum, & ſic per ſex menſes ſine ullo alterius fœtus, matrisque incommodo detentum in utero; cum alias tam facilè magna incommoda mortem infantis, ad minimum abortus utriusque ſequatur; ſi calor induret, uti viſum D. Peu, cur idem alios tam citò in putredinem præcipitat.

Nodum in ſcirpo videtur quærere D. Peu, dum falſam conceptionem tam ſolicitè à mola diſtinguit, incertus tamen circa utrumque punctum; quò conferantur Ruyſchii obſervationes circa molas, ac fruſta ſecundinarum retenta. Nec dubito fœtuum ſecundinas depravatè auctas ſæpe haberi pro talibus falſis conceptionibus, ut taceam, quoties grumi ſanguinis cute obduci imponant mulierculis. Cæterum enchireſes D. Peu circa evulſionem parvulæ talis falſæ conceptionis volſella faciendam ſunt mirabiles.

Vix ulla in re tam contraria apud viros etiam doctiſſimos expertosque legas, ac de procidentia uteri, multa ubique incertitudo eſt, hoc certum tamen videtur: Crebrius & ferè ordinariò vaginæ procidentiam ſeu relaxationem ac prominentiam pro ipſius uteri prolapſu haberi, poſſe tamen & hunc ſua è ſede avelli, inverti quaſi ac prominere, ſi non toties, quoties id aſſeritur ab imperitis, tamen revera ac non adeò rarisexemplis, &c.

CAUTELÆ CIRCA CHIRURGIAM.

SUmmam Chirurgiæ utilitatem præſupponimus, ſummamque in Medico artis ejuſdem ſaluberrimæ neceſſitatem, ſive exercitium ejus, ſive profundiorem notitiam reſpiciamus.

Quisquis enim Medicorum exercere hanc etiam artis ſaluberrimæ partem, ejusque operationibus inſtituendis navare voluerit operam, is multum ſanè ſibi & laboris, & ſtudii ſciat impoſitum; vaſta ſatis ea Medicina, ejusque praxis mare quoddam immenſum eſt, cui vix hominis ætas ſufficit penitius addiſcendæ; ſi verò exercere ſimul chirurgiam velis, novum laboris vaſtiſſimi, prolixi ſtudii, applicationis ingentis, tædiique inexhauſti onus tuis impones humeris; namque & hæc pars eſt ampliſſima, attentionemque requirit, ac dexteritatem ſimul planè ſingularem.

Nec dicas Medicum Chirurgiam etiam non exercentem profundam ejus notitiam ſibi debere comparare, ut dirigere operas Chirurgorum prudenter valeat; hoc enim etſi veriſſimum ſit, minori tamen moleſtia iſthæc directio perficietur, quam ipſa operationum in ægris perficiendarum cura, quæ Medicum ſua ſatis diſtractum praxi ſaltem non obruet; niſi excipias ingenia quædam ignea peculiari inclinatione eò lata, quibus

bus tamen ad tam vaſta ſtudia, laborumque tædia & corporis opus eſt & animi robore haud mediocri.

Omni tempore laus Germanorum in Chirurgicis magna fuit; ab aliquot verò luſtris Gallorum indefeſſa molimina artem hanc altiſſimè extulerunt, ut non poſſint non cõmendari eorum ſcripta, eò ſolidius exarata, quòd anatomicas ſectiones jungendo partium corporis penitiorem notitiam ſibi comparaverint exercitatiſſimi in utroque viri.

Nec deſunt tamen Germanorum optima quoque hoc in genere ſcripta, atque, ex quo Celeberrimus Heiſterus ſuam Tironibus dedit Chirurgiam, nihil facilè ultra requiſiveris, ſive in deligationum elegantia ac commoditate, ſive in inſtrumentorum præſtantia & deſcriptione, ſive denique in ipſorum operationum concinna, facilique, ac tuta adminiſtratione. Abſit verò ut credant diſcentes, omnia ſibi Modernorum inſtrumenta Chirurgica comparanda eſſe; utut enim plurima ſint utiliſſima ac maximè convenientia, non pauca tamen numerum quidem ac varietatem harum claſſium augent, nulla verò vel neceſſitate, vel ſingulari utilitate præter novitatem ſuam commendabilia. Et quantus eſt vel ad oculorum vitia apparatus, quorum plurimis carere forſan queat Chirurgia ſoli elegantiæ ac nitori inſtrumentorum, eorumve numero ac varietati affectatæ non ſtudens.

Wolhuſianas operationes circa oculos numeroſas, ipſisque reſpondentia inſtrumenta & pretioſa & ſubtilia non contemnes, nec tamen ſplendor ille vel Græcorum nominum, vel nitidiuſculorum inſtrumentorum omnium æqualem tibi perſuadeat neceſſitatem.

Miraberis D. Anet ſtilos quaſi capillares, ſiphunculosque, quorum canaliculi lachrymalia puncta lubentiſſimè ſubeant, eorumque uſum in lachrymalibus fiſtulis haud inficiaberis, nec tamen ideò in omni quaſi oculorum vitio recurren-

dum cenſebis ad injectionis iſtas, uti quidem Anelliana praxis id exequitur tota die in variis promiſcuè oculorum vitiis.

Uti verò hîc, ita per omnem quoque Chirurgiæ, quà latiſſimè patet, Eclecticam methodum è re fuerit diſcentium, ut nulli per omnia fidant autoritati, cujus pericula per varios Modernorum Chirurgorum libros oſtendere haud foret difficile. Nec verò anguſti cautelarum limites omnium fieri mentionem permittunt; adducemus unum è præcipuis, D. ſcilicet Dionyſium, dexterrimum virum, nec pro norma tamen agnoſcendum ubique, ac perpetuò. Sit exemplum ex ejus operationum Chir. libro de Cataracta: Dicit enim cum veteribus Chirurgis ſine ulla oppoſiti formidine, peregrinam materiam, quæ in aqueo concreſcat humore, hærere in pupilla inter corneam humoremque cryſtallinum, inque pelliculam ſenſim concreſcere, radios lucis ab ingreſſu arcentem, iſtique theoriæ omnem curationis rationem ambitumque ſuperſtruit.

Recentior verò ejus conterraneus, D. de Govey in nova ſua, quam veram vocat καὶ ἐξοχὴν, Chirurgia, cum D. Briſſeau & Antonio ſine hæſitatione malum hoc in Cryſtallini humoris opacitate ponit, qui induratus ſenſim ac ſenſim radios impediat tranſeuntes; dubites verò ſimul, an ſtatuat viſionem fieri per emiſſionem radiorum, cum dicat induratum cryſtallinum egreſſum radiorum vivivorum impedire.

Celeb. verò D. Heiſterus, cui plurimum debet nova hæc hypotheſis, media mavult incedere via, non excludens omnem pelliculam, frequentiorem tamen, ac ordinariam ferè ſtatuens opacitatem cryſtallini humoris; quam in ſententiam ipſa etiam Regia ſcientiarum Academia Gall. experimentorum vi pertracta eſt. Wolhuſio adhuc renitente.

Dionyſius operationi Cæſareæ in parturiente adhuc viva abſolutè ſe opponit; & authoritatem prætendens D. Mauri-

ceau,

ceau, & ea, quam firmiter tenet perſuaſione, fœminam diu etiam in partu laborantem, tandem tamen poſſe parere, vel ſaltem liberari à mola infantis, ac operationem ipſi vel mox, vel tardius funeſtam eſſe.

D. Govey Cæſaream hanc operationem in triplici caſu audacter jubet ſuſcipere, cum ſcilicet & mater & infans vivunt, cum porrò vivente matre mortuus eſt infans, tandemque, cum vivente infante mortua eſt mater; in duobus primis caſibus eandem commendans methodum.

Dicit enim, Cæſaream hanc operationem calculi ſectione non eſſe periculoſiorem, quæ tota die inſtituatur; eſſe enim uterum & veſicam duas ex æquo cavitates membranoſas in eadem ſitas cavitate, eſſeque, uterum ipſa veſica magis carnoſum, & conſequenter aptiorem ad conſolidationem ſectionis promptam facilemque; provocatque ad experientias, non tamen extra omnem contradictionem conſtitutas, quamvis paſſim exempla, etiam in diario literatorum Gall. extent ſectionis hujus feliciter inſtitutæ.

Talisque, in ſentiendo diſparitatis plura paſſim exempla ex binis clariſſimorum virorum ſcriptis huc transferre liceret, ſi prolixius conferre operationum ſingularum methodos liberet; uti v. g. circa Herniam aquoſam (plura enim exempla reliquæ Herniarum quoque ſpecies ſuppeditabunt inquirentibus) Dionyſius præter palliativas curas, eam credit radicalem, ſolidamque eſſe, quâ cauterio potentiali inuſta juxta tumoris longitudinem parte, ad ſuppurationem deducto ulcere, ſtabile fundamentum novæ aquarum collectioni præcludens viam conſolidetur. Goveyus autem, repudiato cauterio potentiali præfert inciſionem, additque, ſæpius teſticulum gangræna corripi, creditque, hinc teſticuli amputationem atque extirpationem ſolum eſſe conſtans mali remedium. Quod quidem alii circumſpectiores Chirurgi haud facilè ipſi largientur.

Sed non libet ulterius committere diſſentientes Chirurgos, præſtabit quasdam adhuc occaſione elegantis ſcripti Dionyſiani cautelas ſubnectere, ut in hac quoque parte diſcant Tirones non cœco omnia impetu aſſumere, quæ Viri Celebriores pronunciant, ſed probare omnia, ac quod bonum eſt, tenere.

Sic, quando Dionyſius non parum promittit de Arcano Prioris de Cabrieres, quod contra Hernias Regi Galliarum defuncto manifeſtavit, quodque ſalis ſpiritu vino admixto conſtat, iſtam acidi hujus vim non ita indubitatè Tiro admittet, multoque minus etiam cunctis hernioſis cum illo exhibebit, quippe qui plerumque ſolis ſubligaculis emplaſtrisque curari poſſunt, quod non rarò etiam circa adultos decubitu ac quiete accedentibus ſperare licet.

Nec credat illicò aſſerenti, in hernia omentali non tale adeſſe periculum ac in inteſtinali, cum ipſe mox addat exemplum pueri, pugnum magnitudine æquanti hernia tali laborantis, quæ eadem ſymptomata cum iis, quæ inteſtino conſtricto, ſtrangulatoque, contingunt effecerit, ac ſubitam proin poſtulaverit ſectionem, omento magnam partem jam corrupto, ac amputando, ubi ſanè periculum ſummum erat ac præſentiſſimum.

Neque, alii promiſcuè Chirurgi, neque experientia ipſi adſtipulantur, cum bracherium herniis dicatum, cujus ſcuto addita lamina elaſtica id proceſſui arctius perpetuò, omníque, in corporis ſitu applicat, etiam cum inflexo femore aliorum ſubligaculorum ſcuta à loco affecto recedunt, repudiat, ex eo ferè ſolùm capite, quod Blegnius, quem impoſtoribus accenſet, ejus inventor ſit; cum tamen utilitas talium bracheriorum plurimis extra controverſiam poſita ſit exemplis; imò ipſum bracherium ferreum ab ipſo Dionyſio deſcriptum pro robuſtioribus ac laborioſis ægrotis ratione circuli ferrei corpus

pus cingentis elateris omninò in applicando firmius conſtantiusque ſcuto rationem habeat.

Rectè monet circa operationem herniæ inteſtinalis prolapſæ inteſtinisque ſtrangulatis ſeu incarceratis, eam non eſſe ſuſcipiendam, ſi iam ad ſphacelum res tendat, ſi nempe viribus attritis rubeſcat, imò cœruleſcat hernia, ſed iſtis etiam nondum ita habentibus externè, poteſt inflammatio, imò gangræna interius corripuiſſe inteſtina, triſtemque operationis, adeò facilis viſæ, exitum procurare; nec commendata adeò laxans potiuncula in iſtis fatalibus vomitionibus ſemper adeò erit ſalutaris, vel noxæ expers, uti quidem ſupponit; rarò enim in principio ad talem operationem confugiunt ægri, per moram verò res dubiæ plena eſt aleæ.

Commendatam à Dionyſio in pneumatocele ad educendos è cavitate ſcroti flatus incluſos acu punctúram non ita promiſcuè quis imitandam ſibi credat, ſæpè enim diſcutientibus internis, externisque, ſedulò adhibitis diſcutiuntur illi flatus, reſorbenturque in vaſa ſine dubio tali operatione, cum maximè per ſimplices acu tenuiore factas punctúras aër haud adeò facilè ſemper egrediatur, largior verò via haud magno ipſi commodo paretur, cum fomes iſtorum flatuum in cavitate ſuperſtes, novos facilè emittat, progignatque flatus, novamque ſcroti intumeſcentiam, nec verò commodum adeo tutumve fuerit, frequenti punctúra iſtam toties viam aëri collecto novis excitatis foraminulis procurare.

Cum rectè monentur circa anum imperforatum membranam, ſi quæ obtendatur foramini ſphincteris inteſtinalisque tubi extimo, commodius cruciali inciſione dividi, cum citius ſic obtineatur rotunditas foraminis, quam in ſimplici inciſione, ex adverſo deſideres ſolennem alias Cl. Viro circumſpectionem, cum, poſtquam memoraſſet, ita aliquando occludi anum, ut podicis veſtigium vix ullum poſſit deprehendi, jubet tamen,

tamen, eò uſque adigere cultrum, donec meconium prodeat, quòd ſanè fruſtra aliquandò ages, ſi carnoſa excreſcentia profundius partem occupaverit occluſeritque, ubi incerta adactio cultri ſine lege vix ſine ignominia Chirurgi poſſet tam profundè fieri.

E contrario non immeritò nimis circumſpectus, timidiorque juſto idem videri queat, cum agnoſcit apertionem thoracis facillimè quidem in Empyemate fieri inſtrumento cannulato (trocar) facilè coëunte vulnuſculo, cum aliâs inciſiones ad puris eductionem factæ coëant difficulter, ſimul tamen eam non audet vel inſtituere, vel commendare, ob ſolum metum pulmonum pleuræ adhærentium, qui metus ſatis non videtur fundatus, ſi verum ſit, quod addit, adhæſionem talem eſſe rariſſimam, cumque & illa læſio pulmonis facilè ab inciſorio cultello oriri poſſit, nec in omni ejus caſu inſertio, quam commendat, digiti ad ſeparationem inſtituendam tuta foret aut innocens.

Idem Scriptor Cl. circa ſpinæ dorſi incurvationes monet, eâ extrorſum factâ infantem duriore lecto in dorſum ſine cervicali reponendum, eâ verò ad alterutrum latus emota atque incurvatâ, locum ſeu partem emotam machinula pectorali eum in finem facta in priſtinum ſitum blandè ſenſim eſſe repellendum, reſtituendumque. Dubites verò, an tutò ſemper in partem oppoſitam urgeas, premasve ſpinam emotam, facilè novis curvitatibus aliò emovendam, cum & noverim curvatas ad latus ſpinas, ut nihil in corpore deformitatis, curvitatisve compareat, cautè ergò agendum, ne pectus lædas; cum maximè plerumque malum in vitio interno ac humorum ſit radicatum, eòque facilius conſtricta corpuſcula in hecticam conjiciantur diſpoſitionem, ſi ſcil. rhachitica adſit diſpoſitio, ut fieri plerumque ſolet. Situs verò ille in dorſo tali in caſu vix ſufficiet ad ſpinam rectitudini reſtituendam.

Circa

Circa Sectionem Venæ jugularis monet, ejus apertionem debere fieri longè ampliorem, quam fieri quidem consueverit instituta in Brachio Venæsectione, cum hæ Venæ longè majores sint brachii venis, quam quidem acutissimi viri rationem, à majori vasis magnitudine ad majus foramen infligendum argumentantis, haud æquè omnes capient; uti nec necessitatem præsentiæ Medici in hac operatione instituenda, cum aliquando ægri animo linquantur, subducta subitò capiti sanguinis parte; acsi rara in quibusvis passim phlebotomiis deliquia essent in ægris & meticulosis & teneris.

Anginæ duas species solo distinguit periculo suffocationis vel & occlusionis gulæ, prout musculi vel exteriores solùm, vel etiam interiores Arytænoides & thyro-arytænoides quoque inflammationem patiantur, cum tamen potissimùm ad febris conjunctæ malignitatem respiciendum sit, ac inflammationis ad gangrænam ac sphacelum seu necrosin faucium tendentis vehementiam; ac rarissima sanè imò nulla, fiet Bronchotomia, quam prolixè tractat commendatque, si admittenda tum demum sit, ubi omnia frustra tentata remedia, quæ & fibras restituant, & sanguinis æstum valeant temperare, ubi certum sit dyspnœam Laryngis vitio oriri, ubi certus sis de virium ægri sufficientia, certaque spes aëris hac inter cartilagines separatas immissione servandam esse ægri vitam affulgeat, eumque sine operatione certò moriturum, &c.

Circa fissuras cranii incertas rectè monet, signum absentis fissuræ sufficiens non esse, si æger dentibus firmiter quid valeat apprehendere sine doloris augmento, ac postea tamen jubet confugere ad signa longè incertissima, an ictum infligens robustus fuerit, an iratus, an vehementer percusserit, an altiori loco steterit? quæ quidem colligere jubeant violentiorem ictum, uti & baculi crassities, *figura* rotunda vel

angularis, &c. quæ quidem ad certitudinem parum conferent.

Ubi circa remotionem laminarum fractarum, seu festucarum cranii occupatus est, rejicit forcipes æquè, ac ferrum acutum mallei ictu ex quorundam consilio festucas adhuc fixas separans, eam quidem ob rationem, quod necessariò si festuca vel portio ossis supra cranium emineat ac elata sit, alterum ejus extremum necessariò introrsum vergat, sicque meninx percusso, commotove hoc osticulo lacessatur; sed neque hoc perpetuum erit, ubi scilicet illa eminens ossis portio ex tabula cranii exteriori tantùm fuerit elevata; neque omnis limæ usus, quem rejicit, erit amovendus, ex eo, quod allegat, in fissura semper sanguinem meningi incumbere, quem lima non tollat, sed trepanum; sed probandum prius erat, in omni fissura necessitate inevitabili sanguinem meningi incumbere, etiam si illa ultra primam haud penetret tabulam &c.

Statuit, sufficere ad Trepanationem mox suscipiendam, si percussus in capite in terram prosternatur, amittatque sensuum usum, hæc enim esse signa sanguinis extravasati certa, cujus supparatio non possit sine periculo expectari, maturandam igitur trepani applicationem patieris ipsum sensu suo abundare, cum tamen certum sit, plures ita concidentes, jacentesque sine sensu mox post ictum, sine trepano, solis fomentis restitutos esse; nec ergò perpetuum erit illud extravasati sanguinis signum, nec statim admovendum trepanum, possunt enim etiam à violenta percussione sine fissura ea symptomata sequi, ob commotionem nimiam Spirituum in cerebri canaliculis undulantium.

Agnoscit quidem promta isthac sua trepani in casu quovis applicatione non rarò forsan aliquem subjici gravissimæ huic operationi, de quo certus postea evadas, potuisse eum supersedere his prolixioribus tormentis, verum ait, in casu dubio

dubio præſtare mox trepanum adhibere ; feſtinando enim eum poſſe ſalvari, qui cunctando pereat. Prudens verò Chirurgus ſigna probè, prolixéque meritò perpendit, nec accedit ſtatim ad operationem gravem ac operoſam ſine manifeſta neceſſitate, quæ ab apparente probè accuratéque eſt diſtinguenda.

Dicit ſe vidiſſe trepanum ſterno, at ſine fructu, admotum ; cavebit ſanè quivis prudentior ſibi à perforando hac ratione temerè ſterno ; eratque hæc non minus, quàm coſtarum inſtituenda per trepanum perforatio rejicienda. Id verò dent operam diſcentes, ut juxta recentiſſimam methodum diſcant trepanum cautè admovere oſſibus denudatis ac carioſis ad promovendam exfoliationem, laminarumque infectarum ablationem, facilius ſuccedentem, ſi ad ſanam usque oſſis partem circumacti trepani dentes os inciderint, quæ tamen alibi prolixius poſſent deduci.

Quod monet de trepani applicatione feliciori in uno, quàm in alio loco, quodque Avignonii ac Romæ omnes evadant, quod Pariſiis feliciter ſatis operatio hæc ſuccedat, in Hoſpitali autem, quod à Deo nomen habet, omnes ferè moriantur, qui hanc ſubeant operationem, propter aërem ſcilicet infectum, qui in dura meninge excitet putredinem, ea quidem omnia mererentur examen exactius circa quæſtionem an ? an revera ita ſe res habeat ; omnesque iſtiusmodi traditiones penitius ſunt excutiendæ, quas unus ab altero exſcribit, quò tandem appareat, annon ii, qui tales regulas formarunt commiſerint fallacias non cauſæ ut cauſæ, & an revera talis locus certis vulneribus adeò ſit exitioſus, uti v. g. hîc Roma dicitur fatalis vulneribus pedum, excedendumque iis omnibus urbe hac eſſe, qui in pedibus vulnerati, velint convaleſcere.

Circa ſex illa loca, quæ ſolent à trepanatione excipi,

monet Dionyſius, urgente neceſſitate procedendum eſſe ad applicationem trepani etiam his in locis, utut incommodis; ſed non ſunt pleraque illorum locorum ſaltem incommoda, vel Chirurgi dexteritate ſuperabilia obſtacula in illis obvia; quomodo enim rem abſolvet ſuper ſinubus oſſis frontis, ubi una tabula pertuſa nihil adhuc perfecit, quomodoque ſe geret in oſſe temporum perforando, maximè in ſquamoſis illis futuris, circaque muſculi remotionem; aut in partibus dedeclivioribus circa trepani applicationem humorumque tutam eductionem &c.

Fiſtulæ lachrymales non rarò præcaverentur, nec tam crebrò deveniendum eſſet ad actuale cauterium, ſi Anelliana methodo ſacci naſalis impuritates injectionibus eluerentur, ipſiusque ad nares exitus ſervaretur apertus; ſic enim poſſet præcaveri diuturnior acris ſaniei ſtagnatio eroſionem tandem oſſis efficiens, utut enim hanc profundiorem methodus D. Anel haud tollere valeat, attamen & præcavere eam, & leviuſculam quoque tollere ac colligere pro injectorum liquorum diverſitate poterit; ad minimum applicatio Spiritus Vitrioli, nec tutò nec commodè fiet, eſtque ipſa candentis ferri applicatio ſatis difficilis, ac in caſibus variis inadæquata, ſi ſcilicet aduſtio non omnem attingat oſſis eroſi ſuperficiem.

De Polypis egregia habet Dionyſius, ſed non omnia neceſſaria, polypi aquoſi, qui non infrequens adeò eſt, ac in membranacea ſua cavitate ſerum continet, quod in aduſtione poſtea facta non ſine ſibilo per cauterium admotum defluit, mentionem facit nullam; licet verò maligni ac cancroſi polypi vix attingendi ſint, non tamen ſolos, quod ait, indolentes, molles, albos, vel ſubrubicundos Chirurgo tractandos eſſe ob ſpem curationis dixerim, cum & alii curari poſſint, & his quoque ſubrubentibus poſſit cancroſa indoles, ac malignitas ſubeſſe, vel accedere,

Inter

Inter deſtinatas verò polyporum ſublationi operationes cæteris evulſionem vel eo ex capite præfert, quod radices ea mali tollat, omnesque ejus ſparſi hinc inde rami hac via evellantur, facilèque omnes ipſi aſſentirentur, ſi de eradicatione iſta obtinenda certi eſſent, ecquis verò certum reddit operatorem, non ruptum iri polypum, non remanſuras paſſim radiculas nova poſtmodum excreſcentia propullulantes, ut taceam, non ita apprehendi poſſe quemvis polypum, nec avelli tam facilè, ſi baſeos maximè fuerit latioris, ſubſtantiæ durioris, ac intractabilioris, ſi verò fuerit mollior lacerationi ac partiali evulſioni, quæ fruſtranea erit, obnoxius videtur; neque vel metuendæ hæmorrhagiæ, vel graviores capitis, cerebri, ſpirituumque perculſiones ac commotiones negligi omninò poſſunt à prævidente caſus omnes operatore.

Venæſectionis præſtantiam prudentes Medici agnoſcunt, abuſum evitare modis omnibus jubent; mirabuntur igitur Dionyſii in ea adminiſtranda facilitatem nimiam, regulamque, quam inculcat, eſſe ſecandam venam in omnibus morbis, qui Chirurgi curæ ſubſunt, & in quibus ille primo vocetur loco; ſic in œdemate, in ſcirrho, in fiſtulis, in cancris ſecandam eſſe ante omnia venam, quæ quidem ſine ratione ſufficiente aſſerit, neque enim ſtringit ejus ratiocinium, ſanguinem in plerisque affectibus eſſe edulcorandum, quod fieri nequeat, niſi ablata quadam ejus per venæſectionem portione, hoc ipſum enim probandum prius erat.

Nec in omni absque exceptione ulla vulnere eam requiri, concedent ſaniores Medici, nec agnoſcent, quod allegat effatum, vel minimum vaſculum apertum non poſſe ceſſare ſuum ſtillare laticem, niſi accedat venæſectio, cum tota die ſiſtantur hæmorrhagiæ ſine venæſectione, nec venæſectio poſſit mederi omni liquorum ex ſuis vaſculis effuſioni ac exſtillationi.

In ossium fracturis ac luxationibus omnibus promiscuè idem ex eodem infirmo principio urget, neque dolores conjuncti semper & ubique requirunt phlebotomiam, neque illa adeò potens est, ac à Dionysio supponitur, ad symptomata omnia præcavenda. Hinc & id forsan hyperbolicum fuerit, quod addit, Lithotomos non feliciter curare eos, qui subeant operationem illam gravissimam, nisi crebrius illis secta fuerit vena; ad minimum connexio inter sectionem calculi, & crebram phlebotomiam haud est satis evidens, imò viribus minabitur largior eductio laticis vitalis per iteratas illas detractiones. Genuinæ semper indicationes observandæ sunt, nec cœco impetu cuivis secanda vena, nisi temperamenti, turgescentiæ, abundantiæve ratio sufficiens urgeat.

Non equidem malè monet, sermonem sibi de Lutetia Parisiorum esse, cum promiscuè adeò ac frequenter suadeat venæsectionem, neque id vel in calidioribus, vel frigidioribus regionibus æque esse licitum, quia aër hîc sit spissior, clima temperatius, cibi meliores, qui toti abeant in sanguinem, adeò ut plerique morbi ex abundantia sanguinis oriantur; neque enim hoc solum clima temperatum est, neque alibi contemnenda aut negligenda venæsectio, nullibi ad minimùm sine ratione sufficienti ac solida instituenda est illa operatio; nec respiciendum præcisè ad consuetudinem, nisi ea ipsa gravioribus nitatur rationibus.

Aneurismatis genesin non per ruptionem saltem arteriæ, ac incisionem, sed & per factam sensim sensimque dilatationem omnes agnoscunt, id verò non eadem certitudine asserit, id quod per dilatationem fit aneurisma, duas solum habere causas, internam unam, alteram externam, humores puta corrodentes extimam arteriæ membranam, ut interius pulsanti sanguini resistere ulterius sufficienter non possit, sed expandatur dilateturque, ac lanceolam præterea, quæ eadem

ratione,

ratione, extimam ſcilicet arteriæ membranam lacerando ac incidendo, interiorem reddat debilem, imparemque reſiſtendo, unde tumor enaſcatur. Vix enim dubium eſt, quin à ſtagnationibus, aliisque impedimentis ſanguis urgeri, arteriamque dilatare queat, licet nec inciſione læſam, nec eroſam ab acrimonia; quò fere pertinuiſſe in principio videtur magnum ac terribile Cel. Caroli Patini aneuriſma, adeò feliciter à D. Knipsmacopio ipſo adhuc vivo depictum ac detectum.

Suadet verò pro candore ſuo Dionyſius, Chirurgum, ſi arteriam venæ loco inciderit, neque jam errorem ſuum poſſit occultare, apertè eum debere fateri, pollicemque foramini admovere, antequam multum egrediatur deperdaturque ſanguinis, ac indicare ægro periculum ſuum, ut eò magis ſe præſtet morigerum; multum in hoc diverſus ab aliis conterrancis ſuis dexterrimis, quos ore, ſcriptisque (exemplo D. Govey) audivimus monentes, Chirurgum ne quidem ullum terroris ſignum debere edere, cum difficilè non ſit deligatione debita malum omne præcavere, hinc ſanguinem largiſſimè ad lene usque deliquium emittendum, permittendumque ſuæ proſilitioni eſſe, ut dein eò facilius ligatura coerceatur, probè adſtringenda, circumſpectéque munienda.

Notiſſimum illud phænomenon, quod ægri conquerantur de dolore membri, quod amputatione ſublatum fuit, qui & ſomnum impediat, & major ferè ſit moleſtiorque ipſo ex vulnere amputationis dolore, ex eo deducit, quod ſpiritus in cerebro ſecreti, perpetuóque ad partes amandati, cum pergere priſtino more ad partem non poſſint, regrediantur, refluantque verſus cerebrum, eumque refluxum ac regurgitationem cauſam eſſe dolorum iſtiusmodi tenſionumque violentiorum. Verùm hac via neque ratio redditur opinionis de parte, quæ non amplius adeſt, dolente, neque oſtenditur

vera

vera doloris ratio; quid enim eſt, quod eos ſpiritus violenter repellit, id quod ad doloris geneſin requiritur, & quid porrò ipſis eam pollicis, v. g. ideam imprimit, qui abeſt; ac patent his ſpiritibus aliæ in alias partes viæ. Quærenda igitur erit cauſa adæquata magis ac veriſimilior.

Vena in pede ſectâ eo indicio dicit rectè cognoſci, ſatis emiſſum eſſe ſanguinis, ſi in aqua natent parvuli albicantes vortices, qui ſint ſanguinis fibræ, rubedine ſua ſpoliatæ per aquam, ut ſub forma globoſiori adnatent pedi; fallax verò hoc eſſe criterium ultrò agnoſces, ſi nec ſanguinem habere fibras perpenderis, attendasque & tincturam aquæ, & comparentes hos quaſi vortices pendere à quantitate aquæ, cui pes immittitur, & in quam effluit ſanguis ex ſecta vena.

Circa oſſa infantum Rhachiticorum pariter ea non profert, quæ omnium probentur calculo, ſanè oſſium circa articulos intumeſcentia non à plenitudine ac abundantia medullæ, ſed pravis potius oriuntur ſuccis, qui oſſa illa, licet vel nimius adſit calor, ad dimenſionem duritiemque juſtam pervenire haud patiuntur; nec omnis, quæ pedum oſſa vel ſuperiora vel inferiora invadit curvitas, à ſolo inceſſu præmaturo, ad quem coguntur infantes, poſſunt deduci, nec remedium in ſolo ſemper decubitu vel ſeſſione inveniet, cum iſtis ipſis non rarò cauſis debeatur, multique infantes, qui maximè maturè ad eundum feſtinant, horum nihil patiantur; aliam enim ſubeſſe cauſam, eamque internam, ii facilè agnoſcent, qui Rhachitidis indolem ac varietatem ſatis ex ipſa praxi habent perſpectam.

Quod ex vulneribus ſclopetariis parum effundatur ſanguinis, eam allegat rationem, quod globus partes, quas tangat, omnes adurat, efficiatque eſcharam, ut ne tunc quidem fluat ſanguis, ſi vas amplius ſit læſum; iſtam verò à globo factam aduſtionem negant alii, nec adeò ſecuri ſunt reſpectu metu-

metuendæ in his casibus hæmorrhagiæ, cum vel aliis discant exemplis decidente eschara, post artificiales etiam adustiones, graviores eò metuendas esse ex post facto hæmorrhagias.

Circa Hydropicorum paracentesin (pag. 820. edit. Germ.) audacter pronunciat: Veteres Hydropicorum aquas quatuor vel quinque vicibus successivè eduxisse, ne ab uno extremo irent ad alterum, subitóque depleant ventrem totum turgidum, hodiè autem omnem mox illum educi ad ultimam usque guttam laticem, absque ullo subsequentis debilitatis indicio; imò & accedere nonnullos ad Chirurgum, sibique aquas illas educi expetere, iterumque ab eo recedere alacres, uti accesserant. Verùm pauci alacres Hydropici accedent hoc animo ad Chirurgum, uti ipse fatetur, nec tam tutam esse hanc operationem, nec tam utilem ac proficuam, tristis docet experientia, quæ eam sistit tanquam accelerantem fata eorum, minusque ut plurimum tutam, æquè ac pedum scarificationem, invitatricem crebram gangrenæ; nec desunt exempla eorum, qui deliquia incurrerunt, si largius paulò educeretur stagnans in ventre latex.

Mireris eum de fonticulis verba facientem ridere veterum numerosa cauteria, eorumque formas, cum tamen agnoscat, modernis relictam esse libertatem excogitandi novas eorum formas speciesque, sicque ipse ea multiplicet, quorum multiplicitatem taxat; laudandi tamen in eo sunt moderni, quod magis à cauteriis actualibus abstineant, ac crudele illud remedium non tam frequenter trahant in usum, parcantque hac ratione timiditati ægrotantium, cujus & in amputationibus, & in denudatis quoque per Gallicam luem ossibus exempla licet allegare applicandorum parcius cauteriorum mitiori methodo meritò cedentium.

Non est verò, quod rideat, ubi de scarificatione est sermo, veterum conatum, cum applicata ad verticem cucurbitula

uvulam attollere anniſi ſunt, vel applicata ea regioni ureterum nephritidi voluerunt opitulari; utut enim directè neque illa cucurbicula uvulam attollat, neque hæc calculum ex renibus ad veſicam trahat, novimus tamen magnam eſſe, ne hodiè quidem diffitentibus Medicis ſanioribus, revellentium ritè explicatorum vim, propter communes nervorum plexus, eorumque conſenſum toties toto in corpore ejusque affectibus obvium.

Uteri prolapſum Dionyſius non ea perſpicacia videtur tractâſſe, ut diſcentibus ex aſſe ſatisfiat; utut enim non pauca de utero magis minusve externis partibus appropinquante, de utero magis minusve plenè inverſo, imò propendente non ob rupta, ſed relaxata ligamenta proferat; non tamen diſtinctè ſatis vaginæ prolapſum à vera uteri procidentia diſtinguit, jungendique illi hac in parte ſunt, tum alii ejus conterranei, tum Chirurgi Belgæ, & cumprimis Cel. Ruyſchii Obſervationes, &c.

Non immeritò verò deſideres in Viro Cel. judicium, cum de prægnantis fœminæ ex utero hæmorrhagia ſermo ipſi eſt, ipſeque monet Chirurgum, ut, cum inſolitus ſanguinis ſuperveniat fluxus, ipſe experiatur ſolicitè & inquirat, an ex ipſo utero, an ex vagina ſolùm fluat ille cruor; ecquis enim Chirurgorum ſatis de hoc erit certus, etiamſi utatur methodo ab ipſo præſcripta, quæ nec tuta ſemper, nec commoda, nec prægnantibus grata fuerit, quæ attactus iſtiusmodi profundaque, & tamen incerta prorſus ſcrutinia haud æquè ferunt.

De mola, inſtituendaque circa illam extrahendam operatione, quam commendat ac deſcribit, deque earum adhæſione, ac differentiis cautelis omninò opus erit, eumque in finem obſervationes Ruyſchianæ conſulendæ. Cautéque etiam procedendum erit judicandumque circa injectiones, quas

quas poſt ſecundinæ eductionem parturientibus ſuadet adhibendas; imò, uti facile erit Siphone illo peculiari, quem allegat, injicere mundificantia in uteri vaginam, ita non idem ſucceſſus, nec eadem fuerit facilitas, injectiones in ipſam uteri cavitatem inſtituere, partibus maximè valdè irritatis, prætumidisque ex conatu.

Cautela illa quam ſuggerit pro cognoſcenda molæ præſentia, cum ſcilicet ait certum eſſe de ea Chirurgum, ſi dolores ſubinde remittant, prodeantque grumi ſanguinis ac fruſta quaſi, non contemnenda eſt, exceptione tamen ſua, uti regulæ pleræque aliæ, haud deſtituitur, cum & grumi ſanguinis obſerventur ex utero prodire, ubi mola eſt nulla, nullaque imprægnatio.

De Hermaphroditis plura docet, tales tamen perfectos dari non probat, qui verè habeant utrumque ſexum, ut poſſint, debeantve alterutrum eligere; nec levibus cautelis opus erit in præſcindenda amputandave longiori clitoride, quam ita ſimpliciter tanquam facilem commendat, & in cercoſi, quam vocat, ſeu carnea excreſcentia auferenda, cujus evulſio, æquè ac illa polypi, quam alibi ſuadet, non inter tutiſſimas referenda videtur operationes.

Cum de Hymene loquitur, eamque ſe reperiſſe membranam, contra alios negat, eos irridet, exploditque, qui impotentiam ex ligatura credant, addens per jocum, ſagas non niſi ſimplicibus, credulisque nocere, ſemperque vitium eſſe in partibus genitalibus vel viri, vel fœminæ; videat tamen quid reſpondere poſſit tot paſſim Scriptorum exemplis, & maximè Kempfero in amœn. Orient.

Sive dicas in meatu virorum urinario enaſci carunculam ſeu carneam excreſcentiam, ſive cicatrices cum Dionyſio alleges ibi ex ulceribus enatas, ſemper tamen cautè cathæretica applicanda eſſe memineris.

De Urethra propè frenulum, & non in extimo glandis aperta, non male commendat perforationem glandis, ut directa urinæ ſeminique aperiatur via; ſed hoc ſæpe fruſtra fit, cum ſcilicet glans non membranula, levique excreſcentia occluſa eſt, ſed nullum planè meatum recondit urethræ, ubi fruſtra vidimus tentatam apertionem; nec in tali caſu auſim commendare alteram, quam allegat, operationem, cultro nempe ita reſcindendam glandis partem à foramine uſque ad locum perforationis ordinarium, uti ſoleant tali ſectione temperari peñæ; periculoſa enim foret hæc operatio, nec tamen vel ſemen, vel urina directè tum prodirent, neque penis pennaeſt, nervoſaque, corpora & delicata nimis & ſanguine fervidò turgida &c.

Sectionem calculi ſuperius ac in abdominis imo inſtituendam tanquam facilem deſcribit, ac unicè commendat, ut metuendum, in praxi plus ſeſe oblaturum difficultatis, cum alias frequentior foret iſta operatio, præferreturque à doctiſſimis ejus conterraneis alteri ſatis moleſtæ ac periculoſæ.

Operoſè diſputat circa paracenteſin in hydropicorum abdomine inſtituendam, & ſcarificationem pedum, quænam harum operationum præferenda ſit; paracenteſin verò & præfert, & ſemper commendat, non ſatis forſan quoad ultimum hoc circumſpectè; ſcarificationem autem meritò proſcribit, quam citius aut tardius gangræna excipit; optimum eſt, ſi abſque utraque operatione aquæ hydropicorum, quod adeò infrequens non eſt, educantur per diureſin aliasve vias; namque & ipſæ, quas natura format, in parvulis pedum fiſſuris viæ ad corruptionem nimis facilè tendunt, quàm ut ſtabilem educto ſero promittere queant, conſtantemve curationem.

Si commendatam à ſe audacter in Tympanitide abdominis inſtrumento cannulato perforationem pro flatibus incarceratis educendis ſtabilire voluerit, nec eſſe inanem Dionyſius, neceſſe eſt, ut prius eam cum recentioribus controverſiam litémve

témve componat aut decidat, quâ obſervationibus adſtruere allaborant, non in abdominis cavo hærere flatus, ſed in inteſtinorum cavitate, de quo tamen nunc non libet plura dicere. Nec plures ex Dionyſij, principis Chirurgorum, opere cautelas diſcentibus libet extrahere, ipſi proprio marte utilius eas elicient, conferendo inter ſe tot egregios ſcriptores Chirurgicos, eoſque, ad Lydium experientiæ lapidem ulterius probando; hæc eo ſaltem animo, uti in principio fuit monitum, egimus, ut oſtenderemus, nemini, licet excellenti in ſua arte, ſine examine credendum ſimpliciter, aſſentiendumque eſſe, præprimis in arte adeò difficili atque operoſa, &c.

CIRCA MEDICINAM FORENSEM MONITA QUÆDAM AC CAUTELÆ.

SI quidem Medici officium intra ſolum conſervandi ſanitatem, amiſſamq; reſtituendi per remedia ſtudium, operámque in eo ſedulò navandam unicè contineretur, haud equidem de Medicina, quam forenſem vocant, ullo jure ſoliciti eſſent diſcentes. At verò cum ventum eſt ad exercitium ſaluberrimæ artis, adeò frequentia occurrunt neceſſitatis hujus Medicinæ forenſis ſpecimina, ut tum demum agnoſcant Medici juniores difficultatem illius, quamque illius indigeant penitiori notitia, tum pro inſpectionibus rite obeundis, tum pro judicio ex ijs prudenter ferendo.

Eòque hæc moleſtius eveniunt ſub initio praxeos, quod in Academijs rarius illa tractentur, ac pauciſſimi profeſſa, quam ajunt, opera huic tam neceſſariæ parti addiſcendæ navent operam; utut enim ij, qui anatomico ſtudio penitius ſunt imbuti atque exercitati, inſignem jam ejus ſtudij partem confecerint, operi quippe manum ſolertius admoventes co-

gnita probè partium ſtructura, ſitu, ac connexione, attamen ne id quidem ſufficit, niſi alijs porrò ſubſidijs firmatum ſit judicium, aptumque redditum ad pronunciandum cum fundamento quodam in caſibus, quales plerumque ſunt illi Medico-forenſes, dubijs atque intricatis.

Adeò ut & Medicorum Filij, & ij qui Juribus diſcendis dant operam, huius partis cultura quam maxime indigeant, eaque deſtituti non poſſint non incidere in graviſſimos errores, vel ſaltem hærere animo prorſus dubio ac hæſitante in ijs rebus, quæ planiſſimæ ipſis forent ac perſpicuæ, ſi quidem imbibiſſent ſolicite præcepta diſciplinæ huius, rarò adeò à diſcentibus ſatis evolutæ ac perſpectæ; cujus tamen inevitabilem uſus moderni fori ac conſuetudinum ejus in praxi receptarum reddidit neceſſitatem.

Nec dicas, talia quidem in Profeſſoribus, ac tribunalium Aſſeſſoribus requiri, quorum quidem Ordinibus Studioſorum pauciſſimi inſerantur; palam enim eſt officia illa ijsdem diſcentibus committi, non habita ſemper aptitudinis ſufficiente cura ac dijudicatione; nec ignorat quiſquam, quàm indigeant hac notitia tam Advocati, quàm potiſſimum Phyſici, à quibus præter inſpectionem requiri judicia frequentiſſimè notiſſimum eſt.

Cæterum in rei iſtius acquirenda notitia diligentia diſcentium atque, aſſidua applicatio excitanda eſt; Vaſtum enim ingreſſi ſunt mare, quò igitur inter undas fluctusque circumſpecte ac prudenter navigare valeant, conſilio quàm maxime indigent; neque omnes promiſcue dandis hic conſilijs apti ſunt; neque qui aptiores tantæ rei videri queant, illi ſe applicare hactenus ſufficienter voluerunt; utinam autem in hanc arenam deſcenderent, non qualicunque quidem ſcriptione, ecquis enim ignorat Scriptorum Medicorum innumeros labores,

bores, ſed talibus adhuc ſcriptis hoc in genere deſtituuntur diſcentes, quæ inter diſſentientia, obſcuraque partim Scriptorum placita, tanquam totidem vel ſcopulos, vel Labyrinthos, Regiam monſtrare valeant viam.

Forenſis enim hæc Medicina ſatis adhuc intricata eſt, nec eſt, qui proprio marte extricare eam mox valeat, ob Veterum non modo ac recentiorum diſſenſus ac contradictiones, ſed & ob Neotericorum modernique ævi Scriptorum diſſidia, quæ conciliare obvium adeò ac facile non eſt. Multa hoc in genere proſtant egregia paſſim ſcripta, ſed nec in ijs harmonia eſt, aut talis conſenſus, quem commendare diſcentibus ac pro norma ijs proponere queas.

Quisquis hîc conciliatorem cum fructu velit agere, is & edecumata excellat eruditione judicioque, neceſſe eſt, & tempore abundet ac valetudine firma, quæ ſufficiat tantæ moli, tantoque operi, P. Zacchiæ volumina facilè ſuperaturo.

Non deſunt interea ſcripta, quæ conſuli cum fructu queant, aliunde ſatis nota, v. g. Fort. Fidelis, ipſius Zacchiæ, Sebizij, Welſchij, Ammanniana valdè utilia, ac potiſſimum quicquid in hoc genere dedit Cel. Bohnius &c. Sed hærebit tamen ſubinde aqua & Scriptoribus illis, & conſulentibus eos, imò non rarò magis hærebit, quò plures conſuluerint.

Res enim iſtæ Medico-Legales plerumque obſcuræ, intricatæ, perplexis veſtitæ circumſtantiis, ac in individuo caſibusque ſpecialibus mirè variantes, artibusque ſubinde diſtortæ, atque infelicibus inſufficientibusque vel culpa, vel dolo, vel ſimplicitate atque ignorantia inquirentium actis involutæ ſunt. Felix, qui filum Ariadneum, timorem Domini, ſapientiam divinam, aſſiduas ac perpetuas preces, ſolidam ſcientiam, judicium firmum limatumque, ac animum denique ab omni præjudiciorum genere liberum invenerit ac poſſederit.

Facilè

Facilè enim in hoc ſtadio eſt ferri in devia, hinc talia diſcentibus ponenda ſunt fundamenta ac firmanda, quibus tutò olim inniti queat vaſta rerum agendarum moles; quo ſi deſtituantur, ac ſubſidiis modò recenſitis, non tam ex Legibus Medicinæ, nec ex Medica arte Legibus affundent lucem, quàm majoribus utramque incertitudinum dubiorumque nebulis involvent.

Eò enim incumbendum eſt Filiis Jureconſultorum, ut ſciant, quo caſu, quibus circumſtantiis, quibus datis ac requiſitis, ac qua denique evidentia Medicis ſua exponere dubia, atque ab eorum judicio expetere atque expectare eorundem ſolutionem deceat.

Quemadmodum & Medicorum Filiis id diſcendum maximè eſt, qua debeant evidentia, atque ingenuitate reſpondere ea, quæ ſint veriſimiliora, datisque convenientia; neque enim expetere ab iis evidentiam ſemper omnimodam ac plenam certitudinem poſſunt Legum Doctores, ſed talem, quæ congruat, atque analoga ſit Actis, quæ ipſis obtulerunt, atque ex quibus ferre judicium debent; acta enim talia reſpondent Mathematicorum datis, ex quibus vel poſſibilitas vel impoſſibilitas ſolutionis problematum pendet. Ne cum acta ipſis ſubminiſtrant incerta, inſufficientia, imprudenter conſignata, Protocolla, quæ vocant, inepta, fruſtra inquirentes in corpus delicti ac præcipuas circumſtantias cumprimis ſcitu neceſſarias Jureconſulti, à Medicis, non ſine quadam eorum injuria, extorquere quaſi velint certitudinem, quam dare ipſi actorum nævi haud patiuntur, quo ipſo crucem quidem ipſis ſubinde figerent, nec tamen ſuæ conſulerent ſatis conſcientiæ, etiamſi liberius forſan Medici, ac ulterius, quam par eſt, judicando fuerint progreſſi.

Cæterum non exiſtimandum eſt, ſi qua in re occurrant præju-

præjudicia, & receptæ à Jureconſultis alicubi de generali quadam theſi ſententiæ, Medicorum judicium in caſibus ſpecialibus haud eſſe requirendum, nec circa ejusmodi caſus eorum ſcholas eſſe unquam conſulendas, cum infinitis variari modis circumſtantiæ ſpeciales in Caſibus paſſim occurrentibus queant, nec omnimoda ſemper certitudine ac perpetua evidentia præjudicia iſta ac opiniones præconceptæ polleant.

Malè ex adverſo ageret, qui cum evidentia ipſi planaque acta, aut talia ſaltem offeruntur, ex quibus adhibita meditatione ac induſtria ſufficienti evidenter elicere verum, apertéque valens decidere, rem intricare potius, ambiguis reſpondere terminis, crucemque alijs temerè figere gloriæ ſibi ac ingenio ſuo laudi duceret.

Ne & præjudicia, aut præceptorum, Scriptorumve celebrium autoritas imponant Tironi, mentem oportet gerere à præjudiciorum ſervitute liberam, proprijsque utentem cum circumſpectione oculis, nec fidentem tantum alienis, tum ob theſium generalius ſæpe formatarum inſufficientem evidentiam, tum ob caſuum ſpecialium incredibilem varietatem, ac circumſtantiarum infinitam ferè combinationem. Eo pariter candore agendum in his tam gravibus negotijs, ut cum manca ſubinde, mutilaque, & inſufficientia offeruntur acta, nunquam ad ingenium judiciumque oſtentandum ea quaſi ſupplere quiſquam audeat, ac quod veriſimiliter, cautéque aut limitatè aſſerendum erat, pro certo indubitatoque id præſumat venditare.

Ac talium quidem monitorum neceſſitas vix poterit pro merito à quoquam æſtimari, niſi cum aliquando ad rem ipſam praxinque, ventum eſt. Ac pronunciandum in caſu graviori; eoque, majori aſſiduitate ac ſolicita prorſus cura omnem diſcentes impendant operam, ut meliora hoc in genere ſcri-

pta attentè legant, animoque imprimant, non miſero ac ſervili ſcopo, cœco omnibus ductu ſubſcribendi, ſed eclectico, non ſcepticorum in morem dubitante, ſed nihil ſine juſto examine admittente animo.

Ac ſi quidem aliqua in ſequentibus exempla videant ſubjuncta ex Authoribus, ne quæſo aliam nobis affingant mentem, nec perſuadeant ſibi hoc temerè fieri, ac ſi ex arbitrio noſtro inepto cenſeremus pendere magnorum virorum placita ac pronunciata; ſed potius hoc agimus, ut veram diſcentibus veritatem amantibus libertatem commendemus, quæ cum probet omnia, nonniſi bona, multoque firmata robore retinet, ſuaque facit. Non eſt quod cuiquam credatis, niſi cum vera dixerit, veritatis verò lux ſuos facile radios in animum ejus cupidum ſpargit, ut in alijs quoque latentem hactenus detegat veritatem agnoſcatque haud difficulter. Nec pravè judicandum eſt de liberis docentium circa Summorum Virorum placita judicijs, non ideò quidem laris, ut cenſoria ſaltem alios notent virgula, ſed ut inſerviant diſcipulis, eoſque fidelius manuducant ad regiam veritatis arcem.

Utinam verò, qui talia tractant, diſcentes rectius ſuis attenderent rebus, dum meliores vitæ agunt annos, conſecrarentque hunc vitæ ſuæ florem non delicijs atque molli otio, ſed Domino ac Deo ſuo, animæque ad optimum Patrem, patriamque veram reducendæ. Pendebit enim brevi, cum Academias, Præceptoreſque reliquerint, ab ipſorum nutu, utinam Divino nutui, voluntatique perpetuò conformi, plurimorum Salus, Vita, ac Sors mortalium. Pendet ab iſta re Æternitas. Hæc igitur aſſiduè ipſorum obverſetur menti, ac temporalium, evanidarumque rerum exile pretium vividè ipſis ob oculos ponat. Sic magis ſibi haberent commendatas preces continuas, fiduciamque in Patre cœleſti unicè reponen-

ponendam, ac vitæ haud fucatam Sanctimoniam; nil ſine his ſolidi, nil perennaturi, nil denique verè profuturi animabus omni Studiorum curſu efficiet quiſquam, omnive quam impendet opera. Quiſquis Philiatrorum Tironumve Medicorum vaſtum Pauli Zachiæ Opus legere cum fructu voluerit, inſigni jam rerum Medicarum notitia inſtructus ſit oportet, eò magis, quod alia ſit Medicinæ modernæ facies, mutationesque variæ ab iſto editi primùm hujus Operis tempore in dogmatibus ejus factæ ſint, variaque incrementa illi acceſſerint; neque exiſtimandum inutile ideò redditum fuiſſe tam elegans opus, modò legentes ſufficienti artis ſcientia imbuti judicium afferant ad lectionem ſolidius, quod effata ſummi viri, cujus judicij exaſciati acumen non poterunt non mirari æqui ſcienteſque rerum arbitri, conferre cum hypotheſibus modernis, iiſque applicare ſine partium ſtudio prudenter valeat. Is verò magnum operæ pretium fecerit, qui ſolida artis ſcientia, multaque, experientia inſtructus, atque à partium ſtudio alienus, eclectica methodo integrum illud opus ad modernæ faciem Medicinæ per omnem doctiſſimæ molis ambitum ſolidè conformaverit atque immutaverit. Donec verò id negotij Magnorum Virorum aliquis, vel plures etiam diviſa in eos opera ſuſpiciant magno reipublicæ emolumento, ſupplere defectum hunc diſcentes ſtudebunt tum Præceptoris ſolidè docti manuductione, tum proprij ingenij, judicijque ſedula applicatione, collatis decenter recentiorum ſcriptis eò pertinentibus. Ditiſſimus enim theſaurus eſt liber iſte, ſupplendus tamen ſubinde ex alijs fontibus recentioribus. Intueamur vel obiter nonnulla ex ipſo operis vaſti initio primisque paginis, neque enim ingredi ultra limina ſinit ſcopi nobis præfixi ratio.

Circa ætates (quarum tractatione opus ſuum orditur

Zacchias) id potiſſimum annotandum; Medicis non eſſe integrum novi quidpiam ſtatuere, cum ſe ad ea teneantur conformare, quæ dudum à Jureconſultis ſunt ſtatuta ac recepta; hi enim fixos ſibi ætatum terminos formarunt, cum tamen iſtæ vitæ humanæ periodi quà individua mirè varient, nec eodem annorum limite exactè circumſcribantur.

Hinc eſt, quod Zacchias retineat meritò ſeptenarium ætatum numerum, tanquam receptum, qui aliàs maluiſſet quaternarium ſubſtituere ac ſupponere, juxta numerum quatuor temperamentorum, quorum ſingulas mutationes quivis, ipſo judice, reſpectu ſui ipſius experiatur, modò ad debitum vitæ terminum pervenire illi fata concedant. Sed non eſt, quod huic quaternario ulla ratione faveat, cum nitatur fundamento tam incerto, tam inſtabili, & prorſus arbitrario, commento ſcilicet quatuor temperamentorum, quorum vel plura pro lubitu eſſe queant, & conſequenter reſpondeant æquè incertis quatuor elementis, ac quatuor inde fluentibus qualitatibus primis, gratis quidem ita dictis.

Si infantia dicatur illud tempus, in quo homo expeditè ac ordinatè loqui non poteſt, nulli erunt certi infantiæ ſtabileſque termini, æquè ac ſi vocis aſperitate, vel dentitione, vel inceſſu eam velis circumſcribere; hæc enim mirè variant quà individua, nec balbutire infantes ſolent æquali eodemve temporis ſpatio, nec eodem intervallo temporis deſinunt balbutire.

Vita licet in conceptione initium habeat; Ætas tamen ſeu vitæ tempus ac duratio rectè dicitur numeranda non à conceptionis, ſed nativitatis die, de noctu verò natis certum equidem eſt, quod notatur, ante mediam noctem natum natalem habere diem noctem hanc præcedentem, ſin autem poſt, à die ſubſequente, cum dies à media nocte incipiat; ſed

ſed hoc ipſum certis in caſibus difficultati atque incertitudini erit obnoxium, cum pendeat ex incertitudine horologiorum vulgarium ac publicorum, ac hominibus ſæpe non ſatis attentis, quæ horologia cum integra non raro hora abſint à vero cœlique motibus reſpondenti tempore, nunquam certus eris de media nocte, certave hora, unde & thematum genethliacorum incertitudo naſcitur, eorumque omnium, quæ ex præciſo ſtatuti temporis ſiderum ſitu pendent, &c.

Circa comparationem infantis cum furioſo, circa pueritiæ ac pubertatis annos, uſumque rationis rectum ac ſolidum, non pauca tibi occurrent monenda ac notanda, ſed hæc jam deciſa ſunt in jure; tritum verò illud: Malitia ſupplet ætatem, ſatis oſtendit, non ſemper attendi præciſum numerum annorum, ſed & iſta pro individuorum ratione mirè variare, nec poſſe & has regulas ſine exceptione habere locum, ita, ut pubertas non tam annorum exacto numero, quàm virium roborisque ἀκμῇ cognoſcatur, quò non parum confert ipſa regionis, in qua talis vitam & aſpexit & degit, ratio.

Docet id regio, in qua ſcripſit Zachias, ubi præcocem eſſe pubertatem, matrimonia præcocia ſatis oſtendunt; quanquam & in eadem regione ingens ſit varietas; menſtrua enim, quæ hîc potiſſimum attenduntur, admodum inæquali principio fluere deprehendimus, ac ratione individuorum, temperamentorum, atque Idioſyncraſiæ ingentem quà tempus erumpendi latitudinem habere, atque obſervare; cumque Virginibus nonnullis decimo quarto erumpant anno, aliis ne decimo quinto quidem vel ſexto, ſed pluribus 18. 19. aut 20^mo demum illum abundantis pro futura fœtûs nutritione ſanguinis fluxum patientibus.

Citius pubeſcere dicitur fœmina, quàm maſculus ob naturalem ejus imperfectionem, & ob innatam ſui temperamenti humiditatem, cum ſemper perfectum citius quam im-

perfectum augeſcat & abſolvatur; quæ quidem ratio infirmo nititur fundamento, cum fœminæ corpus nulla ratione ſit imperfectius, nec illi ulla in re, vel artificii ſummi præſtantia, cedat, quodvis in ſuo genere perfectum eſt, neque ſatis fundata eſt illa originalis humiditas major in fœtu fœminino; eadem eſt ovulorum ratio, eadem radicum in utero agendarum, ac nutrimenti, eadem ſecundinarum ſtructura, omnia paria; alia ſubeſt ratio pubeſcentiæ, quodammodò celerioris, activitas ſcilicet virilis ſeminis major, quod principii activi habet rationem, à quo ovula fœmellæ patiuntur, ſuſcipiuntque actionem, tam penetrantis, ac ſpirituoſi fluidi; quid mirum ergò, ſi tardior paulò ſit tam actuoſi principii vigor, cum facilius ſit pati, quam agere.

Rectè omninò impuberi ad ſua propria curanda Curator datur, excluditurque per leges à gerendis negotiis; nec diſpliceret ratio, quæ allegatur, quod nimis à paſſionibus vincantur impuberes, & in voluptuoſa impetu quodam ferantur, ſi quidem videremus termino pubertatis elapſo minus homines à paſſionibus vinci, minorique impetu in voluptuoſa ferri, quod, ſi de quibusdam, iisque paucioribus, dici queat, de plerisque optandum magis eſt, cum fortius eo, quam impuberes abripiantur.

Dictum ſupra eſt, Medico ſenſu aliter ætatum rationem determinandam eſſe, quàm per ſtatutas annorum periodos, pro temperamentorum, roboris, ac vigoris citius tardiusve creſcentis ac decreſcentis gradibus, quæ exacto temporis ſpatio non annectuntur, ſed inſignem habent quà partium tonum, fibrarumque robur augeſcens ac decrementum rurſus capiens latitudinem. Hanc tamen nimiam aſſignant ii, qui vel ex intrinſeco temperamento, vel ex morbo non juvenem modò, ſed & puerum immatura ſenectute præoccupari ſtatuunt, ita, ut moriatur homo etiam in ipſa pueritia in

ſumma

ſumma ſenectute, ac decrepitate, quæ ſit mors maximè naturalis, ſi quæ alia, quæ ſcilicet ab humidi conſumtione & calidi extinctione eveniat.

Nimia, inquam, hæc latitudo eſt; utut enim reſpectu eorum, quæ ſeni ob corporis infirmitatem, & ipſius ſenectutis incommoda à legibus conceduntur, etiam hic, qui vel ex morbo, vel ex ſui natura ante tempus ſeneſcit, debeat dici ſenex, & ſenum privilegiis gaudere; quoad ea verò, quæ ſenibus ob rerum experientiam, notitiam, ac prudentiam tribuuntur, ſenum privilegiis minimè frui debeat; ad pueros tamen iſta jam dicta latitudo extendi non debet, illi, quantumvis debiles, ſenes dici non poſſunt; alia ratio eſt hominis, qui per aliquot jam ætatum gradus tranſiit, cujusque fibræ per uſum plurium annorum jam magis attritæ, duratæque ſunt, ſicque ſenum referunt ut cumque exſuccas fibras, (quæ in ſenibus circa majora cordis vaſa ſæpe in oſſeam indurantur ſoliditatem,) ac ſenium proin patiuntur ante tempus conſuetum; pueri verò vel atrophia, aut tabes, aut rhachitica diſpoſitio non ideo ſenium erit, quod ſit debilitas; annon enim vegeti dantur ſenes in ſuo genere, & verè tamen ſenes, nec idem omnium eſt torpor. Debilitas, conſumtio, teneritudo partium, ac ſenium idem non dicunt.

Mireris verò additam prioris effati rationem, quæ ad mentem Ariſtotelis dicit, juvenem non poſſe eſſe ſapientem, quia prudentia requirat experientiam, quæ indigeat tempore; ac cum ob eandem prudentiam, ac rerum experientiam ſenes honoribus afficiantur, non erit hic, ut ſenex honorandus, quia ab eo prudentia ob annorum defectum exhiberi non poſſit. Quaſi verò ſenio ſoli alligata ſit ſapientia! Quantus ſenum numerus? quanta ſapientum raritas? multa ubique experientia, parva raraque ſapientia; non ſufficit ad ſapientiam experientia, niſi hac rectè utaris per ſapientiam jam

præſen-

præſentem. Juvenis vera fide Deique per hanc lumine gaudens ſene experientiſſimo naturæ viribus relicto ſapientior eſt; nec annorum numero menſuranda ſapientia, ſed fidei gradibus, Spiritusque ſancti lumine ac donis. Timor Domini eſt initium ſapientiæ, timor verò Domini etiam in juvenem cadit, & multi ſenes eo deſtituuntur. Ut taceam ſenes bis pueros, &c. Neque verò immittere in hanc meſſem falcem licet profundius, retinet manum ſcopus noſter; hac enim ratione ipſi diſcentes in cæteris quoque ponderare dicta Zachiæ poterunt. Nobis ex Recentiorum quoque ordine aliquis adhuc eſt attingendus, eadem quidem Methodo, ut diſcant Tirones penſitare inter legendum hypotheſes Authorum, neque omnia promiſcuè admittant, quæ ſæpe pro arbitrio dicuntur, ac quaſi ex tripode pronunciantur, cum exiguam veritatis in ſe vim habeant, oſtendantve.

Pauli Ammanni, Profeſſoris Lipſienſis Irenicum Numæ Pompilii cum Hippocrate, quo veterum Medicorum ac Philoſophorum Hypotheſes in Corpus Juris Civilis pariter ac Canonici hactenus transſumtæ à præconceptis opinionibus dicuntur vindicatæ, habet omninò, quod commendari mereatur, eruditionem, ingenium, judicium atque experientiam Authoris edecumatam, nec deſunt tamen, quæ diſpliceant animo veram ſapientiam, pietatemque ſectanti, ſatyricum ſcilicet ſcribendi genus, atque aliqua ſubinde ſpurcitie verborum jocorumve fœdatum.

Erunt ex diſcentium ordine, quibus vel hoc ipſo ex capite jucundior acciderit libri lectio, quos equidem monendos cordatè cenſeo, ut utrumque illum characterem, Deo, probisque hominibus inviſum maturè deponant, atque ab eo abhorrere diſcant, ne ſera demum pœnitentia defleant omnem illam, quam in ludicris illis, ut putant, innoxiisque jocis inveniſſe ſe putarant jucunditatem. Sunt igitur quærendæ hic

in

in ſterquilinio quodam Margaritæ, utinam puras eas, ſolasque dediſſet doctiſſimus Vir, artisque peritiſſimus.

Nil dicam de Numæ Pompilii Dialogo cum Hippocrate, neque enim is ad noſtrum pertinet ſcopum, ſed de authoritate potius Medicorum veterum, deque novorum inventis, acerba ſemper atque aculeata perſtrictis ſatyra. Multa ibi erudita, multa utilia monita, eaque liberrima, & plures acriter perſtringentia, non eâdem ſemper æquitate ac ſoliditate, cujus vel unicum dabimus de Liene exemplum; dicit: Lienis ſtructuram mirificam debuiſſent Græci & Arabes limatius contemplari, ſic Augiæ ſtabulum ex eodem non exſtruxiſſent, dum eum receptaculum humoris Melancholici eſſe arbitrati ſunt; quandoquidem Franciſcus Ulmus ſpirituum vitalium rudimentum, non ſine rationibus ibidem collocat. En uno ſibilo ac flatu quaſi exploſos Græcos, Arabesque omnes, prælatumque illis nullo ſuo merito Ulmum; qui ne junctis quidem Ammanni viribus atque argumentis hoc Lieni officium ullo meliori titulo adſcripſit, teſte omni Medicorum modernorum choro, quorum nemo eum Vitalium ſpirituum officium, vel rudimentum auſit dicere. Sic ſæpe incerta rejicientes, falſa ſubſtituimus, ne nihil vel dixiſſe, vel exprobraſſe veteribus videamur. Cætera iſtius Hippocratis effata nunc tranſeant; accedamus ad Irenicum.

Quærit I. an bilis atra, vel humor Melancholicus in corpore humano poſſit cauſari delirium? Occaſione L. 2. ff. d. ædil. edict. Melancholici propriè ſunt illi, qui atra bile vexantur, quæ atra bilis fex eſt, & ſedimentum vel amurca ſanguinis, cujus ſedes eſt in lienis vena cava; item: quod Melancholicis Venus remedeatur. Sic dicit nugatos eſſe Aretæum, aliosque Veteres & Sennertum. Operosè ac ſarcaſticè atrum bilem exſibilat, nec tamen eſt, quod Legi exprobret, cum ne hodiè quidem claram intricatorum Melancho-

liæ ſymptomatum, cauſarumque ideam ſatis claram habeamus, nec ipſe eam declaret, ac de ultimis Legis verbis, ſeu ope Melancholicis à Venere expectanda prorſus taceat, quæ tamen magis merebantur diſcuſſionem & explanationem.

Rectius forſan ſolidiusque egiſſet, ſi Melancholiam Phrenitidemque in morbis, in puerperio, cum febri juncta, probè diſtinxiſſet à Melancholia Chronica Hypochondriaca, ac Mania cum his complicata; ipſius caſus atram bilem, ſeu bilem delirii authorem in aliis caſibus non ſatis excludit, ac deſtruit. Quis neget bilem deſciſcentem Delirii authorem eſſe poſſe; hæc puerpera non obſtat, quæ acutè deliravit ex febri ſupervenienti ſuppreſſioni Lochiorum. In Liene quidem non eſt, quod talem quis quærat bilem; peccat tamen in Melancholicis ea ratione bilis, ut ſubinde hoc nomen mereatur.

Quæ de ictero, ſcorbuto, ſcirrhis, ac cancro dicuntur, maturius merentur merentur examen, nec ita abſolutè recipi poſſunt. Pleraque tamen ad jocos Satyramque ſpectant, quæ profert. 1. Suppreſſio Lochiorum poteſt omninò delirium efficere, ſed ordinariò cum febre primùm, ſpiritibus demum poſt ſanguinem turbatis. Alia ratio eſt delirii Chronici, ac Hypochondriaci; hæc rectius diſtincta Ammanno diſtinctiorem deciſionem magisque fundatam ſubminiſtraſſent, ac ſolutionem ſimul quæſtionis alterius intactæ de ope Melancholicis à Venere ſperanda; reſpiciendo ſcilicet ad caſus furoris uterini, ſalacitatis, ac retenti ſeminis, extra quos graviſſimam potius afferre queat noxam.

2. Satanæ in his morbis efficaciam ac concurſum nemo prudens in certis caſibus negaverit, ſed nec ille ad ſolitudinem ſe adſtringi patitur, in media turba vel maximè tentans homines, nec ſolitudo in ſe magis iſti favet.

3. Ter-

3. Terror ex aſpectu & voce Mendici elinguis directè non ſufficit ad delirium inferendum, ſed indirectè demùm hîc concurrit, ſiſtendo Lochia, febremque excitando.

4. Paralyſin brachii, dicit Ammannus, ſine dubio cauſatus eſt diabolus Myriotechn. ut miſeram ad deſperationem adigeret; ſed cur diabolo adſcribamus hanc Paralyſin facilè ab eadem cauſa Lochiorum ſuppreſſorum derivandam, imò potius divinæ providentiæ adſcribendam? quia ipſe dicit, actutum fuiſſe correptam Paralyſi brachii ſiniſtri, poſtquam ad inſtantiam Cacodæmonis infanticidium voluiſſet ſuſcipere, ipſe igitur paralyſin contra propria commoda non effecit; quicquid verò horum ſit, ex tali ſaltem ſpeciali caſu tam generalia non erant ſtabilienda circa cauſam Melancholiæ, ac bilis corruptæ ad hunc effectum, aliosque affines ineptitudines.

Quæſtioni: An Conceptio medicamentis juvari vel impediri poſſit? anſam ſuppeditat Michaël Bondecoyns in ventilabro ſuo Medico-Theologico, quem Ammannus occaſione medicamentorum ſeminis generationem impedientium & augentium, tandemque ſtimulantium &c. falsè ridet, cum deberet potius argumentorum evidentia, & rerum ſolicita perveſtigatione, quam jocorum farragine rem difficilem expedire; utinam abeſſent ſpurcitiei crebriora ſpecimina. Explodit remedia omnia, quæ extinguere dicuntur genituram, aut refrænare ac moderari ſeminis ubertatem, ac proventum; agnum caſtum, rutam, camphoram, Eſſentiam caſtitatis; ſed ab his ſpecialibus exemplis, nullo argumentorum robore, vel etiam ſpecie rejectis, nec ſatis penſitatis, ad negandam vim omnem medicaminum quorumcunque ſemen coërcentium ac moderantium ſequelæ vis nulla eſt, nec formari debet regula; cum enim liceat omninò & ſalacitati, ſtimuloque acris ſeminis, & pollutioni nocturnæ, nitroſis

maximè ac temperantibus remediis efficaciter occurrere, quis non videt facilè jocosa ista ratiocinia ipsis experientiæ testimoniis reprimi ac retundi, nec talia deesse, quæ generando largius, & excernendo frequentius, faciliusque semini ponant obicem medicamenta, cum prudenti ac Christiano vitæ genere si conjungantur. Ut taceam, cum de genituram extinguentibus sermo est, ea plerumque intelligi, quæ abortum provocant, utut in sensum utrumque trahi verba queant.

De Aphrodisiacis, semen augentibus, Chocolata, Herba Theé, Radice Gensing, Nidis avium &c. eadem ratione concludit, ea nihil ad generandum conferre, nec conceptionem juvare, quanquam sibi vix videatur constare, cum largitur potum Chocolatæ aliquid conferre, tanquam eupepton ad chylum & sanguinem optimum conficiendum, quo ipsi semini largiorem materiam, ac pleniorem spirituascentiam, & consequenter adjumentum conceptioni insigne conferet.

Et cum Aphrodisiaca illa, quæ stimulando, acriusque efficiendo, quasi semen agere dicuntur, nihil ad robur genitalium partium facere asserantur, in eo tamen latet fallacia, cum non quæratur, an talia augeant ipsum robur internum istarum partium, sed an stimulando eas excitent, atque ad tempus aliquam exserant efficaciam, id quod fieri omninò potest, sine augmento roboris partium in se spectati, ac reipsa fit ab impuris hominibus, cujus triste etiam ob dosis excessum novimus exemplum in assumtione cantharidum, ut sic obloquatur in hoc negotio experientiæ ratiocinium turpiloquiis plenum.

Quid verò de conclusione dicemus, quam subnectit: Ergò ex præmissis ad ravim usque probatum, conceptionem nec juvari, nec impediri posse, nisi quod dentur medicamenta uterum purificantia, & præsidia Chirurgica, quibus in Viris

v. g.

v. g. Phimoſis, in fœminis arctitudo uteri removeatur, quæ aliquando, ſed non ſemper conceptionem juvant; aſt quod impedientia ingravidationem dentur, non recordor, niſi planè poſt quamvis cohabitationem uti vellet menſtrua, vel genituram aut fœtum pellentibus, quod tamen magis in Dei potentia, quàm Medici, vel mulierum voluntate ſitum eſt; nam omniſcius ille Deus Medicum, quem ingravidatio fugit, etiamſi talia medicamenta perſuaſus adhibet, potentiſſimè ſecundat reſiſtendo, vel impediendo pharmacorum efficaciam, ne abortus ſubſequatur, quod praxis quotidiana cuilibet manifeſtat. Nec enim ipſi permiſſum eſt inquirere in virginum mores, præſertim quando in lecto jacentes ſuppreſſionem menſium ſimulant, & hoc ipſo diſſimulant ingravidationem, hîc omnes Medici deberent eſſe lyncei.

Hæc ſanè concluſio, niſi me omnia fallunt, contradictionem involvit manifeſtam; ſi enim dentur menſtrua, genituram, aut fœtum pellentia, ſi abuti iis veſanæ mulieres, ut loquitur, poſſent, non igitur ad ravim usque probatum eſt, conceptionem nec juvari, nec impediri poſſe, ſed contrarium eô ipſô inde infertur, atque ſua ſponte fluit. Requirit enim ipſa formalis ratio generationis atque conceptionis, ut ovulum ſeminis virilis miaſmate halituque imbutum atque excitatum, & ex ovario protruſum, perque tubam in uteri cavum provolutum, minimis placentæ ſurculis, atque rudimentis ejus villis adhæreat, concreſcatque quaſi & inoſculetur, adhæſione indies nouis ſurculis ac radiculis, quaſi ulterius extenſis, intimiusque lateribus uteri unitis magis firmata.

Si igitur dentur medicamenta, uti dantur omninò, ipſeque agnoſcit Ammannus, quæ laceſcere uterum, irritare ejus fibras, ac vicinas quoque partes muſculosque, ac proin ſtricturas excitare, ſpaſmosque & conſtrictorios conatus

poſſunt, ut facilè tam tenella adhæſionis ad uterum ſtamina vaſculaque ſolvantur, aut rumpantur, ſi talia aſſumi poſſunt, quæ orgaſmum ſanguini ac humoribus inducere, eos exagitare, ſtaſes efficere, & ſic tenerum germen lædere valent, uti omninò & directè & indirectè tum emmenagoga, tum purgantia, aliaque eâ virtute pollent; ſi, inquam, hæc evenire poſſunt, erit quoque demonſtratum, generationem, conceptionemque, vel quod eodem recidit, ejuſdem conſervationem lædi poſſe. Haud igitur ſatis conſideratè hoc in negotio is loquitur, qui talia elevare audacter ſuſtinet, cum deberet ex officio de poſſibilitate tanti criminis, ejuſque tum, executionem ſi ſpectes, facilitate, tum enormitate alios erudire, exulcerato præprimis hoc fœdoque ſeculo, quo infames conceptionem impediendi factamque deſtruendi modi frequentiſſimi ſunt, magnoque à peſſimæ vitæ hominibus ſtudio excoluntur.

Addit quidem, ſi quæ in favorem Clar. Viri excuſatio quærenda videatur, hæc medicamenta eorumque effectum magis in DEI potentia, quam Medici, mulierumque voluntate ſitum eſſe. Et negari quidem minimè debet, ea hoc in genere ab attentioribus obſervari poſſe ac ſolere, quæ in admirationem rapere eos valeant, qui penitius norunt conceptionis negotium & modum, ac vitalium embryonis ſtaminum teneritudinem, cum videat, eos etiam fœtus, divina favente & per miraculum quaſi aſſiſtente providentia, ſervari atque ad plenum perduci maturitatis tempus, pro quorum depulſione, atque ejectione, tum fortiora purgantia, tum ſabina, laurique baccæ, & plurima alia fortiora emmenagoga, ligaturæ enormes, ſtricturæque violentæ, imò & adminiſtratæ in pedibus venæſectiones in ſubſidium à mulieribus maleferiatis vocatæ ſunt, ut non obſtante tam inſolita, fre-

frequentique, ac vivida irritatione, ac laceſſitione, fibræ tamen vaſculaque firmiter uterinis maneant affixa tubulis.

Quæ res eò plus monſtri alit, vel potius eò clarius bonitatem Divinam manifeſtat, quò facilius aliàs à leviori occaſione terroris, triſtitiæ, ſuccuſſionis, elevati ponderis, medicamentis incautè ſumtis, ac ſimilibus, ſubinde ſatis exilibus irritationibus fœminæ honeſtiſſimæ magno ſuo luctu abortum patiuntur, nulla ſæpius arte cohibendum, avertendumque.

Quò tamen etiam temperamentorum, roboris fibrarum, ætatis, temporis à conceptione elapſi, animorum, aliarumque circumſtantiarum diverſitas utrinque multum contribuit. Et hæc ipſa quidem omnem hanc ſufflaminant excuſationem Ammannianam, cum equidem crebrò ita agat providentia, ſed nullis tamen ſe legibus adſtrinxerit ſemper cohibendi malitiam iſtarum mulierum, ſemperque manet incertitudo, an ferre tale quid embryonis teneritudo, uterique ſenſibilitas atque ad irritationem ſuſcipiendam aptitudo major poſſit.

Gratis igitur dicit: Omniſcius ille Deus Medicum, quem ingravidatio fugit, etiamſi talia medicamenta perſuaſus adhibet, potentiſſimè ſecundat, reſiſtendo, vel impediendo pharmacorum efficaciam, ne abortus ſubſequatur; Utut enim praxis talia offerat exempla, minimè tamen iſta ſecurum redre debent Medicum, vel audacem in tentandis temerè tanto animæ periculo remedijs; hoc enim eſt tentare Deum, ejuſque bonitati illudere atque inſultare, gratiaque ejus turpiter abuti; is potius, cui tale quid felicíter ceſſit, grates Domino agat, ſi bonus ſit, cautiorque indies evadens ſuſpenſo in re tam delicata incedit pede, & quidni audeat inquirere penitius, aut ſaltem, ſi nimia ſit in ſignis incertitudo, abſtineat à remedijs fortioribus ac emmenagogis, fortius uterum urgentibus, agatque

que tum magis palliativè, taliaque exhibeat, quæ cum prodeſſe poſſint matri, fœtui tamen nocere non poſſint.

Quæ cum ita ſe habeant, non video, quid Ammannus deſiderare queat, aut reprehendere in transſumta l. 3. §. 2. ff. ad Leg. Cornel. Ex Senatus-Conſulto relegari etiam juſſa eſt, quæ non malo quidem animo, ſed malo exemplo medicamentum ad conceptionem (impediendam) dedit, ex quo ea, quæ acceperat, deceſſerit. Adverſus hanc enim Legem univerſa iſta incohærenter ſatis dicta nihil faciunt ad Rhombum.

In quæſtione ſequenti: Utrum fœmina ſit πολυτόκος, vel multipara naturaliter? rectè carpit Ariſtotelem, judicatque eum uterum humanum nunquam vidiſſe, cum ſcribat: Quinque naſci poſſunt, quia vulvæ mulierum totidem receptaculis præditæ ſunt. Quæ proin ratio temerè ex Ariſtotele, tum pro infallibili habito, transſumpta eſt in L. 36. ff. d. ſolut. & liberat. Sit verò illa ratio nulla, id tamen non impedit conceptionem, geſtationemque plurium fœtuum, teſte experientia, utut enim cellulæ peculiares non adſint, ſunt tamen plura ſpatia locaque uteri apta ad ſuſcipiendas plurium ovulorum radiculas ſeſe affigentes (ſi quidem plura excitata fuerint, ac devoluta ad uterum ovula) quæ ſi inter ſe ſufficienter diſtent, uteruſque, robur fibrarum, ac fœmina ſuccum abundantem habeat, perfici, ac deduci ad maturitatem poſſunt; quanquam certum ſit, ad numerum fœtuum in brutis humanos haud aſſurgere, fieri tamen etiam hîc mira atque inopinata hiſtoriæ docent, atque obſervationum paſſim ſparſarum cumulus.

Quæſtionem: Utrum Fœtus in utero materno propriam habeat animam? nemo hodiè non affirmat, fruſtra igitur operosè probatur, utut verò propriam habeat animam, à matre

tre tamen arctiſſimo, occultiſſimoque ſimul nexu pendet, eoque hactenus inexplicabili,& vel per innumera nævorum exempla, affectuumque animi maternorum fortiſſimas celerrimasque in fœtum impreſſiones manifeſto.

Cum verò Ammannus eum propria vivere dicit quadra, diſtinctius & loqui, & intelligi debet, diſtinguenda enim tempora;quis enim in principio, viſceribus non plenè efformatis firmatisque,eum propria dicat quadra vivere, uti quidem fit,cum perfectior jam proprio quidem ſanguine, proprijs viſceribus ,. proprioque & ad placentam continuato ac propagato humorum circulo vivit, vix tamen propria quadra, ſi ſtrictè loquamur, cum nunquam non uſque ad partum indigeat ſucco matris nutritio, chyloſo, in corpuſculo fœtus demum in ſanguinem mutando, excoquendoque.

An verò cum Lege prima §. 1. d. inſpic. ventr. (cujus verba vera eſſe negat Ammannus) fœtus, antequam edatur, ſit mulieris portio, vel viſcerum, id à vocum acceptione, ac hypotheſium quoque partim diverſitate pendet; erit enim portio mulieris, ſi non in ſe ſpectatæ, mulieris tamen gravidæ, & ſi quidem in ovulo lateat jam fœtus per omnia delineatus quà ſua rudimenta, ovulum verò matris eſt portio, erit & fœtus ejuſdem portio per maturitatem demum avellenda ac ſeparanda, niſi malis dicere, deſijſſe eſſe matris portionem, cum extruderetur ex ovarij loculo ovulum, ac per tubam provolutum matri denuò, alibi tamen, annecteretur. Ad exciſionem verò fœtus, mortua matre, quod attinet, ejus difficultates varias ſatis hic legetis deductas.

Quæſtionem: Utrum homini certum pariendi tempus conceſſum ſit à Natura? ita decidit Ammannus: Ideò per omnia falſus eſt Ariſtoteles, & utique ſtatum tempus pariendi habet homo, ſcilicet finem noni, & principium decimi,

alias deterioris esset conditionis præ reliquis animalibus. Dixerat nempe in Hist. Anim. Aristoteles: Unum pariendi tempus statutum est omnibus animalibus, homini soli, vel uni, multiplex datum est. Hinc judice Ammanno inferunt Tibi; constans & recepta est Physicorum, Medicorum, Astronomorum sententia, quod de hominis partu, ejusque tempore tam difficile sit proferre judicium, quam de his omnibus, quorum variæ & inconstantes Autorum reperiuntur opiniones, teste Ludovico Mercato.

Nullo autem suo merito vapulat Ammanno Mercatus, cum ei regerit in refutatione: si recepta & constans est sententia Medicorum in hoc negotio, quî juxta Mercatum possunt esse inconstantes opiniones; Cohærent hæc, inquit, ut scopæ dissolutæ; sed vel festinationi vel inadvertentiæ adscribendum est hoc Ammanni judicium, rectè enim verba Mercati cohærent; non enim dicit constantem esse Medicorum circa tempus partus sententiam, sed constantem esse incertitudinem, ut attendenti patet.

Nec per omnia falsus est Aristoteles, cum statutum animantibus tempus pariendi unum dicat, homini verò multiplex datum esse, cum saltem respiciat ad latitudinem, quam habet in homine pariendi tempus, majorem longè, testante experientia, quàm in brutis.

Nullo igitur Jureconsultos jure carpit, asserentes, quod difficile sit de hominis partu ejusque tempore proferre judicium; est enim omninò difficile, ac circumspectè in hoc judicant Legum periti, tutiusque quam Ammannus, qui tamen tanquam Facultatis Medicæ membrum cautissimè hoc in negotio debuisset procedere.

Neque ita intelligendi sunt Jureconsulti de difficultate judicij circa tempus partus conquerentes, ac si omne in individuo

duo partûs tempus incertum vagumque exiſtimarent; neque enim ignorant eſſe aliquem terminum ac limites juſtos, verum & illud experientia eos docuit, in caſibus ſpecialibus & latitudinem ſæpe haud exiguam dari, & incerta circa eos, nec eadem Medicorum eſſe judicia. Hinc Ammanniana concluſio rem adeò non expedit, nec certos reddit diſcentes, ut confuſioni potius, ac in judicando audaciæ viam ſternat, quod eò magis ipſi fuiſſet evitandum, quod ſic ſatis in rebus iſtiusmodi incertitudinis deprehendant diſcentes, ac Medicorum ſcripta conſulentes; non enim eſt quæſtio, an vagum ſit incertumque omne partus humani tempus, an verò plerumque & in mulieribus benè conſtitutis terminum quendam ſtatum ſoleat obſervare; id enim nemini poteſt eſſe ignotum, nec demum ab Authore deſiderabatur ejus termini aſſignatio, aut deciſio, quam dedit pro fine noni & initio decimi menſis; ſed hoc quæritur, an aliquam, & majorem quidem quam in brutis natura hominibus indulſerit, vel impoſuerit in tam gravi negotio latitudinem, ut vel citius quodammodo, vel tardius nonnihil prodeat in lucem fœtus, varijs iſtam partus accelerationem cauſis ſubinde excitantibus ac promoventibus. Idque vero videtur conſentaneum atque experientiæ conforme, quicquid etiam dicat Ammannus; nosque id toties in praxi experientia docuit, ut non poſſimus non eam abſolutis ipſius, paulòque audacioribus aſſertis ac ratiocinijs præferre.

Nec locum habet aut vim objectio, deteriorem alias fore hominis, quàm bruti conditionem, ſi ſtatum pariendi tempus non habeat, cum 1. in aprico ſit, aliam eſſe hominis, aliam bruti rationem, tum habitum, ſitumque corporis ac partium ſi conſideres, tum vim illam ſingularem prorſus, quam affectus animi exſerunt in dies in corpora prægnantium, ac potiſſimum fœtuum, ac tot alia, quæ accelerare par-

tum, varieque moderari eum poſſunt in humano corpore tot caſibus, tot injurijs externis, tot denique diætæ erroribus obnoxio, expoſitoque. 2. Haud reddit incertum pariendi in homine tempus conditionem ejus deteriorem, cum partim incertitudo illa ſit ſaltem quà caſus quoſdam ſpeciales, nec univerſalis, partim natura reſpexerit ad ipſam hominis naturam ſocialem atque indolem digniorem ac ſublimiorem, vi cujus corpuſculum humanum in lucem recens editum curam aliorum plurimam & expoſuit, & experitur, ut ſic nobilior potius eſſet hominis conditio, qui in hoc præ brutis emineret, quod, cum hæc ſtato ſuo tempore non edita vix vitam queant protrahere, hic accedente provida aliorum cura ſervari, foveri, ac retineri in vita etiam tum poſſit, cum terminum alijs ſolennem ac conſuetum partus attingere ob caſus externos, internosve non potuit, uti non ſine fundamento de fœtibus iſtiusmodi aſſerunt, referuntque Scriptores, qui tanta eos cura, in goſſypio etiam repoſitos, conſervatos fuiſſe toties teſtantur. 3. Quid verò obſtat, quò minus deteriorem hominis, quà terminum partus, dicere liceat conditionem, poſtquam triſte illud DEI ac Domini noſtri decretum mulieri tantos in partu dolores ac cruciatus prædixit ac decrevit; Lapſus enim eſt homo in peccatum, ac in miſeriam ſimul, imò in cumulum miſeriarum, hinc tot ærumnæ, tot morbi, tot eorundem combinationes triſtiſſimæ, ut melior omninò videatur in hoc tertio bruti, quàm peccantis, atque obbruteſcentis per peccatum hominis conditio. Exemplum verò Salvatoris ac Domini noſtri, tempuſque illius conceptionis ac nativitatis debebat allegare, quippe ad hanc rem non ſpectans, nec commodum præbens argumentum; ſed plura mox de eodem argumento erunt producenda in medium.

Quæſtio enim ſequens illa eſt: Unde verò tot differentiæ par-

partus ab antiquitate in hunc usque diem obſervatæ, vel ſubortæ? Anſam quærendi Celeb. Ammanno dat prioris quæſtionis deciſio, ſi enim falſus eſt Ariſtoteles, & cum eo Jureconſulti, cum aliquam partus tempori latitudinem conceſſerunt, ſi ſtatum omninò eſt pariendi tempus, uti incautius paulò, quàm par eſt, ipſe decidit, non tam obſervatæ fuiſſent iſtæ partus differentiæ, ſed, quod dicit, ſubortæ per errorem.

Nec proin miramur ejus ad quæſtionem præſentem reſponſionem, cum dicit: Iſtæ partus differentiæ provenerunt omnes ex fungoſo vetularum cerebro, atque Ecliptico Medicorum veteranorum judicio, utpote, qui aniculis plus fidei tribuerunt, quam par & æquum fuit, hinc datur vulgò partus ſeptimeſtris, naturâ vitalis ac legitimus. Hæc ſanè ſatis pro Imperio dicuntur, nec ſine contumelia in Medicos probos, doctosque, ac quadam in ipſam experientiæ lucem clariſſimam injuria, uti ex dicendis patebit. Sequamur tantiſper eius transſumtiones, ac earum refutationes, ut res paulò clarius eluceſcat.

Allegat L. 12. ff. d. S. H. Septimo menſe naſci partum perfectum jam receptum eſt, propter autoritatem Doctiſſimi Viri Hippocratis, & ideò credendum eſt, eum, qui ex juſtis nuptiis ſeptimo menſe natus eſt, juſtum eſſe Filium. L. 3. §. fin. de ſuis, & legit. Hæred. De eo autem, qui centeſimo octogeſimo ſecundo die natus eſt, Hippocrates ſcripſit, & divus Pius pontificibus reſcripſit, juſto tempore videri natum.

Pro iſtarum verò Legum refutatione mox ſubjungit: Septimo menſe naſci perfectum fœtum, adhuc eſt in quæſtione, cur natura tantum committeret ſaltum? cur alium citius, alium tardius formaret, & protruderet natura? Hinc revoco meam opinionem, quam aliquando in Paræneſi fovi, de

quadam latitudine pariendi, obſervare ſcilicet naturam terminum ſummum, ultra quem non ſoleat aſcendere benigna mater, & hinc debuerunt oriri partes undecimeſtres, atque infimum, infra quem non conſueſcat deſcendere, & inde provenire debent ſeptimeſtres, quod prorſus à veritate alienum. Autoritas in arte noſtra non eſt principium, nec in jure ullo pro principio haberi debet vel poteſt. Hippocratis ſcientia non fuit abſoluta, ipſo etiam fatente &c.

Quæ quidem omnia, & plura ex ſequentibus non tam juvare diſcentes, quam confundere incertosque reddere valent, ac monere eos poterunt, ne temerè credant, ſine examine, Præceptoribus, Virisque cætera eruditis, ſi cumprimis non ſine aliqua temeritatis nota in re gravi pronunciare audacter audeant. Confundantur ſanè diſcentes, cum in uno legunt dari tales partus, in altero eos eſſe prorſus à veritate alienos; quid enim magis diſtrahat animos propria experientia, atque obſervationibus adhuc deſtitutos, quàm contrariæ iſtiusmodi authoritates, atque aſſerta adverſa pugnantia fronte?

Cautius ad minimum iſta erant proferenda, atque examine maturiore facto, vel hanc ſolam ob rationem, quod D. Jureconſulti ex Medicis non amplius quærant: An poſſibile ſit naſci partum ſeptimeſtrem? ſed id ſupponant tanquam certum, legibusque definitum, atque experientia comprobatum, ac ad Medicorum Scholam tum demum confugiant, ſi occurrat fœtus, qui ne iſtum quidem ſua in utero mora attigit terminum, ut judicent, an perfectus, ac vitalis potuerit eſſe.

Cui igitur bono diſputat de re in Tribunalibus haud controverſa, ſed dudum ſtabilita; hoc ſanè non debebat fieri, niſi in re rationibus atque experimentis clariſſimis nitente, ne ars noſtra proſtituatur; mireris tamen rationibus adeò

frigidis

frigidis nixum Celeb. Virum rem tam difficilem tam inconsideratè decidere. Neque enim partu celeriore saltum committit natura; supplet enim extra uterum, quod fœtui debuisset accedere in uterò incrementi; & gratis quæritur, cur unum natura citius, alium tardius formet, aut protrudat? Est temperamentorum, roborisque ac habitus corporis in fœminis diversitas insignis, ac proin formationis quoque fœtuum, tarditatisque aut celeritatis incrementi eorum, nec protrudit eos inæqualiter natura, nisi aliunde lacessita, varisque circumstantiis ac stimulis accedentibus. Quare non est, quod sibi adplaudat de mutata sententia; neque enim semper cogitationes posteriores sunt meliores, cautius in paræneſi veriusque statuerat, hîc verò non experientias convenientes, nec solidas rationes, quæ persuadere possent vel deberent incertitudinem prioris hypotheseos, allegat, nec sufficit Hippocratis explodere authoritatem, quæ omninò non ultra admittitur à prudentibus, quàm cum natura rei experientiaque ipsi convenit ac suffragatur.

Durius igitur est, quod dicit §. 7. Ex justis nuptiis.) Non verò ab anticipatione Veneris à Termino sponsaliorum, vel à scortatione, aut illicita Venere, tali enim mense, videlicet septimo, nemo nascitur, aut nascetur unquam, nec natus fuit ullus ab incunabulis orbis. Haud sanè sufficit, ita ex Tribunali quasi pronunciare sententiam sine pondere rationum aut experimentorum. Novimus Authorem non esse solum, qui ita sentiat, cum vel ipse Cel. Bohnius in Med. For. & in Eph. Nat. Cur. Ludovici idem ferè pronuncient, non majoribus tamen rationum momentis, & contradicentibus aliis viris egregiis, utut authoritates hic, vel ipso Ammanno, Hippocratem rejiciente, teste, nil quidquam probent.

Nobis hic nec seritur nec metitur, vobis tamen, dicata his studiis pectora, viam in his rebus optaremus planiorem, certio-

certioremque; quare non possumus non monere, (neque enim libet congerere huc farraginem citationum ex Authoribus,) haud deesse Viros probatos ac sinceros, qui aliud observaverint, ac testati sint publicè; evolvite P. Zacchiam, ac deprehendetis eum circumspectè admodum de his loqui, nec negare tamen septimestrem partum, sed inter rariora prudenter referre; ac si jungere quidem huic velitis Isbrandum Diemerbrœkium, deprehendetis eum exempla evidentia allegare, non septimestris modò, sed & semestris fœtus, qui in gossypio repositi, miraque ac singulari cura enutriti fuerint.

Nec ausim contradicere in faciem, quasi Viro multæ ac diuturnæ experientiæ, Cel. Jenensium Professori Wedelio, in Physiologia scribenti: Partus septimestres & octimestres rarius sunt vitales, & ut plurimum debiliores; partum septimestrem observavimus in illustri persona, cum mediis mensibus menses erupissent, unde debilitatus fœtus septimo edebatur mense, & intra annum moriebatur; natus ergò fuit aliquis fœtus septimestris, teste Wedelio, secus ac censet Ammannus. Ac esse omninò aliquam in his latitudinem agnoscendam, dudum nos propria edocuit praxis.

Fatebuntur id, qui norunt distinguere ac discernere inter meretrices, aut primiparas, aliaque experimenta suspecta ac fabulosa, interque fœminas pluribus jam vicibus partum expertas, ubi sæpe præcedens puerperium Medicum, aliâs futurum incertum, certiorem reddit, non posse esse aliam, plenamve, ac maturam fœtus ætatem, cum scilicet vel symptomata varia, vel animi affectus, vel externæ injuriæ intempestivè illatæ uterum partesque vicinas lacessivere, ut eum immaturè protrudant.

Notum est esse insignem latitudinem admittendam circa tempus perceptionis motus viventis in utero fœtus, certumque est tot exemplis alias decima sexta, vigesima alias septi-

mana

mana, tardius alias ſentire illum fœtus motum primúmve vigorem ſenſibilem; quis igitur dubitet citius unum præ alio perfici, robur acquirere, ac fibras gaudere ſolidioribus robuſtioribusque pro parentum, temporamentorumque majori vel minori robore, ac proin ad veram maturitatem, ac vitalitatem citius pervenire, unumque præ alio extra uterum poſſe propria vivere ac ſubſiſtere quadra, ſi per infortunium, variosque caſus, ac impreſſiones unio ejus cum matre, uteroque intempeſtivè ſolvatur, ipſeque in lucem protrudatur à fibris irritatis; debilior enim, imperfectior, fibrisque gaudens minus teneris ſuccumbet, evadente alio robuſtiore, aëris cibique incommoda facilius ferente, majorive cura ac ſolicitudine tractato ab adſtantibus, in quo multum quoque ſitum eſſe nemo inficiabitur.

Quo ipſo tamen meretricibus, aliisque perſonis ſuſpectis nihil accedet commodi, modo id obſervetis, nihil hic temerè credendum, circumſtantias ſolicitè rimandas, penſitandasque; nec unquam vobis, Chari Themidos Filii, in mentem veniat pronunciare ſecundum generalia hæc legum præcepta, niſi, ut par eſt & æquum, omnes contuleritis circumſtantias, temporis partus, conſtitutionis Maternæ, ſymptomatum accelerantium partum, præcipuè verò nati, protruſique fœtus conſtitutionem, magnitudinem, vigorem &c. Sic facilè errorem evitabitis, ſi enim fœtus maturus, robuſtus, vegetus, ſua mole conſpicuus ſit, nemo ſeptimeſtrem credet, quantumvis matre ſuſpecta aſſerente, juranteque; tales enim immaturè ejecti fœtus adeò ſunt teneri, adeò puſilli, adeò ſolicitè fovendi atque enutriendi, ut ipſa ſua debilitate indicium veritatis præbeant aſſerti materni; ſi maximè conſentiat matris diſpoſitio; nam ad eam quoque reſpiciendum, cum ſi debilior illa, teneriorque fuerit, excludere poſſit juſto etiam tempore fœtum tam exilem, tam debilem, ut pro

immaturo atque octimestri possit primo aspectu haberi, quare omnia huc conspirare debent signa, si certitudo enasci debeat.

Nec inutile fuerit, id quoque annotasse, duplicem esse sensum hujus locutionis, partus humani tempus habere latitudinem; primus ille est: Non præcisè eodem tempore perfici, atque ad maturitatem pervenire, ac protrudi in lucem omnem fœtum (uti nec eodem præcise tempore mater omnis motum infantis percipit, sed ut supra conformiter experientiæ multiplici fuit monitum, satis distante ac diverso,) sed alium citius, alium tardius, non observato accuratè eodem tempore, si maximè accesserit moles infantis, aquæ, cui innatat, vel etiam secundinæ major, situs fœtûs incommodus, vel motus ac calcitratio & inquietudo major, quæ omnia citius stimulare ad exclusionem eas valeant partes, quæ ad illam in partu concurrunt, eamque efficiunt; uti ex adverso parvulus fœtus, nulla sui vel secundinæ mole matri gravis, ac lentè perficiendus, à matre robore fibrarum, placidoque earum statu, ac sanguine lento quietoque prædita tardius dubio procul protrudetur ex isthoc suo Domicilio.

Alter verò istius locutionis sensus hic est: Posse variis accidentibus internis, externisque evenire, ut infans vel tardius, quam stato tempore sedem suam utcumque relinquat, vel multò etiam citius ex hospitio suo violenter deturbetur, & tamen vitalis esse possit, id est, non vitalis uti infans maturus omnibusque numeris perfectus, justoque tempore exclusus, sed vitalis eo sensu, ut possit, si non semper, tamen aliquandò, multa cura, remediis, levi commodoque alimento, calore blando foveri, conservari in vita, ac ea id ratione suppleri, quod ipsi in utero à matre adhuc debuisset accedere ac præstari; cujus praxis manifesta exempla attendentibus offert.

Uterque

Uterque ſenſus verus eſt atque admittendus, utut utrumque neget rejicitque Ammannus. Uti enim favere meretricibus, earumque excuſare fraudes ac mendacia iniquum eſt, ita innocentes in iſtiusmodi caſibus mulieres, tam præcipiti judicio condemnare, fraudiumque ac infidelitatis arguere temerarium eſt. Medio tutiſſimus ibitis, nec facile excuſabitis ſuſpectas, nec facile condemnabitis eas, quarum immaturior debiliorque fœtus, cæteræque circumſtantiæ innocentiam declarant.

Nec eſt, quod vos moveat, quod de veterum hac in re oſcitantia liberalius paulò dicitur, nec ea, quæ de libris duobus, quos habeamus de partu ſeptimeſtri, ac de ſeptem Medicis Hippocratis nomine inſignitis ad augendam rei incertitudinem non ſine pompa adducuntur. Neque enim vel veterum authoritati, vel Hippocratis perſonæ aut libris credendum, ſed experientiæ ac rationi, quæ his æque ac mulierum aſſertis longè præferri debent, ac plus non valet negatio Ammanni noſtri nuda, quam aliorum effata experientia nixa, qualia ſupra allegavimus pauca, neque opus eſt multis, utut ipſe fateatur præſto eſſe infinitas (uti hyperbolice loqui amat) myriades reſponſorum, quæ hauſerint Jureconſulti à Medicis, quod videlicet talis fœtus ſeptimeſtris detur, quod ſit vitalis, quod ſit legitimus. His verò omnibus nuda ipſius negatione ſatis contradictum eſſe, neſcio qua præjudiciorum vi, exiſtimat.

Et quid eſt, quod dicat, ex intentione Naturæ ſeptimeſtrem non dari, nec datum fuiſſe unquam, ſed ſaltem à conſtituto hominum ab aliis deceptorum, vel adhuc hodie ſeſe ex præconceptis opinionibus decipientium. Non enim potuit ignorare, multa contingere in hac rerum univerſitate, quæ propriè ex Naturæ intentione, ut loquitur, non fiant, quod morborum exemplo evidens eſt, & monſtrorum, quis

tamen ideò exiſtentiam morborum ac monſtrorum negaverit? ſit partus ſeptimeſtris non ex intentione Naturæ, modò reperiatur ipſo facto in Natura, per lapſum imbecilli, tot caſibus obnoxia, ac tam facilè extra ſphæram ſuæ integritatis emovenda in ſtatum præternaturalem, uti revera repertum fuiſſe viri cordati teſtantur; neque ſtatim hinc referendum, ex hominum decipientium ac deceptorum vitio omnem illam doctrinam fluere; nemo enim Medicorum dixit, partum ſeptimeſtrem fieri ex prima intentione naturæ, & ordinaria via planaque, uti partus novimeſtris & magis ordinarius, quæ enim rarius fiunt, non ideò planè non fiunt.

Ac proin admittere haud licet effatum Ammannianum: Omnes iſtas partus differentias oriri ab errore partim calculi, partim à venere illicita; tertium enim dari jam ſupra oſtenſum eſt. Nemo negaverit errorem calculi his in rebus frequentem, aliquando innocentibus etiam & invitis contingentem, ſæpius tamen malitioſum; ſunt omninò fœminæ, quibus ex præſentia, abſentiave menſium de graviditate affirmare nihil, ac nihil negare licet; ſunt verò & aliæ plurimæ, quæ certò fidere his ſignis conſuetis nunquam non poſſunt, facilitatem ergò erroris in calculo nemo negaverit, ſed conſequentiæ hinc contra caſum omnem partus accelerati formatæ vim æquiores haud facilè admiſerint.

Poſſunt ac ſolent aliquandò fœminæ, vel tardius vel citius, quàm par eſt, incipere computum imprægnationis, poſſuntque hinc & in termino partus falli, ſed ſemper hoc fieri, omnique in caſu ſuppoſitum eſt, quod probatione indigebat, non nuda aſſertione. Liberalius ergò juſto concludit: Reliqui omnes, qui è claſſe quinquemeſtrium, ſemeſtrium, ſeptimeſtrium aut octomeſtrium, (excipe hîc ſemper abortus,) undecimeſtrium, duodecimeſtrium, &c. nobis hactenus

oblati

oblati ſunt, & adhuc offeruntur, redolent nuptias anticipatas, vel ſcortationem &c. Ut enim taceam ea hîc miſceri, quæ miſceri non deberent, vel ſolus Diemerbroekius his elidendis ſufficit, nec decet incerta conjectura fœminam innocentem non unam graviſſimis onerare ſuſpicionibus, aut planè condemnare, uti hîc judicio ſatis immiti eveniſſe non poſſumus non mirari.

Quemadmodum verò ex antedictis evidens eſſe videtur, poſſe protruſum intempeſtivè ex uteri anguſtijs fœtum aliquando ſuperſtitem à divina ſervari providentia, ac reipſa ſæpius ſervatum fuiſſe, ita nec abſonum videri debet, poſſe eum, aliquo etiam ultra terminum ordinarium tempore in ijſdem latere anguſtijs, in caſibus ſcilicet ſupra allegatis, quanquam iſte haud nimium extendi debeat terminus ſalvo fœtu; nec verò hic quærimus, quid fieri in favorem matrimonij vel prolis poſſit, aut ſoleat alicubi, ſed quid obtineat in natura; adeò quidem, ut ſi obtingant tales caſus, quales ex Donati, Schenkij, aliorumque obſervationibus allegat, exploditque Cel. Ammannus, fœtuum in utero diutius quam par eſt retentorum, omnes probè attendi debeant circumſtantiæ, nec rem generali complecti liceat Regula, ſed in caſibus ſpecialibus demum determinari ex ſignis convenientibus deceat, quid factum ſit, vel potuerit fieri.

Concluſionem ergò Ammanni generalem quod attinet, facilè largimur, datum etiam homini eſſe terminum partus, ſed oſtenſum jam eſt eum latitudine majori gaudere quàm in brutis, eamque latitudinem & in ratione, & in experientia eſſe fundatam; quanquam duplici ſenſu ſupra allegato expoſitoque. Ac proin 1. omnes iſtæ de partus termino illatæ in Medicinam ac Jus controverſiæ non ſunt meræ tricæ, ſed potius quæſtiones arduæ & intricatæ, ex quibus decet ſeſe extri-

care animum veritatis ſincerè cupidum, nec partium ulli ſtudio addictum. 2. Nec cadunt omnia illa litigia (uti cenſet) quæ pro defendenda Hippocratis & Galeni authoritate ſatis operosè, ſed non minus futiliter ſcripſiſſe dicuntur prolixius de menſibus ſolaribus & Lunaribus, Rodericus à Caſtro, & alii. Sunt enim iſti menſes omninò diverſi, attendendaque eſt diverſa eorundem, qua circumſcribuntur, periodus, ac ſi quæſtio ſit de mora fœtus in utero, quotnam illa ſit menſium; determinandum ſanè prius eſt, quosnam menſes velis intellectos, cum notabile, ut notum eſt, diſcrimen ſit; nec ergò excogitata eſt illa menſium differentia in favorem ſententiæ Hippocratis, ſed in natura fundata, ac probe attendenda, ita tamen, ut nec inani ſcrupuloſitate, ubi opus haud fuerit, excedas, eo ipſo, quod quandam tempus partus latitudinem admittere aſſertum modo ſit. 3. Utut tandem cadant illæ nugæ, quæ non tam à prudentibus viris, quàm à credulis quibuſdam ſimplicibusque admiſſæ ſunt, ac ſi puer decem diebus integris citius formaretur in utero, atque puella, illis tamen accenſenda non ſunt, quæ adduntur: Puellam præ puero citius pubeſcere; ſi enim ad id quod plerumque contingit rite attendamus, citatior iſta pubeſcentia in ſexu ſequiori naturæ experientiæque conſentanea obſervabitur; utut nec iſta ſine exceptione ſit regula; medio verò, ut ſic loquar, loco eſt altera, quæ abſolutè hic exploditur, de frigiditate complexionis muliebris præ virili hypotheſis, utpote quæ pluribus longè & frequentiſſimis ſubjacet exceptionibus, negari tamen in alijs, imò potioribus individuis vix poterit.

Quæſtio de poſthumis nititur deciſione præcedentis de tempore partus; ea igitur, quæ prolixius paulo monuimus, heic quoque attendenda recolendaque erunt; neque enim ſufficit ludicra deciſione cum Cel. Ammanno judicaſſe, poſthumos quo-

quoque eidem errori calculi obnoxios eſſe cum partu ordinario; ubi enim nemo auſit inficiari, fraudes in hoc genere & metuendas eſſe, & evenire poſſe, imò alicubi forſan eveniſſe, judicibusque impoſuiſſe, ita tamen non licebit in genere hinc inferre omnem fœtum, qui non præcisè juxta Ammannianum calculum ſub finem noni, aut initium decimi menſis, ſed aliquando tardius naſcitur, poſt fata mariti eſſe conceptum; ac licet tempus moræ in utero nolim nimis dilatare, id tamen nimium conſtringere æquè fuerit temerarium ac periculoſum, cum nihil obſtet, quo minus ſecundum ſupra dicta fœtus quidam alio tardius ob Matris temperamentum, diſpoſitionem propriam, aliasque circumſtantias perfici ac protrudi in lucem queat. Nec decet patrocinari fraudibus, nec innocentes ſuſpicionibus gravare. Et quemadmodum ex Legibus quæſtione præcedente allegatis id quidem ſequitur, in foro atque à d. JCtis fœtum ſeptimeſtrem, & qui ſit dierum 182. ob Hippocratis & Pij Authoritatem, vel potius ob receptam ſemel uſu fori ſententiam, haberi pro vitali, nec obijci poſſe tali partui impoſſibilitatem vitalitatis, neque tamen res eò extendi debet, aut poteſt, tenui ſaltem noſtro judicio, ut de quovis partu, cui à Matre illa ætas tempusque tribuitur, ſtatim credi debeat, eum eſſe talem, & non alia ætate gaudentem, ſed attendi debent circumſtantiæ, habitus corporis, accidentia quæ ſupervenerunt, partumque acceleraruntincrementum fœtus jam editi, cæteraque circa illum obſervanda, eumque talem eſſe confirmantia; ita etiam circa Poſthumos non ſufficiet aſſertio parturientis, ſed jungendæ erunt circumſtantiæ omnes, ne temerè quidpiam vel credatur, vel negetur.

Sicuti porro de illis, qui menſe quinto vitales editi ſcribuntur, qui ſexti initio (videatur tamen hic Diemerbroek)

quod

quod de Civitatis Medioburgenſis tabellario referre Spigelium monet Wedelius in Phyſiol. Medicus haud temerè pronunciat, ſuove eos firmat calculo, ita plane averſabitur fabulam Aventini de Vandaliæ Duciſſa per bieñium uterum gerente, & tandem puerum gradientem atque loquentem parente, nec facilè admittet, quæ de undecimeſtri partu dicuntur, (ſepoſitis omninò, quæ à quibuſdam de XIII. XV. XVII. menſibus circumferuntur) niſi in quantum & hîc ejus veritas eluceſcit, quod ſupra contra D. Ammannum monuimus, eſſe omnino rationem habendam menſium, determinandumque, an Lunares ſint, an Solares, niſi ipſe ſibi Ammannus velit contradicere; ſi enim nulla ratio hujus diverſitatis menſium habenda ſit, nec ipſe juſtum partus tempus aut terminum aſſignavit finem noni, ac principium decimi menſis, hoc enim verum ac genuinum non eſt, niſi intelligatur de menſibus ſolaribus; lunares enim ſi ſupponas, finis demum menſis decimi juſtum fuerit propriumque pariendi tempus, & ſic fœtûs undecimeſtris partus non erit adeò paradoxus, nec tam abſolutè rejiciendus, cæteris paribus, ac circumſtantijs quibusvis conſentientibus.

Quanquam & hîc forſan fruſtra diſputent Medici, ſi D. JCti maneant in præjudicata dudum radicataque opinione, ac fœtum illi adjudicent, qui fatetur cohabitationem 182. diebus ante partum, ſive maturus perfectusque compareat, ſive debilis, tener, parvulus, ac immaturus, ad hoc diſcrimen, cæteraſque accelerantes partum circumſtantias non attendendo, fœtumque ſimpliciter pro juridico, ac conſequenter legitimo agnoſcendo, quod duriuſculum videtur, uſu tamen eſt receptum; ac proin etiam circa poſthumos non recedent à receptis formatisque dudum opinionibus, quicquid vel Ammannus, vel alij poſſint objicere.

Quæ

Quæ de partu abacto allegantur Leges prudentiſſimè ſunt latæ, utinam verò ſolicitè hodiè obſervarentur; frequens hoc crimen eſt, pœna rariſſima, rarò enim in apricum hæc prodeunt, id tamen attentione quoque dignum eſt, plurimas omni conatu ejectionem tenelli fœtus tentare, nec tamen poſſe eam obtinere, ob robur fibrarum & ſanguinem difficulter in orgaſmum ad id ſufficientem agendum; ſæpiſſimè tamen ſcopo impio potiuntur; tum per remedia violenta, à vetulis plerumque propinata, tum per motus violentos ac labores immodicos eum in finem ſuſceptos, juvante ipſa formidine ſeu metu infamiæ metuendæ à manifeſtatione graviditatis. Juſtiſſimæ hæ Leges ſunt, ſed in praxi, ubi obſerventur, non liquet.

Quæſtio de prole in abſentia Mariti progenerata ex ſuperius de Termino partus dictis lucem ſuam petet; nimia hic latitudo abſit, ut concedatur, Anglica conſuetudo hîc ab Ammanno allegata Inſulæ iſti tanquam peculiaris relinquitur.

Utrum Medicaſtræ in Republica ſint tolerandæ, alia quæſtio eſt atque illa, quâ quæritur: An mulieres exercere queant Medicinam, quam Tiraquellus juxta alleg. Ammann. decidit affirmativè, intelligens dubio procul mulierem, quæ artem ritè didicerit, ſciatque eam exercere cum ratione ac ſoliditate, quod fieri poſſe quis dubitet, utut modernis moribus id vix obtinuiſſe obſervatum ſit. Ammannus verò de vetulis loquitur, imperitis æquè ac impudentibus, quarum ingens ubique numerus eſt, mittentium falcem ineptam in meſſem Medicam, dici non poteſt quantum hinc Reipublicæ detrimentum oriatur, ſed ſurdis narratur fabula, nunquam deerunt, qui peſtes iſtas ſimilesque foveant protegantque, ac perſuaſi ſint, eas ad minimum ſpecifica quædam ac ſingularia ſubinde poſſidere arcana, quæ in graviſſimis ſubinde

morbis poſſint ſoleantque eſſe proficua; fruſtra igitur quæritur, an tolerandæ ſint? ubi oportet tolerare non illas ſolum, ſed & omnis generis imperitos homines, Medicos, agyrtas, tonſores, & quos non impoſtores ac Idiotas? &c.

Abſit verò, ut ſcribamus Commentarium in iſtud Cel. Ammanni ſcriptum! eo ſaltem animo hæc quà tempus partûs plenius paulo deduximus, ut habeant diſcentes ſpecimen, quî verſari modeſtè debeant in dijudicandis Virorum Doctiſſimorum ſcriptis, eorumque hypotheſibus penſitandis, neque ſine examine admittendis.

Cæterum hoc in genere plurimum præſtitit Celeb. D. Valentini in Pandectis, Novellisque multa cum cura collectis, quæ tamen reſponſa diſcentibus fuiſſent utiliora, ſi Doctiſſimus Vir ſuis quoque ratiocinijs ſolidiſſimis colluſtrare eadem fuiſſet dignatus; facilè enim agnoſcent Tirones attentiores, doctioresque, non eadem omnia luce fulgere ac gaudere, aut pari certitudinis gradu ac evidentia.

Libet & hîc nonnullis rem exemplis declarare in gratiam Tironum: Illis ſanè duriuſculum poterit videri judicium (pag. Novell. 46.) de partu duodecimeſtri legitimo, quod rigidius D. Ammanni judicium vix ſuſtineret; uti nec ſtuprum in ſomno ab inſcia admiſſum, ibidem aſſertum, pariter ac defloratio inſciæ ac in ſella dormientis puellæ; nec probare omnia poterunt, quæ in ſequentibus pro impotentia ad generandum Cauponis hernioſi contra teſtimonium propriæ uxoris deducuntur, unde & Facult. Ampl. Halenſis primam ſententiam confirmavit, nec illum ad juramentum admiſit. Agnoſcent ſanè multiplices difficultates iſtiusmodi negotiorum ac judiciorum vel ſolis exemplis earundem Novellarum de Inceſtu cum impubere, ac de Maſtupratione. Multa quoque ibi deprehendet diſquirenda circa matrimonium hermaphroditi,

phroditi, deque eorum varietate, ubi non omnia æquè ad rhombum dicta videri poterunt; pleraque verò confirmant, non dari veros hermaphroditos, utroque ſexu verè præditos, ſed omnes paſſim magno numero deſcriptos fuiſſe apparentes, vel uno ſexu, vel nullo planè inſtructos.

Habebunt quoque Philiatri, quod mirentur, pag. Novell. 284. circa inſpectionem & agnitionem ſecundinæ humanæ per aliquot menſes ſub terra ſepultæ, eamq; ob cauſam ex parte putrefactæ; Nec enim omnes adeò facilè capient, ſepultam tam diu putrilaginem objectum adhuc fuiſſe inſpectionis, funiculum umbilicalem tam diſtinctè etiam quà vaſorum orificia ſtylo tentata fuiſſe detectum; membranas non penitus integras, conſpectas tamen fuiſſe, vaſa circa centrum placentæ apparuiſſe cruore ſuo turgida, judicatum fuiſſe ſecundinam hanc non fuiſſe inciſam prius, etſi placenta ſeu hepar uterinum maxima ex parte comparuiſſet, cum inſpiceretur &c.

Meretur attentionem ſequens mox judicium pag. 286. latum circa abactionem fœtus putatitiam, occaſione molæ excluſæ, dolendumque eſt plenam hujus Molæ hiſtoriam ac ſufficientem non ſubminiſtrari, ut cum Ruyſchianis de mola placitis poſſet conferri, multa ſane conſideratione digna occurrunt in hoc judicio Medico, exploditurque ſpeciosè ſuperfœtatio, facilèque abfuiſſe eam etiam illi credent, qui argumenti allati vim haud agnoſcent, dum dicitur, ſuperfœtationem hic vel ideò non habere locum, quod tempus non concordet, cum ſuperfœtationis cauſa communiter locetur in hiatu oſculi interni uterini per primos 40. dies à conceptione tantum obſervabili juxta Hippocr. & Laurent. Poſt illud tempus autem arctior clauſura nullam amplius imprægnationem admittat, partumque proin ſuperfœtatum ultra 40. dies extendi non poſſe, qui ſaltem 5. hebdomadas cum 5. diebus,

neutiquam verò 4. menſes integros efficiant; quæ ſuo quidem loco relinquuntur, quà illam oſculi uterini aperturam & clauſuram, &c. docere tamen Tirones queant, veram ſæpe theſin argumento haud idoneo deprehendi firmatam.

Merebitur quoque attentiorem conſiderationem caſus XV. de Mola in virgine, quatenus ſtupro indicium præbet; non etenim quatenus lac in mamillis ac tumorem genitalium allegat, ſed quà tangit quæſtionem: an interdum mola ſine congreſſu generari poſſit? an verò mola ſemper in virgine pudicitiæ violatæ indicium præbeat? maximè autem circa quæſtionem præcipuam; An Oſanna molam excreverit? pro mola enim declaratur excretum illud, etſi Medicus dicat, neque ligamenta, neque vaſa potuiſſe obſervari, teſtataque ſit obſtetrix, excretam maſſam non fuiſſe ſecundinam, ſed ſanguineam maſſam grumeſcentem, grumum autem ſanguinis molam haud commodè dici agnoſcunt plerique, quod maximè per Ruyſchianam de molis hypotheſin confirmatur, quam in obſervationum eleganti libro plenius deduxit; quæ enim caſu XIV. de molis Zoophyti vitam viventibus dicuntur, multo adhuc fulcro indigent.

In Pandectis verò plures de impotentia virili caſus monebunt Philiatros, ut circumſpectè in iſtiusmodi caſibus judicent, qui ſatis interdum perplexi ſunt, nec ex aſpectu ſimplici tàm facilè dijudicandi, cum maximè odia plerumque conjugum animique vitia conjungantur, nec ſemper omnia plana ſunt, ut in caſu X. aut impedimenta in oculos incurrunt, ac ſtatim tolli poſſunt, uti phimoſis in caſu XI.

Neque omnis ambiguitas circa ſexum tam facilè decidi-tur, quam illa, quæ caſu XII. allegatur, procidentia uteri pro genitali virili habito, & accuſato; caſus enim XIII. eò obſcurior eſt, nihilque inde haurient diſcentes, quam cautelam, ut, cum

cum ſæpius pronuncietur ſine pondere rationum, cautius ipſi in rebus adeò occultis diſcant agere, ac ſuam declarare ſententiam; inſpectio rem multò reddidiſſet evidentiorem.

Ex caſu autem Pand. p. I. XV. innoteſcit, quàm etiam ineptæ quæſtiones proponi aliquando Medicis ſoleant, cum balneator quandam virginem ſtupri vitæque inhoneſtè actæ ob unicum hoc indicium accuſaverit, quod id in ſanguine eius conſpexerit, formatâ hinc propoſitaque Medicæ Facultati quæſtione: Num ex ſanguine per cucurbitulas extracto certum ſignum conceptionis ſeu gravidationis peti debeat aut poſſit? utinam omnes quæſtiones tam faciles eſſent deciſu. Sanè quæ ſubnectitur deciſio, aſſerens, non poſſe ex obſtretricis inſpectione oculari perſpici, puellam 14. ann. ſe virginem adhuc profitentem, quoad virginitatem per coitum læſam fuiſſe, eam ſaltem evidentiam non habet, maximè ſi de violatione recenti ſermo ſit. De ſignis ex Urina ac Chiromantia tutius ibi reſpondetur.

Caſu XIX. facilis fuit deciſio, non gravidam fuiſſe fœminam, cum in ſectione uterus fœtum nullum offeret, in præcedente autem ineptè judicaverat obſtetrix de partu ante annum facto ex inteſtini recti amplitudine, in XVII. autem cautè monetur, ante motum fœtus ex inſpectione non poſſe tutò determinari imprægnationem; ſanè circa ipſum illum motum multa adhuc poſſunt occurrere dubia; tales verò caſus, qualis eſt XVI. ſunt intricati, nec facile eſt, Lochia à fluxu menſium ita diſcernere, ut non multum ſuperſit dubii.

Ex obſervatione XXI. XXII. XXIII. ſatis apparet, quanto ſæpe conatu diſputatum ſit, an fœtus excluſus fuerit jam vitalis, quôque geſtationis tempore fœtus ſit habendus pro vitali; ita, ut vel de fœtu ultra octo digitos longo dubitatum ſit, an fuerit vitalis, diſputatumque fuerit, an anima per traducem, an verò per creationem fœtui communicetur, cum ta-

men id nihil faciat ad rem; modò notetur aliud esse vitalitatem in se, aliud respectu motus sensibilis ac fortioris, qui à fœmina ipsa, & tangentibus uterum percipitur, vitalitas non tum incipit, cum hic motus exterius percipitur, sed saltem fortius manifestatur motus vitalis, dudum fœtui competens, non tam quà membrorum agitationem, cui par non fuit summa teneritudo, sed quâ sanguinis, cordisque motum, fibrarum oscillationes in visceribus ac motus tonicos partium &c.

Latitudinem tempori partus supra concessam firmant egregiè casus harum Pand. recensiti à Cas. XXIV. ad Cas. XXXVII. usque; maximè à Facultate Lipsiensi prudenter decisi, ubi manifesta exempla partus accelerati exhibentur, simul tamen & singularia circa posthumos, mensesque tum Lunares tum solares, vel etiam aliter forsan distinguendos habentur, ut attentionem ista omninò mereantur.

Docet Part. I. Sect. II. Cas. II. non posse nimium circumspectos esse Medicos in exhibendis ad desideria ægrarum remediis menses pellentibus, cum tantum incertitudinis habeat istiusmodi mensium suppressio, abutanturque fœminæ maleferiatæ credulitate Medici, cui vel simplicem allegant mensium obstructionem ex errore diætæ, vel etiam signa cachexiæ, dyspnœam, abdominis pedumque ex Cacochymia intumescentiam. Sæpe quidem haud possibile est statim istas detegere simulationes ac fraudes, id tamen commodi habent Medici prudentiores, cautioresque, quod suppetant ipsis remedia, quæ possint opponere istis symptomatibus allegatis sine noxa fœtus, si quis subsit in occulto istis fallaciis ac querelis.

Casus sequentes ostendunt, quam difficile sit pronunciare eum, qui se ipsum accusat maleficii, vel veneficii, esse saltem Melancholicum; sit enim Melancholicus, poterit & alterum illud simul verum esse, hinc & Fac. Med. Giss. respon-

dit,

dit, id Deo καρδιογνώστῃ relinquendum; æquè difficulter dicet Medicus, an ex mera vi melancholiæ ſe in puteum mulier aliqua præcipitaverit, niſi prius probè illam noverit, omnesque circumſtantias habeat probè perſpectas. Unde & Caſ. VII. de infanticidio ex Melancholico delirio crucem Medico haud immeritò fixerit; ac magis adhuc ſequens caſus, ubi arduum fuerit penitus excludere dæmonem, ſolamque allegare morborum uterinorum complicationem, quia ſoror ejus ſimili olim morbo laboraverit, &c.

Sequentes Caſus usque ad XXIV. monere diſcentes poterunt, ne eos quidem abortuum caſus carere difficultatibus in pronunciando, ubi verbera, ac violentiæ externæ præceſſerunt, cum conſtet injurias externas, etiam graviores, non ſemper procurare abortum, eum tamen ſubinde etiam à levioribus oriri, poſſunt violentiæ externæ præcedere, & tamen ob internas cauſas ſequi abortus, ad minimum res ſæpe occulta eſt, ac valdè dubia, ſi maximè intervallum inter illatam violentiam, ac abortum ſubſecutum fuerit majus ac diuturnum, unde etiam in casûs XIX. judicio Tancredus Lælius ſubſcripſit, ſe nil certi in hac cauſa ſtatuere. Sæpe tamen connexio ſatis manifeſta eſt, ac proportio inter violentiam, ac abortum evidens.

Caſ. XXVIII. ſiſtit hominem, de quo quæritur, an ideò eructaverit blaſphemias, quod in juventute à cane rabido fuerit demorſus? Inſpector ob ingens morſus ac blaſphemiarum intervallum id negat, judicium verò Fac. in contrarium abit. Quis verò hîc certitudinem ſubminiſtret? multa ſanè dubia cautum reddere Medicum poterunt, ne temerè in re tali quidquam vel affirmet vel neget; ne malitia habeatur pro delirio, vel delirans pro blaſphemo declaretur.

Inſpectiones Leproſorum, quæ P. I. Sect. III. ſequuntur, hanc quoque forenſis Medicinæ partem ſua incertitudine ac

diffi-

difficultate præmi ſatis docent, cum pravæ ſcabiei ac malignæ ſæpe ſpecies pro lepra habeantur, quæ rarior ferè hodie eſt, nec omninò liquet de lepra priſcorum temporum, ejusque cum moderna convenientia, aut quomodò & quando circa frequentiam hujus morbi acciderit inter homines mutatio, vel in regione eadem, vel diverſis ac diſſitis; unde & Gui. Patinus paſſim Lepram cum Lue Venerea, exigua tamen veri ſpecie, confundit, licet Caſ. Pand. III. Comitem ſiſtat de lepra ſuſpectum, in quo tamen inſpectores non lepræ, ſed venereæ luis veſtigia deprehenderunt, concluſeruntque, eum à conſortio hominum non eſſe arcendum, cum nullum hinc Reipublicæ periculum metuendum ſit, (quanquam ſanè, nec hujus luis propagatio ſine periculo eſſe dici queat;) in cæteris caſibus in Pand. adductis non niſi ſcabiei pravæ ſpecies invenerunt inſpectores, quæ in iſtiusmodi ſuſpectis hominibus plerumque pro lepra habetur, & quam in I. Caſ. quandam diſpoſitionem ad lepram, quæ tamen brevi, nec difficulter remediis tolli poſſit, dici eò magis mireris, quod diſpoſitio ad lepram tam facilè tolli vix queat remediis etiam optimis adhibitis, cum profundius corrupta ſit ſanguinis maſſa, ſi verò ſcabies ſaltem adſit, ea non eſt vocanda diſpoſitio ad lepram, à qua quippe plurimùm abeſt.

Lues autem Venerea quò frequentior hodiè eſt, eò ſæpè occultior obſcuriorque latet, non ſolum ob affinitatem ſcorbuti inſignem, ſed & ob metum illum infamiæ, qui conjungitur cum hoc malo, quod horrori eſſe ſolet, ac abominationi propter fœditatem, moleſtiam ſummam, ac propagationem contagii jure metuendam, cum tamen atrox id malum & gradus habeat plurimos, & non omnem ſemper pandat ſymptomatum ſuorum ſyndromen, ſed vel uno ſubinde, eoque minus ſuſpecto ſeſe exſerat, unde & hi caſus Pand. VI. & VII. eò ſunt intricatiores, prudenter quidem deciſi, ita tamen, ut

poſſit

poſſit forſan hærere ſcrupulus, tum in primo caſu, etſi in ſolo malum collo ſe exſeruiſſe videatur, an propter ſola remedia acria? ad minimum non ſemper in pudendis alibique puſtulæ obſervantur, etiam in infectis; in caſu altero fœdæ in genitalibus mariti puſtulæ ſuſpectam ad minimum reddunt rem iſtam, ſcabiemque uxoris, etſi ejus pater aſſeruerit maritum jam diu ipſi non cohabitaſſe. In ſimilibus malis nusquam tuta fides; ſubtile venenum eſt, ac penetrantiſſimum, ſuique propagativum, quam maximè ludens variis ſchematibus tragœdias ſuas triſtiſſimas.

Nihil verò eſt, quod æquè crucem Medico figere queat, quam morborum ſimulationes, difficillimè detegendæ, cujus vel deliria exemplum præbeant manifeſtum, tota ſana Regis Philiſtæorum aula ſimulatum Davidis delirium non potuit detegere aut diſcernere à vero. Ipſa etiam intervalla talium morborum augent incertitudinem, unde & Medici in Caſ. VIII. petierunt, ut expectato prius novo ſtatus deliri acceſſu ipſis liceat judicare, an morbus fictus ſimulatusque ſit, nec ne? in Caſu autem IX. eadem intervalla, ac varietas ſtatus morbi effecerunt, ut diverſa ferrent judicia medici diverſi, uxoricidium Maniæ primo adſcribente, aliis dein intervallo eum lucidiore contemplati atque allocuti, agnoſcentibus quidem diſpoſitionem ad Melancholiam, ſimul tamen ſtatuentes, quod ſub impreſſione ejusmodi, raptu ſeu furore Melancholico probabilis admodum & pertimeſcenda malitia lateat; hinc & Facult. Medic. Lipſienſis concluſit, uxoricidium hoc magis ex raptu Melancholico Maniaco, quam ex ſola Malitia fuiſſe commiſſum, prudenti ſic combinatione utrumque complexa malum.

Non minorem eſſe & difficultatem, & incertitudinem circa ſimulationem Epilepſiæ teſtis eſt Caſ. Sect. III. X. ubi contraria Medicorum eruditorum judicia nituntur rationibus

utrinque non invalidis aut ſpecie deſtitutis, unde nec petitum aliunde deciſum abſolutè litem audet dirimere, aſſerens rem iſtam non quidem pro abſolutè ſimulato morbo habendam eſſe, attamen ex omnibus circumſtantiis, dum ſigna non conformia penitus vel ſibi quadrantia ſint, apparere, quod ſimulatio concurrens in tantum ſubeſſe poſſit, isque hunc morbum ſubdolè in rem ſuam vertere, eaque abuti nôrit; illam verò, ſi qua ſuberat, malitiam vix evellere ex animo potuit iterata Tartari Emetici exhibitio, &c.

Cæterum & in Caſu ſequenti XI. pronunciatur equidem, hyſtericam paſſionem, qua corripiebatur infanticidii rea, quoties torturæ admovenda conſpiceret carnificem, eſſe ſimulatam, cum interceptio reſpirationis, faucium conſtrictio, ſenſûs & motus, actionumque vitalium omnium abolitio non adfuerint. Quicquid verò horum ſit, difficile ſanè eſt convulſionem Hyſtericam, ſpaſmodicosque motus ſimulatos detegere, ſi quidem fœmina maleferiata ſuam eò induſtriam velit applicare. Fatentur quidem in paroxyſmo, ſi verus eſſet, non poſſe torqueri, ſed quis torquebat talem in paroxyſmo de quo dubites an verus ſit, nec tamen ſis certus, imò ſi ſit verus, vix etiam extra paroxyſmum potuiſſent decernere torturam, &c.

De magicis morbis circumſpectè judicet pronuncietque Medicus, nullibi hodiè major incertitudo, majorque incredulitas, quidam, ut notum eſt, ſunt nimis ſuperſtitioſi, ac creduli in gravibus his negotiis, quidam omnia exſibilant, meraque phantaſiæ credunt ludibria, quidam media tutiorique incedentes ſemita nec credunt promiſcuè omnia, nec rejiciunt omnia aut exſibilant, ſed examine exacto inſtituto demum pronunciant. Caſ. ſanè XIII. oſtendit, quàm non facilè ad faſcinum recurrendum ſit, cum epilepſia infantibus tam facilè accidat ab aliis cauſis; in XIV. autem Caſu faſcinum

longè

longè majori ſpecie allegatum agnitumque leges tot infantibus eodem modo brevi correptis, fœminaque aliunde ſatis ſuſpecta, utut non defuturi ſint, qui & hæc rideant. Illi verò majori jure explodent faſcinum quæſitum in Caſu XV. ubi rectè deciſum, tumorem illum naturales habuiſſe cauſas; idemque è Caſu XVI. eluceſcit.

Paucis: Non libet ire per omnia illa faſcinorum ſpecimina paſſim conquirenda, vis Magorum, ac Magiæ, adeò hodiè contemtim habita, à Medico prudenti non planè negabitur, ſed nec temerè ubique admittetur, ubi viſum fuerit plebeculæ. Abſint utrinque præjudicia. Spirituum indoles, vis agendi, ac efficacia, potentiaque eorundem tam profundis adhuc tenebris involvuntur, ut non liceat adeò promiſcuè cum modernis plurimis Sagarum, Magorumque incantationes ac faſcinationes in univerſum omnes, tanquam fabuloſas rejicere, ubi maximè peregrina ex corpore miris excluduntur, extrahunturque, modis, ubi vix riſum contineas, ſi per Mechaniſmum, ſine faſcino talia corpora & in corpus immiſſa & rurſus protruſa cum nupero Philoſopho Gallo audiant operosè adſtrui, ac ſpeciosè deduci, occaſione ſcilicet acicularum numeroſarum ex corpore muliebri ſenſim exciſarum. Oportet tamen in his caſibus probè advertere, ne fraudes committantur, quod laudabiliter à Gallis in recenti hoc exemplo teſt. Mem. de Treveux factum eſt.

Si de exhibito judicandum ſit veneno, res difficultate non ratò premitur incredibili, poſtquam tot exemplis evaſit clariſſimum, poſſe, & in corpore gigni, colligique tam acres, corroſivosque humores, qui cum in plenas motuum ataxias ruant, ſuam exſerant malignitatem, eadem cudant ſymptomata, quæ à venenis ſolent produci, ſimilemque in primis viis inflammationem, imò gangrænam &c. ut meritò ſæpiſſimè hæſitandum ſit in pronuntiando Medicis circumſpectis.

Sanè in his Pand. L. I. Sect. III. Caſus XIX. tam evidens non eſt circa certitudinem exhibiti veneni, licet dicatur ventriculum univerſum ſaburra abominabili humorum corruptorum, coloris variegati, quales etiàm vomitu rejecerat, repletum fuiſſe. Neque ſemper ea rei claritas eſt, quæ allegatur in Caſu XVIII. ubi in fundo ventriculi ſtigmata quædam elevata, & inflammata ſe obtulerunt, quorum ſuperficiei materia ex albo flaveſcens incubuit, quæ absque violento conatu digitis potuit abſtrahi, & tunica villoſa interior diverſis in locis adeò dilacerata fuit & eroſa, ut tunica ſubſtrata nervea & candicans emicuerit, &c. Ut taceamus multa adhuc circa venena occultiſſima eſſe, ea præprimis, quæ ad certum interficere terminum dicuntur. Cæterum in ſequentibus Pandectæ adhuc plures caſus veneni evidentis exhibent, ſed tamen & dubii, aut planè negati, uti circa philtrum obſervare eſt, & circa Caſum XXVII. ubi vehementiſſima Cholera veneni malignitatem æmulabatur, vid. & reliq.

Circa vulnerum autem lethalitatem cautela quam maximè opus eſſe omnes conſentiunt, nec libet illud mare nunc ſpecialius ingredi, in quo ſæpe fluctuant & Jureconſulti & Medici, onusque in ſe reciprocè nituntur devolvere, cum judicandum plerumque ſit circa Acta, & relationes inſpectionum inſufficientes, quas quidem ſupplere ac reddere quaſi integras in Facultatum poteſtate ac facultate ſitum non eſt.

Eſt quoque latitudo non contemnenda circa vulnerum lethalitatem, nec uni lethale eſt, quod alteri propter nativam debilitatem, idioſyncraſiam, temperamenti rationem, ætatem, prægreſſos morbos &c. lethale eſt; hinc mirum non erit, ſi Medici loquantur de vulneribus in ſe quidem, & ut plurimum lethalibus, incertis tamen circumſtantiis ſanabilibus, ac vice verſa; ſanè dum hæc ſcribimus, evadit commiſſus curæ noſtræ puer decennis à vulnere capitis, ex lapſu tegulæ

gulæ inflicto, cum fiſſuris & depreſſione cranii, imò cum cerebri violenta non modo conquaſſatione, ſed multa ſubſtantiæ ipſius deperditione, ſuisque alacriter functionibus præeſt, etſi reſiduo in vulneris loco ulcuſculo, cujus eventum præſtolamur; quis verò ideò in aliis caſibus tam enormem capitis,cerebriq; læſionem non dixerit eſſe lethalem, &c.

Cæterum poſt ſcriptum Bohnianum de vulnerum lethalitate, aliosque Medicorum Modernorum libros tutius progrediuntur in negotio tam difficili tirones, licet in caſibus ſpecialiſſimis multum ſemper, imò plurimum difficultatis ſuperſit. Cum maximè ne in foro quidem omnia ita plana, atque unanimi conſenſu definita ſint, cujus notiſſimum illud Programma Strykianum Wittebergæ An. 1691. publicatum teſtimonium perhibet; cum enim totalem à Medicis certitudinem exquirant D. Jureconſulti, hic tamen Vir Illuſtris agnoſcit equidem, Carolum V. in ſua Nemeſi judices remiſiſſe ad Medicos, Doctoresque aſſerere extra ordinem puniendum eſſe homicidam, ſi arbitrio Medicorum vulnus mortiferum haud fuerit reputatum, approbatque hanc Cæſaris cautelam, ſimul tamen duriuſculè judicat de Medicis, eò deventum eſſe aſſerens hodiè, ut non pauci homicidarum ſolis Medicorum ſubtilitatibus ab optimè merito liberentur ſupplicio; vix enim vulnus quoddam proferri poſſe, quod abſolutè mortiferum eſſe univerſa Medicorum Schola aſſerat; ex quo diſſenſu ſæpè in favorem Rei pronuncietur in mitiorem partem, ut facilius hodiè ſit, receptis à Doctoribus tot mediis elabendi, homicidam à gladio, quam à furca furem liberare. Iſta verò non Medicis objicienda erant. Si enim, uti porrò infert, Deus nunquam vel cadaveris inſpectionem, vel vulneris abſolutam mortalitatem deſideravit; ſive mediatè, ſive immediatè ex vulnere ſequatur mors; ſi lex Cornelia nullo loco vulneris mortiferi rationem habuit, ſi, uti con-

cludit, vulnus omne, morti cauſam dans, utut in ſe non mortiferum, nulla accedente vulnerati culpa, capitis ſupplicium mereatur; ſymptomataque ſupervenientia ſine culpa Chirurgi vel vulnerati vulnerati ſint omninò imputanda propter animam occidendi; ſi nec Carolus Cæſar abſolutam vulneris, quod addit, lethalitatem exegit; Qua ergo ratione in Medicos hoc devolvitur, ac ſi ipſorum ſubtilitates à ſupplicio merito liberarent, parcius iſta erant objicienda, cum totus programmatis contextus doceat, ipſis nihil poſſe hîc imputari, ac fruſtra ab ijs queri de lethalitate vulneris, quæ non eſt, judice Strykio, attendenda, cur ergò quæritur? Impoſſibile eſt, ut Medici omnia reddant clara, quæ in actis ſunt incerta & obſcura! Sed ſufficiant iſta! ſat monuimus circa hanc medicinæ partem diſcentes; nec enim hic plenam tractationem, ſed cautelas quasdam ſalubriaque monita ipſis voluimus ſuggere, quibus hîc imponimus Colophonem. &c.

CAUTELÆ SPECTANTES AD ANATOMIAM PRACTICAM, SIVE SECTIONEM CADAVERUM MORBIS DEFUNCTORUM.

ETiamſi plerique hodie minimè ferendum cenſeant, ut ipſorum propinqui cum ſupremum morbo obierint diem ſubmittantur Anatomicæ Sectioni, communi tamen æſtimatione magni fiunt à plerisque iſtiusmodi Sectiones, ſi in alijs inſtituantur, qui ipſos non attingunt, ita ut vel ex eo ſolo Capite Medicum Chirurgumve, ſua licet in arte tenuiter ſatis verſatum, magnifaciat vulgus, ſi plurima morbis defunctorum cadavera ſecet, indeque colligat, talem & morborum, & corporis humani penitiorem neceſſariò habere notitiam, remque

que in fontibus ſuis conſpexiſſe, ac proin intimius ſolidiusque noſſe.

Fatendumque omninò eſt, utiliſſimas eſſe Sectiones poſt mortem inſtitutas, non equidem qualescunque illæ quorundam dilaniationes, ſed circumſpecta exercitati Anatomici examina, ac ſcrutinia, quibus ſenſim ac ſenſim augetur hiſtoria cauſarum morbificarum, & productorum morbificorum (talia enim poſt mortem ſæpiſſimè habentur pro cauſis) ut innoteſcant tandem modi plerique poſſibiles, quibus vel deſciſcere partes ac viſcera in ſtatum præternaturalem queant, vel nova gigni in corpore, colligi, ac concreſcere valeant; quò plenior tandem ſeges Phænomenorum, & obſervationum pathologicarum hac etiam ex parte obtineatur.

In eo tamen graviter hallucinantur plerique, quod ſibi alijsque perſuadeant, talem Sectionem ideò utiliſſimam eſſe, quod ſemel in hoc ſubjecto detecta occultiore cauſa omnibus alijs opem ferre queas, qui cum ſimilibus conflictentur Symptomatibus eundem neceſſariò in corpore habeant latentem nævum ac cauſam morbificam, quam tollendo tot alijs emolumento auxilioque eſſe queas.

Neque enim hæc ita plana perſpectaque arbitranda ſunt; ponamus aliquem cordis palpitatione ac valdè difficili reſpiratione diu fuiſſe tortum, repertumque poſt mortem in cordis thalamo, vel vaſe majore polypum, dupliciter ſanè ille erraverit, qui ex hac detectione tantam ſibi formaverit ſpem, tantumque alijs promiſerit auxilij; primò enim malè concludet, alios palpitatione cordis ac dyſpnœa laborantes omnes præciſè etiam geſtare in cordis ſinu vel vicinia polypum, poſſunt enim eadem ſymptomata à Spaſmodica cauſa, ab oſſeſcentia arteriæ prope cor, ab anevriſmate illius vaſis, ab anguſtijs, reliquorum vaſorum in ingreſſu cordis, imò à viſcidis humoribus,

ribus flatibusque oriri, ſic verò talem credulum Sectio potius ſeducet, quam ad veram cauſam deducet. Secundò fruſtra nimium ſibi promittunt opis, vel etiam alijs ſimiliter ægrotantibus; ſit enim ita, invenerint in diſpnoici cadavere pulmones infarctos, putridos, vomicis repletos, polypos circa cor, arteriæ magnæ dilatationem, ejus oſſeſcentiam vel in fieri vel in facto; inveniant in alijs alio morbo defunctis concretiones paſſim factas calculoſas, vermes latentes, polypos in cerebro, imò, quod recentioris eſt obſervationis in gula, ulcera renum, & talia, quæ numero poſſent recenſeri, an ideò poterunt alios eodem modo laborantes curare? de quibus adhuc maxima ac incertiſſima quæſtio eſt, an eadem laborent cauſa morbi, ac poſito, ea laborare, eamque ſubeſſe in corpore, an ideò quod aliquando tale quid in cadavere viderint, ſuppetet ipſis methodus mala illa graviſſima occultiſſimaque emendandi, tollendi, curandi? de quo quidem eos ſibi blandiri nemo facilè crediderit.

Alia ergò eſt ratio prudentis & circumſpectæ Sectionis ad ſcopum augendæ hiſtoriæ medicæ ac cauſarum morbificarum, alia verò inſtitutæ ſcopo adeò incerto, vago, ſibi non conſtante, tantisque promiſſionibus atque expectationibus non ſatisfaciente; hæc enim ſæpe arripit pro cauſa morbi ejus effectum, cumque non reperiat in cadavere cauſam mortis manifeſtam, ſubſtituit aliquam fortè obviam, quæ ratione præcedentis morbi effectus rationem habet. Facile enim eſt ijs perſuadere, qui rem intelligunt. Sectores verò intelligentes agnoſcunt difficultates ſæpè occurrentes, ſuumque in oculis gerunt ſcopum, augmentum ſcilicet Hiſtoriæ Medicæ, dudum quippe perſuaſi, omni etiam adhibita diligentia, ſæpe aquam hærere, ac manere ſuſpenſum Medici animum, cuinam cauſæ prægreſſa Symptomata adſcribat.

Utut

Utut enim in Sectione ſæpe manifeſta mox occurrat, quæ allegari, monſtrari, palparique poſſit cauſa, id tamen minimè obtinet ſemper ac perpetuò, cum & in hac Artis ſaluberrimæ Parte facilè ſit minus attentis committere fallaciam non cauſæ ut cauſæ. Hinc & graviſſimorum Virorum hoc in genere Scripta ita legent diſcentes, ut dijudicent modeſtè hiſtorias, an à tali cauſa probabiliter ſint orti, nec cæco modo omnia pro certis aſſumant, ad minimum cum diſcretione debita ac judicio circumſpecto præbeant aſſenſum.

Nemo autem plenius elegantiusque numeroſas iſtiusmodi hiſtorias congeſſit Boneto in opere ampliſſimo Sepulchreti, in quo diſcentes invenient abundè, quod ſuos convertant multo cum fœnore in uſus; cum tamen & ibi oboriri ipſis queant paſſim dubia, aliquot ſpeciminibus inde ſelectis eorum aliqua formabimus ac conſiderabimus, ut extricare ſe eò facilius diſcant Tirones.

Obſ. 62. inſcribitur: Capitis dolor ab Hydatidibus obortis circa temporales arterias. Puer præceps in caput ceciderat, inde domum delatus maximis cœpit urgeri capitis doloribus, tandem apoplecticus obijt, &c. Illi circa temporales arterias hydatides repertæ quam plurimæ, quarum pars incraſſatis humoribus atheromata, pars ſteatomata, alia melicerides referebant. Manet ſanè hic dubium an Capitis dolor ab hydatidibus ſit ortus, atque annon potius eandem cum illis cauſam habuerit ſtagnationem ſanguinis; nec enim eo in loco hydatides apoplexiam produxiſſent, ut taceam comparationem hydatidum minus aptam cum triga illa tumorum.

Obſ. 64. p. 34. inſcribitur: Capitis dolor ob tenuis meningis cum craſſa concretionem; quæ ſcilicet inventa eſt amplitudine thaleri ſub oſſe ſyncipitis verſus tempus; nec verò evidens certumque eſt, hanc cohæſionem ſævam ægro Cepha-

lalgiam excitaſſe, quanquam ſi conferas Obſ. 72. pag. 37. illa quoque coalitum meningum, ſed circumſtantijs veſtitum exhibeat, coalitionem ſcil. tumorem aſperum & inæqualem excitaſſe dicitur, in quo vaſorum oſcula ita penitus fuerint obſerata, ut ſanguini ebullienti in ſinum propinquum nullus aditus fuerit conceſſus, quanquam hoc ultimum non probaverit Williſius, cum coalitio ſaltem per aliquod ſpatium ſe extenderit, occluſioque vaſculorum ratiocinio ſaltem concludatur; id tamen cauſæ huic allegatæ pondus addit, quod in pluribus id ſe obſervaſſe aſſeveret, ſitque res in ſe ſatis poſſibilis.

Cephalalgia porrò Obſ. 79. p. 35. deducitur ab inventa poſt mortem gangræna duræ meningis, cum tamen probabilius longè ſit, hanc gangrænam morbi fuiſſe effectum, cauſam verò doloris manifeſtam exhibeat os acutum in medio cerebro circa falcem latens; eàdem ratione Obſ. 81. pag. 45. Cephalalgia à meningibus deducitur, quæ ſiccæ poſt mortem repertæ ſunt ac velut ſyderatæ, quæ verò additur atribilaria diſpoſitio ſatis docet vitioſam meningum diſpoſitionem effectum morbi vel mortis fuiſſe, non cauſam doloris diuturni, cum illud vitium diuturnum eſſe non potuerit durante vita; nec facilè credas Cephalalgiam diuturnam prioris Obſ. 82. p. 45. allegatam tabacum induxiſſe nigredinem duræ Matri circa partem ſupernam oſſis coronalis, cerebri ſubſtantiam attingentem, adæquantemque craſſitiem ſemidigiti, hæc potius videtur fuiſſe ſphacelus cerebri, non cauſa Cephalalgiæ diuturnæ, ſed effectus ac clauſula morbi, &c.

Neque verò facilè conciliaverint diſcentes, quod Obſ. 90. & 91. Cephalalgia nimis arctæ futurarum compagi adſcribatur, nullo vaporibus conceſſo ſcilicet exitu, & tamen obſ. 93. pag. 58. bajuli cranium allegetur ἄῤῥαφον & craſſiſſimum, qui

qui tamen nulla vi externa læsus fuerit unquam in capite, nec unquam à causa interna doluerit; cur enim hîc vapores nullos excitarunt dolores denegato ipsis omni exitu? cum maximè ex Celso allegetur: id caput firmissimum, ac à dolore tutissimum esse, quòque futuræ sint pauciores, eò capitis valetudinem esse commodiorem

Cæterum Obs. 70. p. 36. circa causam Cephalalgiæ assignandam hæret Vir Cel. cum reperta sint varia, tumor & elevatio duræ meningis, repletio turgens arteriarum, tenuis matris crassities, serumque per cerebri anfractus copiosum; mavult autem dolorem capitis deducere à turgentia Vasorum, quæ tamen potuit sub finem sæpe superveniſſe, cum diuturniores videri possent causæ reliquæ: id verò mireris, Doctissimum Virum Obs. 121. natum ex odore basilici in cerebro Itali scorpium & admittere, & genesεos modum in Scholio operosè tradere, quæ ipsa apertè docent, Virorum etiam Doctissimorum Scripta non sine examine esse legenda; quis talia de halitibus basilici sibi persuaderi patiatur?

Calculi in vesicula fellea numero denario obs. 58. pag. 121. reperti, an Apoplexiæ causa fuerint, quæritur, sed non dilucidè deciditur; ad minimum non videtur fuisse immediata causa, si etiam valeat Autoris ratiocinium; nec sequitur, reperti sunt calculi, ergò apoplexiæ, qua obijt æger, causæ fuerunt; nec calculi cystin occupantes omnem bilis impediunt motum, si quidem à bile originem apoplexiæ cum Autore derives, &c.

Obs. 28. p. 138. occasione Cataphoræ Senis ex Galeno docetur, urgere cataphoram vel minima squamula ossis sauciati mota; id sæpius se comperisse ait Bonetus, addens: cuidam os frontis & sincipitis erat gladio scissum sic, ut innatarent meningibus frusta ossea, si forfex vel dexterrimè ad-

moveretur, in Cataphoram labebatur miſer, interdum motu convulſivo repetitur: Inde nec comprimebatur Cerebrum, nec initium nervorum, nec Spiritus animales conſumebantur; at verò, dicet hæc legens ſagacior Tiro: datur quartum, enormis irritatio meningis, & dehinc principij nervorum, ſtricturaque ſpaſmodica inde enata, & ſpirituum ſuccedens abſumptio, diſſipatioque; dicuntur enim fruſta oſſea innataſſe meningi, ſed non innatarunt, verum adhæſerunt, alias forcipibus non fuiſſet opus, ſi autem adhæſerunt, potuerunt iſta mala per conſenſum hanc partium facilè cadere, &c.

J. A. Maginus Mathematicus Comate mortuus calculum veſicæ xv. unciarum Sectori obtulit, qui ſanè immediatè Coma non effecit, quippe quod Symptoma fuit febris continuæ ſupervenientis calculo; cæterum non erat diſputandum, an Comate an apoplexia mortuus ſit, cum morientes affectibus ſoporoſis vix aliter quam Apoplexia moriantur.

Cæterum cum Maginus integro octennio urinæ acris ſtillicidio vexatus de calculo ſemper dubitaverit, omniaque in ſalſum retulerit humorem, illud adhuc manere queat hoc in caſu dubium, an calculus integro illo octennio jam præſens & æquè magnus fuerit, an ultimis demum temporibus concreverit, vix enim alias potuiſſet dubitare de calculo.

Delirium ab abſceſſu in apice gibbæ hepatis partis in Obſ. 43. p. 175. deducitur, poſſet quis hærere dubius, an abſceſſus non fuerit cauſa, an productum morbi; brevi enim pus formari poteſt; ad minimum abſceſſus non fuit immediata delirij cauſa, ſed febris. In Caſu autem 44. ſeq. Auriga mortuus rectè dicitur ex febre ardente, & tamen inſcribitur Obſ. paraphrenitis à bile acerrima è cyſti fellea exſudante, vaſis cerebri & cordis ſanguine nigro turgentibus; ſanè ſuppoſita hac ultima circumſtantia ſanguinis ſtagnantis vaſaque partium

um principum diſtendentibus, non opus erat colligere, vim bilis erodentem ſimul nervoſum genus tetigiſſe, & ægrum furioſum reddidiſſe; tinctura enim flava in vicinia veſiculæ fellis crebrò obſervatur ſine ullo delirio; ſic ſæpe relinquitur genuina cauſa, & arripitur illa, quæ magis ſub ſectione priusque quaſi incurrit in oculos.

Mania in Obſ. 1. p. 176. à ſiccitate cerebri in ſuperficie flavedine tincta derivatur, ſed manifeſta maniæ primùm vel phrenitidis cauſa febris ardens fuit, quæ ſecuta eſt Melancholiam, unde cum ceſſante febre amentia ac furor ſucceſſerit, dubites, an hæc orta ſint primùm ab inventa poſt mortem cerebri diſpoſitione ſiccisſima, dura, adeòque in ſumma parte digitis friabilis, ad digiti altitudinem flavedine tincti; iſta enim videntur morbi effecta, nec diu potuiſſet ita ſiccitas cerebri enormis durare.

Occaſione Maniæ à vermibus in cerebro ortæ Obſ. 5. p. 180. agnoſcit Author, hæc vitia eſſe occulta, vivente homine, non agnoſcenda, quid ergò proderit alijs, ſi in unius cadavere tales vermes reperiantur, quo ipſo non negatur uſus talis ſectionis pro hiſtoria Medica amplificanda, ſed uſus fictitius, quô alijs debet eſſe valde proficua ſimili malo laborantibus. Siccitas obſervata in demorſo à cane rabido maximè circa cor aridum, non immediatè veneni illius fuit effectus, ſed ardentiſſimæ febris inde excitatæ, ſub cujus decurſu iſta ſiccitas enata fuit, ſive venenum canis quarto ordine calidum dicatur, ſive alio.

Melancholia in Obſ. IV. p. 183. adſcribitur humori atro in dextro cordis ſinu contento, diciturque pars humoris Melancholici ibi velut concreta ac fermentata; nec tamen ater iſte humor ſeu ſanguinis grumus fuit cauſa Melancholiæ, ſed effectus morbi ac mortis; idemque dicendum de Obſ. VI. pag. 184. ubi Melancholia dicitur orta ab atro ſanguine in cordis

cavitate, ſeroſitate in pericaulio, & abſceſſu prope auriculam cordis, utut enim hæc fuerint reperta, non fuerunt tamen cauſa Melancholiæ, ſed effectus; uti & aviditas cordis & viciniæ in cæteris ibi recenſitis caſibus.

In obſervatione Kerkringiana, quæ eſt p. 210. V. Soliditas pueri dicitur orta à lapide in Cerebro reperti, ſubſtantia Cerebri flavida, cerebri cum cerebello mala cohærentia, defectuque glandulæ pinealis; Multa hîc eſſent diſquirenda, ut pateret, quæ nam fuerint cauſæ genuinæ, quænam verò ad effectus ſpectaverint, ſerum ventriculos replens nequidem in titulo pro cauſa allegatur, cætera non ideò cauſa ſunt, quia poſt mortem reperta, quis enim novit fata illius glandulæ pinealis ſub ſectione; ſuo forſan modo plura concurrerunt, &c. Cæterum in Obſ. 19. p. 213. Fatuitas inveterata nulla in Cerebro cauſa deprehenſa affertur, hinc cauſa mortis propter viſcerum putredinem dicitur manifeſta, ſed cauſa fatuitatis non comparuit, cum Cerebrum absque ulla labe integerrimum comparuerit, fuit igitur fatuitas iſta hypochondriaca, videturque radices in abdomine habuiſſe, adeò non ſemper ea inveniuntur, quæ præſtolantur Sectores.

Obſervatione 14. pag. 221. vertigo adoleſcentis crapulæ dediti dicitur orta vitio ventriculi, nigro ſucco ex dimidio pleni. Mireris ventriculum accuſari cum ſucco nigro, effectu morbi, eumque à parvo forſan tempore inundante, cum tamen epiploon putridum, heparque ſiccius quoque ſint notata, dyſcraſiæ ſanguinis præcedentis clariſſima indicia; unde ſanè hîc, quicquid nota ſuggerat rationum, vomitoria vix tuliſſent omne punctum, &c.

Obſervatio I. p. 224. ex Williſio docere debet, neque cerebrum, neque Meninges ſubjectum eſſe Epilepſiæ, quod illa ſecuta non ſit iis à pure vellicatis, abſceſſu ſcilicet in dura

matre

matre excitato, & poſtea diſrupto, ægrum in ſtuporem primò, & demum in apoplexiam lethalem incidiſſe, ac tamen toto morbi decurſu à quovis ſymptomate Epileptico immunem fuiſſe ægrum, &c. Quis autem ferat formatam hinc concluſionem univerſalem, cerebrum & Meninges non eſſe ſubjectum Epilepſiæ, varii ſunt modi afficiendi, annon gravia ſatis mala ſupervenere, & quis facilè viderit Apoplexiam, circa quam nihil Epileptici fuiſſe conjunctum auſit aſſerere. Cæterum adducta ex Binningero Epilepſia ſalvis & in paroxyſmo judicio ac ſenſibus rarior p. 238. Obſerv. 34. eleganter docet ſalvo cerebro Epilepſiam oriri poſſe per conſenſum, uti in eo caſu ater pulmonis lobus, & ſtatus bilis docet, ſalvo cerebro, quod vix ante ſectionem quis expectaſſet.

A colluvie ſeroſa convulſivos motus non cieri, niſi aliud accedat, oſtenditur Obſ. 2. p. 247. eorum exemplo, in quorum cadaveribus cerebrum ſero immerſum eſt, etſi ſpaſmodicis affectibus obnoxii non fuerint; nec verò omnes conſequentiam admiſerint, cum illa ſeroſa colluvies, aliquando diu ante mortem incipiat colligi, aliquando horis quaſi ultimis eò congeratur, id verò ſectio docere non poteſt, quæ ſeri præſentiam, non moræ tempus docet; aliquando ſerum iſtud inundans impedit influxum Spirituum ac potius affectus ſoporoſos producit, aliquando verò ſtimulat, & convulſionibus ciendis adeò non eſt inſufficiens, uti hic perhibetur, ut potius eas violenter poſſit excitare; ſi autem limpido ſero prorſus ſunt immerſa nervorum principia, mirum non eſt, iis inde compreſſis non ſpaſmos ſaltem, ſed apoplexiam oriri. idque ipſum corroborare magis lubet alio effato Obſ. VI. p. 258. ubi dicitur: Motûs convulſivi in pueris cauſa eſt aliquando ſerum intra cavitatem cerebello ſubjectam congeſtum, & membranam, qua medulla oblongata inveſtitur, diſtendens, ac nervorum originem inundans; aliquando occulta eſt,

nullo

nullo ſui relicto veſtigio. Ubi ſcilicet à ſtimulo eſt ſpaſmus, qui tamen etiam à ſero teſtibus his verbis poteſt oriri, &c.

Juvenis Obſ. I. p. 273. diu in carcere detentus languidus decubuerat, perpetuo ſtupore afflictus, cerebelli ſubſtantia præterquam quod ſolito eſſet mollior, ſanguine etiam pituitoſo affluebat; dubites tamen an rectè inſcribatur: Stupor à Cerebelli ſubſtantia molliori, ſanguine pituitoſo diffluente; potuerunt enim hæc ſub vitæ demum finem fieri, ſerumque cruentum ibi colligi; præcedentis ſtuporis cauſa latente in ſectione adornata.

Dicitur p. 292. V. Obſ. app. Nervos quantum vis ſero immerſos paralyſin non incurrere niſi ab eo premantur, aut corrodantur &c. hocque deduitur ex copia ſeri inventi inter meninges & in cerebri ventriculis Spoerlini, qui ad ultimas usque horas ſenſibus valuerit, notanter tamen additur manuum & pedum digitos, ipſosque artus aliquantulum movit; hoc ipſum ſanè aliquantulum propè accedere ad paralyſin videtur, theſinque poſitam infringere, quanquam nec certi ex ſectione ſimus, ſerum illud abundans diu ante mortem ibi jam hæſiſſe, & non potius ſub ultima luctæ vitalis tempora eo fuiſſe congeſtum; unde & dubitare poſſis, an deſcripta in fine ejusdem paginæ paralyſis poſt Colicam orta fuerit à tenui illo ſero circa cerebrum reperto, & annon hoc ſub extremo naturæ conatu demum huc confluxerit; integrum enim annum paralytica vixit, illa verò inundatio per annum durare non poterat.

Mirum in Obſ. XI. p. 324. mulieris, cui ſubitò ob oculos tenebricoſum quid obverſabatur, quæque mox concidit ἄφονος, ſterrit, convellitur continuò, ſex horis poſt moritur, necem vocari catarrhum ſuffocativum ab Autore, ideò quia cerebrum illæſum, pulmones vitiati, etſi Ballonius pulmonum corruptionem huic ſcopo inſufficientem judicet; adeò

per

per ſectionem certitudo obtenta non eſt; epileptica ſanè mortua eſt, quo morbo ante laboraverat, cujus veſtigia non ſemper in cerebro poſt mortem deprehenduntur, ſufficit exiguus ſtimulus ſæpiſſimè fugiens viſum, ibique latens, ubi eum non quæſiveris, vel indagaveris ulla ſuſpicione, quanquam & iſta pulmonum putrida diatheſis per conſenſum ad graviorem morbi exitum potuerit contribuere ſub amplexibus ſororis.

Ex obſervatione ejusdem paginæ 12. diſcimus, Romanos fluxionibus maximè eſſe obnoxios, ac in plerisque poſt obitum pulmonum variam læſionem deprehendi; nec tamen omnes affectibus pectoris moriuntur, quis ergò hîc ex ſectione certitudinem cauſæ expectet ſemper, ſi enim inter centum cadavera, quod hic Panarolus profitetur, vix quinque ſint inventa, in quibus pulmones non fuerint aut variegati, aut nigricantes, aut dealbati, aut exiccati, aut purulenti, aut aquoſi, aut coſtis inhærentes, aut in totum ex una parte carentes, hæcque omnia ferè vitia lethalia ſint, quis non hæſitet in ſectione eorum, qui aliarum partium morbis moriuntur, ſæpè occultis, nec tamen tali præcisè pulmonis ſtatui adſcribendis. De aëre verò Romano, indeque natis ſubitaneis mortibus Ill. Lanciſius adeò ſolidè ſcripſit, ut ita hinc lucem haud exiguam expectare queant.

Eliſabetha N. Obſ. 32. p. 340. per 25. annos intenſo capitis dolore cruciabatur, adeò ut inter edendum, vel aura liberiore accedente lachrymæ fontium inſtar ex oculis erumperent; quia igitur aperto mortuæ cranio inventa eſt ſub pia matre magna aquæ limpidæ quantitas, ac ventriculi cerebri eodem turgebant liquore, placuit, ita inſcribere obſervationem: Lachrymarum ubertas ab aquæ copia ſub pia meninge & in ventriculo cerebri; quaſi verò per tot annos hæſiſſet ibi illa aqua forſan vix ante obitum effuſa ac collecta, cum lachrymæ prius largiſſimæ à ſtrictura glandularum circa oculos

ſpaſmodica promanaverint, ſero enim ex cerebro non patet ad oculos via. Ita facilè fit, ut reperta in cadaveribus decipiant Medicos, perſuadeantque, eſſe ea veram mortis prægreſſi cauſam, cum quo nihil habuere commercii, ut committatur hac ratione præter ſpem fallacia non cauſæ ut cauſæ.

Concluſiones ab uno caſu ad alium ſæpè cum incertitudine fiunt ingenti, ſi non omninò fallunt; ad minimum certitudo non ſubeſt, iſtiusmodi comparationibus ſine autopſia factis. Exemplum forſan præbeat Obſ. I. p. 342. exhibens aures purulentas ab abſceſſu cerebri; Filia D. D. Maſſeparault manantem aurem habebat, id quod effluebat ἰχωροειδὲς, ſuppreſſum fuit, hinc dolor capitis & gravitas, febris &c. Inventus eſt gravis in cerebro abſceſſus. Et hic quidem res oculis patuit. At in Sancti Berolitani caſu adjuncto, qui idem probare debet, eandem nemo facile evidentiam adeſſe dixerit; id dubio caret, eum ulcere fiſtuloſo in aure ſiniſtra laboraſſe, copioſam ſtillante ſaniem, quam contra illius opinionem voluerunt retinere Medici, quod diſſuaſit, credens à cerebro defluere; repente mortuus eſt, & poſt mortem plurima ſanies dicitur ab auribus & naribus effluxiſſe, ut oſtenderet materiam retentam fuiſſe in cerebro, quam ſi foras eduxiſſent, talis caſus minimè contigiſſet. Hîc incertum eſt ex cerebro fluxiſſe ſaniem, nec effluxus ex auribus & naribus id probat, quomodo enim ex cerebro per nares fluit, nec copioſior ſanies neceſſariò fluebat à cerebro, cum multum poſſit latere in ſinubus tum naturalibus, tum præternaturalibus ſeu fiſtuloſis cavitatibus; certum ergò hîc non erat, fuiſſe abſceſſum in cerebro, deficiente autopſia; ſi autem fuiſſet ex cerebro orta ſanies, cur dicit talem caſum vel eventum non fuiſſe futurum, ſi eduxiſſent materiam, ſed non poteſt pro lubitu vel educi, vel retineri, ac fuiſſet ægro moriendum, & cum eductione & ſine eductione.

Quam verò perverſa facile judicia in ſectionibus per præju-

præjudicia ferri queant, docere queat Obſ. IV. p. 347. Patritius Venetus fragrantiſſimis à juventute inde odoribus delectatus incidiſſe dicitur in tantam olfactus abolitionem, ut ne fœtidiſſima quidem olfaceret, cum dolore capitis obtuſo, & maximè gravativo, adeò, ut pendulum ſemper gereret caput ac pronum, ſuperveniſſe continuam febrem, quæ ægrum intra nonum jugulaverit. Aperto capite nil repertum in ventriculis cerebri, at propè baſin ejus lapidem compreſſum, taleri nummi inſtar, ſed non omninò rotundum cineritii coloris repererunt, qui os cuneiforme & olfactus meatus planè impediebat, adeò, ut nec olfacere, nec expuere poſſet. Additur verò hæc mortis cauſam non facere, hinc alia in abdomine quæſita. Quæſo autem, ſi hæc cauſa non ſufficit, quid ſufficiet, tanta moles concreta in baſi cerebri cum febre continua ſcilicet non ſufficiunt ad hominem necandum. Tranſeat error de olfactu & expuitione abolita propter meatum olfactorium obſtructum! ſubſtitues enim compreſſionem nervorum olfactoriorum. Non tamen opus erat aliam mortis cauſam quærere, quam tamen inveniſſe ſe gaviſi ſunt in hepate duro, nigro carbonis inſtar, ſanguineque in illo aterrimo; quaſi iſta in morbo ultimo & partim poſt mortem non potuiſſent oriri. Sed tranſeat!

Obſ. X. p. 349. Matronæ è naribus graveolens mucus concretus ſubinde extrahebatur, omninò mali coloris, &c. Reperta eſt cerebri ſubſtantia integra, ſed copioſo admodum humori innatans; hactenus quidem bene, ſed quàm facilè nectantur conſequentiæ illegitimæ, oſtendit & Dodonæus, ſubjungens: hic humor fomes eſſe potuit muci, qui ſæpe in naribus concreverat; ſed & Bonetus in inſcriptione eum ſequitur, vocans Mucum graveolentem è naribus prodientem à cerebri ſubſtantia copioſo humori innatante. Acſi certi fuiſſent, hunc cerebri bene cætera conſtituti humorem

non demum confluxiſſe ſub finem morbi ac vitæ ; nullaque habita ratione, vel viarum non patentium, vel graveolentiæ ac mali coloris, qui competebat educto ex naribus humori, quorum neutrum perfundenti cerebrum humori ullâ circumſtantia tribuitur.

Obſ. I. p. 354. Puer ſiſtitur eroſione gingivarum à longo tempore graviſſimè vexatus, in aperto mortui cadavere tanta eſt inventa abundantia vermium, ut aliquibus in locis eroſerint inteſtina, multique in vacuo ventris fuerint reperti: Non ideò tamen licet cum Boneto ſtatuere, Gingivarum hanc eroſionem incurabilem à vermium abundantia in inteſtinis traxiſſe ortum ; potuiſſet ſanè adeſſe ſine vermibus ab acribus illis ſuccis, qui & vermibus præbuerunt nidum.

Oris nariumque fœtor Obſ. 8. p. 357. Cauſam videtur habere manifeſtam, cum è naribus eductus fuerit graveolens varii coloris ozænæ familiaris mucus; & tamen ſectio cadaveris alia omnia fecit judicare & Dodonæum, & Bonetum, ille enim viſo in cerebro humore largiore ſtatuit inde potuiſſe illum narium mucum derivari, hic verò ob repertam exteriorem ventriculi ſuperficiem eroſam oris fœtorem ab ulcere ventriculi genitum maluit ſtatuere, &c.

Garnerus obſervavit p. 358. Obſ. 13. hominem lue venerea profundiſſimè dudum infectum poſt plures inunctiones mercuriales, curasque, quas vocant alias, exſpuiſſe eroſas faucium partes, tandemque ipſum cerebrum, tantum fuiſſe fœtorem, ut ſectio vix in aprico etiam fieri potuerit, viſum tamen exemtumque ex ventriculis cerebri tumultuariè ſectis multum argenti vivi; adeò hic Mercurius oculos animumque percellit Cel. Boneti, ut hanc interiorum oris partium gangrænam & corruptionem hydrargyro huic in cerebro relicto in inſcriptione tribuerit, acſi teterrimi venereique ſucci corroſivi non ſufficerent ad iſtas tragœdias excitandas in iis, qui

per

per totam vitam circumferunt rodens illud ſubdoleque ſerpens Miaſma, in apertam demum flammam infeliciter tandem erumpens.

Quis verò dicat Linguam nigreſcere ob corruptam in utero ſecundinam, ſi ſectio partem membranarum putridam & carnem oblongam utero adnatam oſtenderit, uti in Obſ. XX. p. 382. talis lingua ſphaceloſa fuit, ac νέκρωσιν paſſa, ad quod non niſi remotè ſecundinæ retentio concurrit; pariter in Caſ. 21. licet in anatome Principis arteria venoſa & aorta nigro humore fuerint repletæ, qualem in lingua & faucibus per aliquod tempus habuiſſe dicitur, non tamen ideò dici cum certitudine à Boneto potuit, linguæ & faucium nigredinem à nigro humore in arteria venoſa, & aorta concluſo habuiſſe originem, cum via ac communicatio inter has partes pateat nulla.

Extra controverſiam poſitum eſt, multos infantes dentitioni ſuccumbere, ac forſan frequens eſt mortis cauſa impedimentum, quod objiciunt duriores firmioresque gingivæ maximè in infantibus debilioribus, unde facilè convulſiones, indeque mors; duriuſculum tamen videtur, Bonetum in filiolo Principis Nivernenſis octimeſtris mortem derivare ita nudè à gingivarum craſſitie eruptionem dentium impediente, nulla tamen facta mentione ſymptomatum vel modi moriendi, ad quem non niſi remotè illa gingivarum diſpoſitio potuit concurrere, ſcilicet irritando per conſenſum ſyſtema nervorum; & quo argumento certus quis eſt, gingivas eſſe extraordinario modo duras, cum omnes ſint carnoſæ & ſtructuræ ſimilis. Dixit verò iſta in favorem inciſionis gingivarum, de qua dicendi hic locus non eſt.

Magnus in Germania Princeps Obſ. 23. p. 396. cum ætatis Anno 18. frigidam liberalius potaſſet, mox aſthmate correptus eſt per intervalla, graves erant paroxyſmi, cum craſſo

& obæso esset corpore, sellæ in id paratæ, ut integros dies & noctes sedens etiam dormire posset; sæpe per biduum & ultra ita rectus insidere solebat, ut verè Orthopnoicus dici posset: Liberatus tamen dicitur à difficili hoc malo juvantibus multum Badensibus thermis; hinc mirabuntur Lectores circumspectiores Orthopnœam hanc, quæ tamen curata fuit, adscribi pulmonibus semiputribus, purulentis, nigricantibus, ideò, quia post mortem inventi pulmones magnam partem nigri & putridi, non sine pure, ea cumprimis parte, qua dorsum attingebant. Hæc sanè purulentia non adfuit, cum Orthopnoicus esset, alias enim non fuisset curatus, quis enim talem putredinem coërceat, multo minus Badenses thermæ id præstitissent in statu pulmonum purulento. Distinguenda ergò erant tempora, nec ultima putredo vitam finiens statui pulmonum priori debebat adscribi: nec sectio poterat de morbi curati antea causa satis testari.

Si in casu Obs. 159. p. 451. in Honorata febre lenta laborante Orthopnœa à rene dextro purulento directius videatur derivanda, quæ tamen remortior erat causa, nec tam agebat aura, quæ allegatur venenata, sed per consensum & stricturam nervorum; in sequenti tamen casu Obs. 160. minori jure videtur Orthopnœa adscribi non soli causæ genuinæ ac manifestæ, contorsioni scilicet spinæ dorsi ad modum Lit. S, sed primo quasi loco duobus calculis in rene sinistro repertis; cum tamen spirandi difficultas per tot annos duraverit nullis sublata remediis propter vitium conformationis in spina, ad quam Orthopnœam vix contribuisse videntur calculi, utut post mortem reperti; ad dorsi tamen dolores potuerunt concurrere.

Circa urinatorum moram sub aqua pag. 458. Obs. 168. statuitur, eos, æquè ac animalia amphibia diu in aqua salva respiratione subsistere, quia foramen ovale per totam vitam apertum

apertum ſervetur; ſed deeſt provocatio ad autopſiam, nec ſufficit Corn. Conſentinum hoc afferere, credentem homines ad urinandum aptos fieri, ſi dum infantes ſunt ad plorandum ſæpius irritati, ſpiritum diu cohibere ſinantur, hinc, ut neceſſe ſit ſanguinem ſubinde per foramen ovale trajici, & propterea coalitionem ejus impediri; ſed ſunt iſta ficulnea, cum tota illa inepta pro formando urinatore Methodo; cum agnoſcatur Needhamum ne in brutis quidem id reperiſſe. Unde nec in appendice ſatis cautè dicitur: oſtendi (experimento facto in cane, cui vita prorogata fuit per horam jugi aëris per follem in ejus pulmones impulſu, etiam diſrupto thorace & diaphragmate,) mortem immediatè non pendere à ceſſatione motus pulmonum, aut ab inhibita ſanguinis circulatione, ſed à recentis aëris inopia. Contrarium enim ipſa vita, ipſa follis agitatio jugis, quæ vitam ſervavit, docet, hoc enim non præſtitit alia ratione, quam ſervando motum & expanſionem pulmonum, & conſequenter libertatem vaſculorum, ſanguinisque circulationem, ſine qua ſtatim mortuus fuiſſet canis.

In Villico adoleſcente Obſ. 2. pag. 461. tuberculi forma ad palati forulum ſe prodidit adhæreſcens, ad eam tandem excrevit magnitudinem, ut totas hominis fauces opplens & alimentum, & potum, & aërem impediret, obiit ſuffocatus. Severinus, qui laryngotomiam ſuaſerat, eam in cadavere inſtituit, viditque reſoluta transverſim trachea quà bronchia per ſynchondroſin junguntur, confertim & ſubitò viſum eſſe humorem prodiiſſe cum ſpuma, audivimus fragorem ſpiritus veluti elabentis ab anguſto loco; mireris verò adſtantes cum ipſo credidiſſe, quod potuerit in viro tali ſectione ad prorogandam ſpiritus uſuram ægro ſingulariter ſubveniri, cum tamen ipſe addat, repertam fuiſſe dexteram cordis auriculam duriorem & cartilagineam, plurimo atroque ſanguine diſten-

distentam sic, ut pugni magnitudinem æquasset, quæ dissecta nec resederit, nec repressa sit, sed eodem modo fornicata perstiterit, velut obfirmata huic statui & velut tigillis affabricata; nec variantem fuisse ab hac auriculam sinistram; quis hic longiorem juveni vitam à laryngotomia potuisset promittere in statu auricularum summè desperato & incorrigibili, qui magis ad suffocationem videtur contribuisse, quam tumor ille, quem æquiparavit testudini terrestri parvulæ. Sed favor laryngotomiæ prævaluit.

Quidam Obs. 30. p. 486. in magno æstu prægrande poculum vini exhausit, hinc sensit præcordia sibi collabi, incipiens tussire tussicula inani &c. Instituta Sectione, quæritur Causa tussis, in thorace & pulmonibus nihil ferè vitii deprehenditur; quæritur hinc, ut fieri solet, causa morbi & mortis, diciturque tandem renes jecori per membranas quasi fuisse adnatos, hinc inscriptio, tussicula ob renes jecori affixos. Sed difficulter concipias, quî utrique renes jecori per membranas fuerint affixi; adhæc illud: ferè, nihil ferè in pulmonibus vitij fuisse, posset alicui suspectum videri, ut illi non ab omni labe fuerint censendi exempti; causa sanè tussis fuit ingens frigidus haustus, potuit ergò hinc oriri spasmodica ac sicca tussis, cum tabe totius, ac morte insequente, etsi nil contribuerit connexio jecoris & renum, ad minimum res non ita clara videtur, ut supponenda sit sine hæsitatione.

Ex Obs. 39. p. 520. patet, quid faciat amor propriarum hypothesium; Riolanus dicit, se primum post Amatum valvulas venæ azygæ detexisse, quas censet adesse, ne influxu impetuosiore irruens sanguis perpetuas faciat pleuritides, hinc concludit eos, qui unica tantum ibi gaudeant valvula, quod semel ipsi videre contigerit, pleuriticis affectibus sæpissimè tentari. Hinc etiam orta inscriptio Boneti: Pleuritidi quidam

dam fuit obnoxius, quod in vena azygo unica eſſet valvula; & tamen quaſi revocans in fine Scholij addit: Aſſignetur ergò potius cauſa frequentis invaſionis pleuriticæ ſanguinis qualitati, qui concretionis facilis cauſas intra ſe gerit: Niſi dicas, arterias venis ampliores plus adducere, quam hæ reducere valeant. Sed eo ipſo nihil dicit, atque evidens eſt, huic valvulæ nihil eſſe negotij cum pleuritide. Inter venarum & arteriarum diametros proportio eſt, &c.

Durum videtur, obſervationem 140. pag. 628. inſcribi: Tabes ob ventriculum corroſum ab uſu Magiſteriorum coralliorum & perlarum. Sed probatur res ex Hofmanno, qui teſtetur, Epiſcopum Uratislavienſem magiſterium perlarum ſæpe bibiſſe, atque demortuo tunicas ventriculi nigras & corruptas apparuiſſe; debuit ergò aſſignari cauſa inventæ arroſionis ac nigredinis, hæc igitur quæritur in pretioſo illo Magigiſterio. Additur tamen Libavium aliquot exemplis demonſtrare magiſteriorum margaritarum ac coralliorum, quæ tamen humidum nativum inſtaurare credantur, uſu multos in Tabem incidiſſe, plurimos vita privatos eſſe, tunicis ventriculi & inteſtinis acrimonia eroſis, &c. Sed utut non credas magnam vim eſſe horum magiſteriorum, ea tamen benè præparata, ut regulæ artis requirunt, eſſe venenum adeò deleteriũ, haud facilè perſuadeberis; non ſequitur, inventa fuit eroſio & nigredo ventriculi, ergò fuit illa à perlarum magiſterio ſæpe aſſumto; quis talem ferret conſequentiam? annon aliunde ſub vitæ finem poterat partis illius necroſis eroſioque contingere viſceribus poſt chronicos morbos in corruptiones pronis.

Siſtit Obſ. 46. p. 675. pulſum inæqualem omni genere inæqualitatis, re tandem ad aſphyxiam deveniente; quæſita ergò in cadavere pulſus iſtius mortisque cauſa, inventusque

fuit cordis ventriculus uterque ſanguine concreto repletus, in Siniſtro carunculæ; vocatur ergò pulſus inæqualis ob contenta extranea in ſinubus cordis, ſuccedente aſphyxia. Duplicia ſunt illa contenta, concretus ſanguis non fuit cauſa illius pulſus, vix enim ſalva vita omninò potuit concreſcere ante ultimam illam aſphyxiam inde ortam, atque ad mortem terminatam; carunculæ probabilius accuſari poſſunt, ſed nimis generaliter allegantur breviterque. Pulſus autem inæqualis omni genere inæqualitatis magnam dicit complicationem à carunculis ſolis vix derivandam, accerſendamque.

Cum legis inſcriptionem Obſ. 12. p. 682. Animi creberrima defectio ob putrem & fœtidum humorem intra pericardium contentum, credas forſan ſecuturam obſervationem ac Sectionem ſingularem; ſed ſequitur ſaltem ratiocinium ad rem nihil faciens, & exemplum Sectionis ex Galeno, qua, in Sectione corporis illius, qui Lipothymiam paſſus fuerat, reperta eſt tunica quædam ſuperjacens ipſi cordi, plena humiditate fœdi odoris, quæ quidem humiditas dicitur fœda illa qualitate corrupiſſe ſemper ac deſtruxiſſe robur vitale, &c. Res prorſus obſcura; de hac enim tunica adhuc poſſet inſtitui quæſtio, an intelligatur pericardium, & qui fœdi odoris humore circumfuſum Cor habuerit, vix patietur diu crebras ac frequentes animi defectiones, brevi enim penitus exſolvetur, danturque innumeræ aliæ certiores frequentis ſyncopes cauſæ.

Obſ. 15. p. 698. ſiſtit Sectionem cadaveris ſubita morte extincti, cum ſuſpicione veneni, tandem cum nulli viſceri veſtigium ſive nota ulla deleterij pharmaci appareret, invenere pericardium ingenti mole tumens, quo manibus leviter preſſo humor ipſe aqueus ex ore ubertim manaſſe viſus eſt; hinc concluſ. Mortem ſubitaneam ortam ab aqueo humore

in

in pericardio redundante; nec forsan malè, at quis capiet effluxum illius humoris presso pericardio ex ore? quis Scholij admittat hypotheses: aquam in thorace & pericardio & ex vasis oriri, & à potu, cujus portio roris ac madoris modo eò penetret, tum per anastomosin, tum per diapedesin, si cum potum assumas lambendo, veluti per parietes aliquid influat &c. plura enim piget referre; adeò viso quodam producto morboso audacter finguntur rationes non sine præjudicio veritatis.

Mors subita Obs. 42. p. 705. dicitur orta à ruptura vesicæ felleæ. Verberibus excepta à marito Uxor mox apoplectica, vel lipothymica, ut dicitur, obijt; cum alij recurrerent ad iram, cujus vi obstructum fuerit principium nervorum, alij sectione rectius causam inveniisse visi sunt, cum alijs partibus illæsis, fellis vesiculam reperissent ruptam; rupturam inventam nemo negabit; sed nec facilè quis credet, illam fuisse causam repentinæ mortis, adeò & hic facilis in fallaciam causæ lapsus fuit, sanè spirituum confusio, dissipatio, ataxia sub furore illo potuit epilepsiam ac mortem inferre sine culpa hujus ruptæ vesiculæ, cujus noxa fuisset tardior nec tam subitanea.

Obs. ejusdem pag. 39. fungorum esus patrem, filias duas & vicinam sustulit, nec ideò tamen præcisè poterat statui, ortam subitam mortem, quia fungi reddiderint hepar turgidum & albidum, cum venenatæ multorum fungorum qualitates, nervis valde inimicæ, satis notæ sint; in Obs. autem 36. videas, quo jure adscribatur mors subitanea bilis in ventriculum effusioni, cum tot alia occurrissent, scil. hepatis scirrhus & contractio, seu in unum condensatio; Lienis mollities, vesicula fellea duorum pugnorum magnitudine lapillis tutiam referentibus repleta quodammodo, bilis ubique in venis & arterijs; interim, quæ prius oculos ferijt, bilis in ventriculo collectio debuit esse mortis causa. Et quis credat citato hic

Fernelio, cum quosdam interiiſſe dicit, in quibus nulla interitus cauſa alia comparuerit, quam quod folliculus fellis exhauſtus eſſet, credes hoc repertum fuiſſe, cauſam mortis ſubitæ fuiſſe non credes facilè. Ita verò erramus, cum ſemper inveniendam putamus ſectione ſenſibilem mortis cauſam, cum enim nulla reperitur, aliqua, quæ vix ſufficiat, aſſumitur in locum veræ, ne nihil actum eſſe Sectione tam ſolenni videatur.

Non dubitabis Juvenem Obſ. 54. p. 709. ſubitò mortuum, cui ſtatim poſt obitum exterius in regione cordis ſyderatio ſeu livor ingentis latitudinis apparuerit, intus autopſiâ nihil mali monſtrante; nec tamen hinc cum Authore concludes cauſam fuiſſe venenatam quandam auram antea deliteſcentem, nunc ſubitò ſyderum influxu vel aliunde ſuſcitatam, occulto impetu cor ferientem ac cerebrum; nec enim id probabunt hiſtoriæ Galeni, nec aura fuit, quæ aſcendit ex tibia ad caput, ſed irritati nervi undulatio quà Spiritus contentos; poſſunt enim omninò obire ægri ſine cauſa viſibili poſt mortem apparente, ubi tamen inviſibiles pro lubitu non licet fingere.

Quod pag. 710. app. mors ſubita interdum contingere dicatur ob Renes pinguedine onuſtos, id ſectionibus animalium debetur, quæ cum crederentur mortua tali pinguedine, res à Riolano ad homines mera conjectura fuit relata, uti ex contextu patet, nullo ergò fundamento nititur obſervatio ſeu aſſertum.

Primæ obſervationes Lib. 3. Sect. 7. docent difficultatem pronunciandi ſæpe etiam poſt Sectionem de veneno vel aſſumto, vel in corpore genito; Salæ enim & hiſtoria, & de ea judicium hoc loquuntur; ad minimum major in caſu illo II. ſuſpicionis veriſimilitudo fuit, quam in prima Obſ. ubi Sev. Falk exhibuit ventriculum quà totam faciem interiorem rubi-

cun-

cundum & tantum non excoriatum, id verò valdè adhuc videtur incertum, an notabilis meſenterij non procul à pancreate cavitas liquore ſeroſo diſtenta acidum illud ſubminiſtraverit, quod habetur hic pro cauſa mortis proxima; neque enim liquet, unde rectè dicas Borrichium addidiſſe, quantum liquet; circa alia enim reperta in ſectione res ferè magis liquere videtur. Egregiè verò Sala ac modeſtè difficultatem deciſionis agnoſcit, pulchreque loquitur de aſſumtione veneni, & de ejus in corpore generatione.

Nemo facilè dubitaverit pertinacem circa ventriculi regionem dolorem potuiſſe ac debuiſſe oriri ad mortem uſque, ſi omnis generis inſtrumenta ferrea poſt mortem in ipſa ventriculi cavitate ſint reperta; iſta quidem nimis generaliter dicuntur; non malè tamen videntur adſcribi præſtigiis dæmonum. Rident hodie plerique talia; rideant verò, facta tamen, & obſervata non temerè omnia explodent, ſi qua ſuperſit hiſtorica fides, ac ſelectus inter fabulas, hiſtoriasque veras, quod enim hic additur ex Obſ. Med. 8. ab Heers, puellam aciculam ore rejeciſſe, ligulas, quas ante excluſionem apprehenſis manu faucibus tactu in aſcenſu deprehenderit, vi ereptas, quanquam arctiſſimè cohibere conatus fuerit, hæc ſanè merentur ad minimum attentionem ac deliberationem, collationemque cum alijs occurrentibus paſſim hiſtorijs à fabulis ſolicitè diſtinguendis.

Obſervatione x. p. 795. audacius pronunciatur pro aſſumto veneno, quàm ſupra initio Sect. 7. lib. III. factum fuit à Sala; utut nec hîc aliud repertum fuerit, quam poſt Symptomata ſatis moleſta, motus convulſivos, vomitus, nauſeam, reſpirandi & deglutiendi difficultatem, gutturis dolorem, ſecto ventriculo, tunica interna omni ex parte livida & ſyderata, inſignibus maculis conſperſa à præcedente inflammatione, quæ

diffuſa erat ad duodenum, &c. hinc & in nota ſeu Scholio dicitur mancum fuiſſe examen, debuiſſe exemtum explicatumque ventriculum luci obverti, ad detegenda foraminula, quæ ſoleant à veneno corroſivo oriri; adeò ex iisdem in ſectione detectis non eadem judicantur, adeò ex ſectionibus incertitudo ſæpe augetur, ſi quidem cincumſpectè in judicando procedere velint Medici, nec temere anſam dare vel injuſtitiæ, vel odiis aliorum aut affectibus aliis, ita ſanè nusquam tuta fides.

Obſerv. V. pag. 827. Cholera ſubitò funeſta derivatur ab inſertione pori cholodochi proximè pylorum; utut enim hoc in ſectione repertum fuerit, non tamen ſequitur mortis, morbique cauſam fuiſſe, cum per totam vitam adfuerit hæc inſertio, cur ergò non citius obiit, ſi ex hoc obiit? Nec ideò natura clyſmate ſuo nativo orba fuit, potuit tamen expultricem irritare bilis, non effuſa ad ſolum ventriculum, ſed & ad inteſtinum duodenum, ſeu utriusque confinia, quæ continua ſunt; hoc ergò choleram tam ſubitò lethalem vix effecit.

Curioſa Obſ. 6. p. 835. exhibetur Comœdia acta cum homine moribundo, qui diarrhœa, lienteria, hepatico fluxu cum febre vehementi, (ut ſectio poſtea docuiſſe dicitur, niſi etiam ex his graviſſima habenda fuerint pro malignisſimi morbi effectis,) ab omnimoda converſione Ilei inteſtini, gangræna cum aliis infecti, pancreatis duritie, ſplenis & hepatis vitio, &c. ad extrema redactus erat, huic coacti quaſi ſunt Chirurgi adminiſtrare transfuſionem ſanguinis ex vitulo, & rediit quidem æger ad ſe, locutus eſt, quin & altera infuſione ad ſe rediit, ut mireris poſt hoc exemplum, licet irritum, non factas fuiſſe plures transfuſiones in iſta hominum ſæpe extravagante curioſitate & irrationabili ſpe ac conatu ægros, quos mori non volunt, retinendi

retinendi in vita contra Dei voluntatem, etſi hoc non fateantur. Quanquam forſan hic æger, ut videntur circumſtantiæ loqui, multum vitulini ſanguinis non receperit, magisque redierit ad ſe ex eductione proprii, quam injectione alieni ſanguinis. Ad minimum & infuſio & transfuſio vix quà ideam ſuperſunt in Scholis Medicorum, tanquam tenues quædam in memoria umbræ, &c.

Docet Obſervatio 12. p. 886. quam facilè cauſas affectuum præternaturalium in cadavere quærentes, quodcunque obvium arripiant, tanquam ſcopo ſuo conveniens, etſi nulla adſit veri ſpecies, ſi maximè jam antea formatæ ſectoris hypotheſi talis detectio congruat; fœmina quædam per ſeptem vel octo annos vix unquam ſine medicamento fæces depoſuerat, vel ſi quando ſponte ſua poſt ingentes conatus deponeret, albida illa erant; poſt mortem hepar repertum durum, & folliculus fellis in ſe collapſus & fere conſumtus. Ergò tam diuturnæ difficultatis alvi hæc cauſa pronunciatur, quæ dubio procul in calidiore hoc ſubjecto ſiccitatis diuturnioris effectus ultimus fuit; alvi ſiccitas à totius corporis ſiccitate, & ab hac tandem prona hepatis diſpoſitio orta eſt, &c. Nec in obſervationis ejusdem Caſ. 2. Matronæ adſtrictio alvi diuturna calculo cyſtidis felleæ vacuæ à bile adſcribi præcisè cum certitudine poteſt, poterat enim tamen adfuiſſe per vitam bilis, ac immediatè ex hepate defluere ad inteſtinum. Fedleri autem alvus eadem Obſ. & pag. judicatur fuiſſe adſtricta ac tardior, quia repertæ ſunt 25. glandulæ circa veſicæ felleæ ductum ad inteſtina tendentem, egregia ſcilicet conſequentia. Non major circa reliquos caſus certitudo ſe offert, tarditatem alvi in iis fuiſſe à vitio veſiculæ felleæ.

Quam verò ſingularis & plusquam adæquata cauſa reperta fuit tumoris ventris in fœmina Obſ. 29. p. 924. §. 2.

cum

cum doloribus gravativis, tenſivis, ac lancinativis, aperto enim abdomine à cute ad peritonæum nulla muſculorum carnea ſubſtantia interpoſita, veſiculis crebris aqua refertis ſcatere abdomen viſum eſſe dicitur. Ubi ſanè muſculi vix aberant, ſed erant tabe attenuati.

Notabilis eſt caſus Pictoris Andegavenſis Obſ. 53. pag. 948. & qui clariſſimè docere queat, & ſectione non ſemper poſſe malorum graviſſimorum reperiri ac determinari cauſas, & ſubſtitui ſæpe à doctiſſimis viris cauſas ad arbitrium aſſumtas, tantis effectibus vix pares, quod Fernelio hic accidit. Pictor hic Colica ſpaſmodica vi ſtupenda laborabat, per triennium tortus modo miſerabili per intervalla, alvi adſtrictio ſumma ac pertinaciſſima fuit, dolores intenſiſſimi, vix mitigandi niſi pondere virorum quatuor robuſtorum abdomini vi incumbentium; cum tandem mortui ſecaretur cadaver omnia ad cauſæ inveſtigationem inſpiciebantur; jecur, lien, ventriculus, & renes naturalem præ ſe ferebant conſtitutionem; nulla in cyſti fellea obſtructio, nulla in meſenterio humoris vitioſi congeſtio, nihil denique in ulla alia parte notari potuit, quod tantorum fuiſſet malorum cauſa. Ergò Fernelius, cumque ipſo omnes Medici Cinnabarin accuſarunt, quam pictor ſugendo ſemper penicillum aſſumſerit, quæque nervos tantis affecerit ſtricturis, quantæ in tam furioſa, ſpaſmodicaque colica excitentur. Injuriam verò cinnabari fieri, hodiè perſpecta ejus natura, geneſi, ac analyſi, in confeſſo eſt, cum & vulgaris factitiaque Cinnabaris innoxia, imò convenientiſſimum remedium habeatur Chymicis probationibus. Niſi ergò minium ſuxerit pro cinnabari pictor, cauſam Fernelius nullam tanti mali detexit, hoc verò ſi ſuxiſſet abundantius, non eſſe difficile dira inde Colicæ ſymptomata derivare, poſtquam plumbi noxas, etiam hic

hic in Scholio haud incognitas Fernelio, vina Lithargyriſata ſatis detexerunt, terribilesque illas colicas, pareſesque inde ſequentes non minori atrocia, atque in hoc Pictore, in tot miſeris excitatas vidit orbis Medicus.

Uti verò in principio harum cautelarum ſum profeſſus, innumera dubia ſolvi per anatomiam hanc practicam, atque ab ea lucem unicè accipere, iſtamque ejus dignitatem ac prærogativam omni exiſtimatione dignam cenſeo, ita ſpecimen tale elegans deprehendo in Obſ. 26. p. 985. ſub titulo: Hypochondrii dolor à ferramentis in ventriculo contentis, &c. Agricola ſcilicet, quum crudelibus dolorum tormentis in altero hypochondriorum latere conficeretur, ſubitò clavum ferreum ſub illæſa cute manu apprehendit, quem Chirurgus novacula exſcindebat, nec tamen dolores ceſſarunt, ſed indies magis recrudeſcebant, quare cum nec aliud doloris fore remedium, quam mortem miſer ſuſpicaretur, arrepto cultello ſibi guttur abſcidit. Qui demortui ventriculum inciderunt, in eo lignum teres & oblongum, quatuor ex chalybe cultros, partim inſtar ſerræ dentatos, ac duo ferramenta aſpera invenerunt, quorum ſingula ſpithamæ longitudinem excedebant, aderat & capillorum inſtar globi involucrum. Vidimus jam ſupra exemplum; hoc nunc ex Langii Epiſtolis jungitur; ſunt talia obſervata eò curatius attendenda, quò univerſalius hodie magica omnia exſibilant Mechaniſmi fautores ultra modum ſubtiles, omniaque ad eum reducere nitentes, hæſuram tamen Bechero eorum anteſignano in his rebus explicandis, vel à dubiis liberandis aquam, nemo non agnoſcet.

Obſerv. I. Caſ. 3. p. 1017. Cachexia dicitur ſæpe gigni ex veſicis tenuiſſimis, pellucidis, aqua diſtentis, pomi ma-

gnitudinem nonnunquam æquantibus, hepatis ſubſtantiæ adhærentibus, quæ tamen majori jure cachexiæ ſoboles ac productum dici poſſunt. Quemadmodum & arenulæ infarcientes venas hepatis, ut corallii ramulos (rara quaſi injectione) referrent, non ideò Cachexiæ illius cauſa fuerunt, ſed pariter effectus, in Caſ. 2. Quod idem forſan agnoſcendum fuerit in reperto à Platero ſanguine aſſo in vaſis hepatis, à quo Cachexia non tam genita fuit, quam terminata tandem ad mortem.

Unde concludes, quo jure Obſerv. V. pag. 1023. dicatur Cachexia ab Hydrope pulmonum inducta, cum vir doctus in victu incautus in Cachexiam ſenſim incidit, cujus demortui thoracem cum aperuiſſent Medici, illum aqua ſanguinolenta omninò plenum repererint; adeoque potius hydrops pectoris ex Cachexia fuerit natus.

Quisquis verò omnes caſus Obſerv. 3. pag. 1937. conſideraverit, idem in plerisque animadvertet, ſcilicet ea, quæ poſt mortem ſectione reperta fuerunt, non æquo jure hydropis fuiſſe cauſas pronunciatas, cum multa ad ſupervenientia, ſymptomatica, ac conjuncta magis pertineant, quàm ad cauſas. Ea vero rarior aſcitis ſpecies fuit, quæ Obſ. 17. p. 1094. refertur duraſſe in juvencula per 16. annos, ac licet inſcribatur aſcites citra viſcerum læſionem, à ſola vaſorum lymphaticorum diſruptione ortus, non tamen id niſi conjecturâ aſſeritur; videri enim in ſectione poterat nullum eſſe manifeſtum viſcerum vitium, (poterant enim eſſe occulta oculis in ſectione fugitivis,) at vaſorum lymphaticorum ruptiones videri non poterant. Pariter in 4. Caſ. indulgetur conjecturis, dum œnopolæ Paracenteſin paſſi mors refertur, negataque ſectione aſſeritur, procul dubio, lymphæ craſſioris partem in abdomine relictam mortis cauſam fuiſſe, ſic

ſupplere

ſupplere voluit ſectionem Vir doctiſſimus, cur non ad viſcerum atoniam & corruptionem, totiusque ſanguineæ maſſæ vappeſcentiam ac deſciſcentiam maluit conjecturâ ſe convertere obſervator; propter quæ mala tariſſimè paracenteſis effectu optato ſolet potiri.

Interim tamen Lovveri effatum Obſerv. 18. pag. 1046. adductum vix meretur approbationem, etſi hunc titulum expreſſerit Boneto: Hydrops quanquam à lymphaticis vaſis aliquando oriatur, iisdem tamen integris obortum fuiſſe conſtat experientia. Jam ſi quæras hanc experientiam, ſequuntur Lovveri verba: advertere oportet, aſciten non ex ruptis lymphaticis ſemper, ſi omninò unquam, provenire; quippe plurimas oves hydrope pectoris atque abdominis defunctas diſſecui, in quibus vaſa lymphatica ita turgida & repleta ubique inveni, ut nusquam magis, adeò, ut ſi quis venarum lymphaticarum hiſtoriam planè abſolvere in animo habeat, nulla corpora ad votum ejus & propoſitum magis ceſſerint, &c. Neque hæc ultra conjecturas progrediuntur; neque talia ſunt, quæ probent vaſorum lymphaticorum rupturam nunquam poſſe eſſe cauſam aſcitis, imò ne quidem probant hujus in caſu allegati aſcitis non fuiſſe cauſam; potuerunt enim aliqua vaſa rupta effundere ſerum in cavitates, & reliqua tamen omnia vaſa poſſunt turgere: quo ipſo tamen nolim aſſerere, requiri illorum vaſorum ruptionem ad omnem aſcitis formationem.

Williſius, magnus Anatomicus, Obſerv. 22. pag. 1108. fatetur ingenue, poſt obitum inſpectionem Anatomicam vix quicquam magis in cadaveribus à Tympanitide quam ab aſcite defunctorum detegere ſolere; manifeſto indicio non eam ſemper lucem chronicis, gravibusque affectibus præternaturalibus ſectiones cadaverum affundere, quam in

iis ſe inveniſſe quidam putant; nec tamen ideò Tympanitidis cauſa erit adeò obſcura, ſi & ſymptomata penſites omnia, & Williſio credas eadem reperiri in cadaveribus, quæ in aſcite; aër ſcilicet tumorem conſtituens ex humoribus viſcidis ſtagnantibus emergit, diſtenditque abdomen; nec immeritò tamen mireris, necdum conſentire Sectores, ubi hæreat aër diſtendens abdomen, an in cavo abdominis, an verò in canali inteſtinorum? Ipſa verò principalis cauſa, ſummus Cachexiæ gradus, ejusmodi in ægris in ipſos incurrens ſenſus obſcuritatem videtur habere exiguam, cum ſuis ſe prodat indiciis ſatis moleſtis, ſenſuique obviis, &c.

Singularia leguntur de molis in Obſerv. 57. pag. 1142. per ſectionem detectis, quarum una ſtupendæ molis 15. annorum, altera duriſſima partim ac ſcirrhoſa per annos 17. in utero moram traxiſſe, conjectura eſt Sectorum; viderint verò alii, quî cum Ruyſchiana hypotheſi de conſtantibus ex reliquiis placentarum retentarum molis, indeque quaſi conglobatis molæ hæ peculiares conveniant, quarum prima Autori vivens & incorrupta prodiiſſe dicitur, quo ſenſu dubites, ad minimum pondera ac moles molarum fruſtis placentarum haud reſpondent; etſi in ſectione hujus Obſ. ultima mola rotunda ingens ex pluribus veſicis, juglandis magnitudine compoſita aqua repletis, admodum craſſis & tenacibus, obductis & intertextis multis fibroſis ligamentis, etſi, inquam, mola hæc utero adnata, 15. libras ponderans cum Obſervatione Ruyſchiana hydatidum è placenta enatarum convenire videatur; monet verò hujus occaſione Loſſius, rectè Hippocratem d. morb. mul. monuiſſe: Si mola una caro fiat, perit mulier; naturam enim non poſſe illam molem propellere, &c. His tamen quoque exemplis evidens

eſt,

eſt, multa poſſe nova ſectione deprehendi, ſed non æquè deprehendi poſſe eadem via eorundem cauſas, atque origines, & conſtitutionis rationem veram, &c.

Sectio oſtenderat Obſerv. 68. p. 1147. in cadavere mulieris hydropicæ principium venæ cavæ deſcendentis arctiſſimè coalitum, ut ne ſpecillum quidem admitteret; haud dubiè id adſcribitur exulcerationi factæ à vermibus in ramo iliaco repertis. Vermes quidem viſi ſunt, non autem viſa eroſio, nec cauſa coalitionis; ſi dicas: Vermes eroſiſſe cavam, ac coaluiſſe tum ejus principium, non refragarer, niſi hæc ſaltem ſupponerentur, ac cava vena diu occluſa manere non poſſet, quid enim factum de circulo, adeò hic ſectio certitudinem haud dedit.

Poſſe uterum ipſum, non vaginam ſolùm prolabi in caſibus gravioribus ac rarioribus, magnorum Virorum judicio, atque experimentis, haud obiter probatum novimus. Non omnes verò, qui probaſſe ſe id prætendunt, revera quoque probarunt. Unde & hæreas in lectione Obſ. 1. p. 1320. cujus in inſcriptione dicitur: Uteri procidentiam poſſibilem eſſe oſtendit diſſectio cadaveris muliebris, in cujus prolapſi vagina cereus globulus deprehenſus eſt. Mulier verò illa Delphis ſecta tale quid vix probat; dicitur enim in ejus uteri vagina nulla ſarcomata, nullasque alias excreſcentias, ſed tantum ingentem cereum globum inventum, qui vaginam (quæ NB. alias ob uteri ligamenta nimium relaxata invertebatur, ac foris propendebat,) cum utero intus detinuerit, uteri cervicem autem naturalem conſtitutionem retinuiſſe, adeoque minimè fuiſſe inverſam. Non ergò probavit ſectio uteri prolapsûs poſſibilitatem.

Etiam ſterilitatis cauſæ ex Sectione producuntur, qua felicitate, mox apparebit. Rondeletij quidem Uxoris Soror Obſ. IV. §. 10. p. 1344. ſterilis fuit, ea poſt mortem ſecta exhibuit in uteri collo interiori tuberculum carneum piſi magnitudine; ne ergò illud fruſtra adfuiſſe videretur, cauſam ſterilitatis illi adſcripſerunt Sectores, quia id tuberculum potuerit fuiſſe obſtaculum ſemini in fundum penetraturo. Quis verò non videt obſtaculum tenue hoc fuiſſe, nec attendendum? Sterilitas verò Viri Obſ. V. p. 1345. §. 5. febre purpurata mortui, quique in ſterili matrimonio cum eleganti uxore vixerat, in Sectione non comparuit, quia in genitalibus ejus partibus nihil deficiens fuit repertum, nec in ſtructura reliqui corporis, repertum tamen fuit hepar ſedem lienis, lienemque hepatis obtinuiſſe, & forſan, ſi inquiſitum fuiſſet, nec enim inquiſiverunt Sectores, ſitum ventriculi orificiorum mutatum quoque fuiſſe inveniendum credunt, &c. hinc dicitur in titulo: Sterilitas in Viro, cui hepar ſedem lienis & viciſſim obtinebat, citra vitium partium genitalium &c.

Obſ. I. p. 1372. variæ abortuum cauſæ allegantur obſervatæ; §. 8. Abortus dicitur factus ob longitudinem funiculi umbilicalis ſtrangulantis infantem, quæ ij forſan admitterent, qui credunt fœtum reſpirare in utero; quanquam nec illis videbitur longitudinem ut ſic neceſſariò præjudicare ac ſtrangulationem inferre infanti. Mirumque eſt, Hildanum dicere §. 9. fœminam Paterniacenſem octies paſſam abortum, ac certò ſe ſcire, cauſam eſſe brevitatem vaſorum umbilicalium, quæ ultra ſeſquiſpithamam longa non fuerit; unde verò certò ſcivit, hanc fuiſſe abortus cauſam? & an omnium iſtorum abortuum ad examen revocavit placentas ac funiculos? Ultimus abortus §. 14. dicitur factus ob fœtum injuriæ matri illa-

illatæ notas gerentem; ſed id effecerant verbera ac contuſio violenta, ac terror & ira matris, unà cum læſione fœtus mirabili, non autem notæ illæ quà tales, &c.

Obſ. x. p. 1391. Varijs Sectionibus oſtenditur retineri ſubinde ſecundinas propter firmiorem placentæ cum utero nexum; quippe quæ tum etiam poſt mortem vix potuerit digitis ab utero ſeparari; notum verò eſt, ſubinde & ab obſtetricibus caute digitorum tractatione adhærentem firmius ſecundinam molliter ab utero ſeparari, quod in his caſibus vix potuiſſet fieri. Quarti caſus inſcriptio eſt: Secundinarum retentio ob arctam cum utero adhæſionem & cum carne utero adnata; quæ quidem ſatis obſcura ſunt, videtur enim in muliere illa, quæ poſt 15. annos à connubio peperit, ſubſiſtentibus ſecundinis, fruſtulatim evulſis, aſſerente obſtetrice ſupereſſe aliquid, orta febri, nigricante lingua, facie νεκρώδει, ſeptima die mortua, in hac fœmina ſecta inventa caro oblonga utero adnata, annon reliquum illud, quod obſtetrix deſiderabat, ſecundinæ fruſtum? non ſanè, ut Hollerius cenſet, pars membranarum, quæ computruerat; putreſcentes enim membranæ in carnea fruſta non abeunt; adeò ipſa autopſia dubijs anſam præbet. Notandum quoque ad Scholion ſubjunctum, reſtante equidem ſecundina fœtorem purgamentorum uteri eſſe inſignem; modo ſcil. fœtor à ſecundina ſit; ſi enim & uterum putredo aut necroſis attingit, actum eſt de vita; ſi verò à ſola ſecundina fœtor ſit, ſat periculi ſubeſt, ſpes tamen omnis non decollavit, teſte Oſtervvaldia hic allegata, cujus cubiculum vix quisquam præ fœtore adire audebat, hinc conjectura facta, non integrè excluſas ſecundinas, exhibito pulv. ſuccini cum ſyr. cort. citr. conf. hyac. & aq. puleg. & lil. alb. quod reliquum erat, feliciter eductum, ſanitasque brevi ſecuta. At quis

quis in principio ſub tanto fœtoris gradu de eventu tam læto quicquam promiſerit? quam facilè ſerpit malum, mortemque infert!

Sed manum nunc de tabula! quam longius quam par erat, animoque primum conſtitueram, elegantiſſimi libri evolutio adduxerat. Ideò verò hæc dicta ſunt, ut cauti fiant diſcentes, nec temerè in Sectionibus occurrentia arripientes pronuncient re haud ſatis penſitata, ſed potius dubia, intricata, ac varijs circumſtantijs impedita; præſtat ſanè fateri, te cauſam evidentem non perſpicere, quam minus evidentem allegare. Matura igitur deliberatione nunquam non utendum, &c.

INDEX.

ABortus 310
variæ cauſæ 654
imminentis ſignum 538
Abſceſſus quid 252
Abundantia ſanguinis periculoſa 506
Acidum & alcali 90. 476
nervis inimicum 391
Acidularum uſus 499
Adſtringentia 484
Æther 74
cauſa gravitatis 76
peregrinus cauſa morborum 181
Æquilibrium rerum nat. 71
Æquinoctia corpus alterant 381
Aer eſt gravis 76
varie conſideratur 387. ſeq.
ejus elater evidens eſt 76
odorum vehiculum 146
habet multas qualitates 78
eſt deſtructor generalis ib.
calidus & frigidus eſt cauſa morborum 169
æſtuans malignos morbos præſagire dicitur 239
athmoſphæricus ulceribus & vulneribus nocet 402
mutat temperamentum 98
ejus neceſſitas in ſanguine 123
quomodo ſanguinem ingrediatur 124
Ætas mutat temperamentum 97
quæ facilius inediam ferat 400
numeratur â nativitatis die 581
Alexipharmaca 438
Alimenta quæ optima 389
quæ nocent ib. ſeq.
Aloetica 447
Alterantia medicamenta quæ ſint 432. 473
quomodo agant 476
Alvus in omni morbo aperta ſervanda 490
adſtrictio 317

pertinax morborum chronicorum mater 371
Amara 480
Anatomiæ præſtantia 52
Anglorum lingua Medico utilis 41
Anima agit in cerebrum 150
plantarum vegetativa 60
an ſolum corpus moveat 138
quænam ejus origo 132
an ſubjectum morborum 154
morborum cauſa frequentiſſ. ib.
Animi Pathemata 99
morborum cauſæ 176. ſeq.
Anginæ curatio 561
differentiæ 250
Anni tempora morborum cauſæ 169
Anni Climacterici 381
Anaſarca 271
differentia ab Aſcite 351
Anevryſmatis geneſis 566
Anel, Galli, inſtrumenta pulchertima ad affectus oculorum 555
Anorexia 314
Anodyna 487
Antipraxia viſcerum 159
Aphrodiſiaca 588. ſeq.
Aphonia 296
Appetitus dejectus in morbis chronicis, malum 378
Apoplexiæ cauſa 260
triplex datur 277
eſt paralyſis univerſalis ib.
ſigna 353
Apophlegmatizonta 465
Aqua eſt dilatabilis 79
ejus partes ſunt in continuo motu ib.
eſt baſis omnium humorum corporis humani ib.
quæ optima 394 ſeq.
ejus circulatio notabilis 81
ante partum effuſio 533
leviſſima pluviatilis 405
Arcanum Medici verum quodnam 420
Ars longa 40
Arthritis calida 356
à rhevmatiſmo differentia 357
Arteriæ an ſint muſculoſæ 112
Arteriotomia 442
Aſſumtio ciborum 102
Aſcites 272
Aſphyxia unde 244

Aſthma

Asthma stomachale, 357
humidum ib.
siccum, convulsivum ib.
metallicum 359
Athmosphæra 74
Atrophiæ causa 226
Auditus objectum sonus 144
quomodo fiat ib.
organon 145
Augmentatio 114
Avtocratia Naturæ 509
BAlnea 496
Laconica 461
Balsamica medicamenta 480
Bezoardica 438
Bilis amarities in sanguine non est manifesta 126
atra 585
Botanici studii utilitas 46
CAlculus renum & vesicæ morborum causæ 196
aliarum cavitatum 265. seq.
renum signa 350
vesicæ 351
xv uno 628
felleæ an apoplexiæ causa 627
Camphora 489
Cachexia 275
signa 352
ab hydrope pulmonum 650
Caloris febrilis causa 209
Cancri genesis 263 seq.
Cardialgia 306, 317
Cari origo 278. seq.
Carcinoma 269
Caro suilla 405
Cardo curationum morborum in quo vertatur 418
Capitis dolor ab hydatidibus circa arterias temporales 625
ob tenuis meningis cum crassa concretionem ib.
à gangræna duræ matris 626
à nimis arcta saturarum compage ib.
Catarrhi suffocativi causa 260
signa 342
Catarrhorum genesis 267
an ex capite destillent ib.
imminentis signa 350
Catalepsis 281, seq.
signa 354
Cataracta 294
controversia Dionysii, Govey, Heisteri Wolhusii 556
Causarum morborum fontes sunt r. n. & n. n. p. n. 167
prægumenæ & procatarcticæ ib.
per accidens 180

Cautela Practicæ 490
circa observationes 502
circa partum naturalem & violentum 532
Cephalalgia 303.356
Cephalæa ib.
Cephalica medicamenta 436. seq.
Cerevisia 396
Cerebri substantia medullaris est centrum spirituum 138
Cholera 319
Chymiæ necessitas 51
Chylificationis negotium est complicatum 106
explicatur ib.
Chylificatio 102
Chyrurgiæ summa utilitas 534
Chaquerilla tutiss. ac efficacissimum febrium remedium 222
Circulatio spirituum 63
Cibi descendunt musculorum actione 104
Cibus morborum causa 173
Cito tuto & jucunde curare 412
Circulationis sanguinis & respirationis arctissima est connexio 246
Coffee potus 397
Comœdia curiosa cum moribundo recensetur 646
Clysteres ex quibus constare debeant 490
Cohæsionis causa 72
Consensus part. corp. hum. 155
Conceptio an medicamentis juvari vel impediri possit 587
an ex sanguine per cucurbitulas extracto dignosci possit 613
Comatis origo 278. seq.
Coma vigil 281
Colica spasmodica 299. 306
flatulenta 316
Convulsionum causa 300. seq.
Contraindicantia in curatione morborum sunt attendenda 413
Consuetudo est altera natura 383
Contagio multi maligni morbi debentur 235
in quo consistat 236
consideratur tanquam parvum fermentum ib.
Cor est antlia artificiosissima 112 243
principale circulationis instrumentum 108
Cordis & cerebri primatus 66

Cortex Chinæ Chinæ 50.494
Coryza humida & ſicca 267. 297
ejus ſigna 350
Criſis quid ſit 378
vel bona vel mala ib.
bonæ indicia 379
ejus ſubjectum ſpiritus ib.
eo celerior quo acutior morbus ib.
proprie ſic dicta rara eſt 380
motus duplex ib.
Crocus 489
Cruſta villoſa ventriculi & inteſt. à multis habetur, pro ſecretorio ab aliis pro muſculo 127
Cucurbitulæ 442
DEliquium unde 244
Deliriorum varietas magna eſt 287
quid ſit 290
ab abſceſſu in hepatis parte gibba 628
Deliberandum eſt diu quod ſtatuendum ſemel 413
Dentium uſus 104
Diaſtole 112
Diabetes 358
Diaphoretica ſunt duplicia 456 ſeq.
Diagnoſis morborum 322
neceſſitas ib.
ſigna ſunt duplicia 323
Diarrhœa in principio variolarum non mala 374
inflammationi ſuperveniens mala 375
infantum chyloſa 270
dolorifica 303. 318
Diæta mutat temperament. 98
regulæ ſpeciales 400
Dies ctitici 380
Difficultas auditus 295
Differentia inter ſapientiam & erudit. 38
Digeſtio ciborum 105
ſigna 324
Diluentia 482
Dionyſii Chirurgi laudes 556
Diſcordia Medicorum ſanitati ægrorum nocet 416
Diuretica quomodo agant 462 ſeq.
quando conveniant 464
Divinum Hippocr. 166
Dolor 301
quomodo fiat 302
ſubito deſinens malus 364
Iſchiadicus 306
gravativus 302
Partus 533

Doſis medicamentorum 501
Dyſenteria 303. 318
cum carunculis peſſima 371
Dyſpnœæ gradus cauſa 246
à polypoſa ſanguinis & ſeri concretione 260
Effluvia ex omnibus corporibus egrediuntur 74
cauſæ morborum 171
Effervescentia 90
Elementa 67
chymicorum 85
Elephantiaſis 349
Emplaſtra contra febres 222
mercurialia 496
Emetica quando noceant 491
Emmenagoga 500
Empyema 252
ejus operatio 560
Emproſtotonus 307
Errhina 465. ſeq.
Epilepſia 308
Eryſipelas unde 249
Excreta, quo magis à ſtatu naturali recedunt, eo pejora 362
Excretiones copioſæ in morbis ubi ſerum laudabile deficit, malæ ib.
ordinariæ ſuppreſſa morbum futurum prædicunt 260. 363
alvi nigræ malæ 371
Extractio ciborum 105
Exanthemata in febrib. cont. 227
livida & nigra mala 372
Experientia medica quæ requirat 412
Explicatio 4. humorum veterum 64
Expectorantia 467
Experimentum Loweri in cane vivo 274
Anglicanum 62. 136
Sanctorii 114
Facultates veterum inferiores 60
Fames unde 102
canina 314
Fermentatio 90
Fermentum ventriculi 105
Febris præ aliis morbis eſt frequentiſſ. 202 514
quomodo diverſimode conſideranda ſit ib.
familia numeroſa eſt 203
malignæ ſigna 337
diuturnitatis cauſa 206
cauſa materialis in ſanguine ib.
maligna tempore hyberno pejor 373
variæ cauſæ 207

male

male curata viſcera & ſuccos corrumpit 365
frigoris cauſa 208
caloris cauſa 209
quo tempore ii moriantur, qui febrib. intermitt. moriuntur ib.
minera frequentiſſima ſunt cibi pravè digeſti 213
Epidemica unde ib.
purpurata unde 230
3 iæ, 4næ, quotidianæ differentiæ 215
earum cauſæ 216
ſtatarum periodorum cauſæ variæ 217.218
nothæ ſigna 336
3næ duplicis ſigna ib.
cur multi ea non corripiantur 215
remedium ſpecificum Cort. chin. 221
continuæ ab intermitt. differentia 223
eſt vel benigna vel maligna ib.
cauſæ 224
catarrhalis 225
lenta 339 ib.
hectica ib.
autumno invadens difficulter tollitur 366
Fecum alvinarum involunt. excretio 298
Fiſtula 269
lachrymalis 564
Fiſſura cranii periculoſa 361. 369
Flatus morborum cauſa 316. 184
Fluor albus 269. ſeq.
Fluxus cœliacus 318
hepaticus ib.
ſanguinis nimius V. S. curatur 441
Fluidorum integritas in quo conſiſtat 158
Fluiditas in quo conſiſtat 72
Fœminarum temperamentum frigidius & humidius 97
cur citius pubeſcat 581
an ſit multipara 592
Fœtus quomodo pedibus extrahendus ex utero 548
utrum in utero propriam agat animam 592
an ſit mulieris portio antequam edatur in lucem 593
quo ſanguine in utero nutriatur 130
an nutriatur per os 133

motum, quo tempore mater ſentiat 134
Fonticuli 472. 569
Folia ſennæ 448
Forenſis Medicina intricata eſt 575
Fortuna Medici quænam 412
Frigus quibus noceat 403
Frigida 483
Funiculi umbilicalis ligatura an ſit neceſſaria 546
Fungorum eſus lethalis 643
GAllica lingua Medico utilis 41
Callorum laudes circa chirurg. 555
Gangræna 341
Gaudium moderatum utile 399
Generatio æquivoca non datur 128
explicatur 129
Genealogia morborum eſt intricata 179
Geſtationis quo tempore fœtus habendus ſit vitalis 613
Gibboſitatis cauſa 527. ſeq.
curatio 560
Gonorrhœa 269. 270.
benignæ à maligna differentia 351
Glandularum ſtructura 117
conglomeratæ & conglobatæ 119
atrabilariarum uſus abditus 127
Govey Chirurgia vera 533
Gravidæ obſervent ſex res n. n. 399
Graviditas cum hydrope juncta 538
Gravida an neceſſario abortiat ſalivationi ob luem veneream ſubjecta 539
Græca lingua Medico neceſſaria 41
Gummata 480
Guſtus organon lingua eſt 147
HÆreditaria diſpoſitio mutat temperamentum 97
eſt cauſa morborum 167
Hæmoptoe 259
cauſa 260
ſigna 347
Hæmorrhoides 258
inſtantium ſigna 337
cœcis ſupervenit fiſtula ani 377
Hæmorrhagia 512
unde 254
natium 258
cur ſtyptica ſæpe noceant 256

natu-

naturalis, menſes 257
ex phlethora ſigna 346
turgeſcentia ib.
acrimonia ib.
à circulo ſanguinis impedito 337
narium imminentis ſigna ib.
Hecticæ purgantia, emetica ſunt venena 495
Hemiplexia 276
Hemicrania 304
Hepatis inflammationis ſigna 344
Hermaphrodita 571
Hernioſis quæ proficua quæ noxia 501
curatio 557.ſeq.
Homines raris numero, paucis ſpecie morbis afficiuntur 505
rariſſimè eo laborant morbo, ad quem maximè propendent 506
maxime ſani ad morbos inclinant 507
utrum certum pariendi tempus à natura conceſſum ſit 593.ſeq.
Humorum fons ſanguis 64
Humores quæ evacuent 431
cauſa morborum 154
Melancholicus an delirium poſſit cauſari 585
vitium omne an ab acido 187
Hydroſtatices uſus 81
Hydrops 272
ex febribus 351
pectoris 272
ſcroti 273
ovarii ib.
capitis ſ. hydrocephalus ib.
differentia à graviditate 352
Hymen an detur 571
Hypercatharſin quæ ſiſtant 497
Hypochondriacorum dolor capitis 306
Hypecacoanna 50
Icterus 321
Idioſyncraſia adverſus remedia 498
Ignavia enervat vires 398
Ignis analyſta corporum 85.ſeq.
an genuinus 428
Imaginatio 289
Inappetentia 314
Infantum regimen 408
in utero conſervatio 553
mortuorum in utero ſignum 538.ſeq.
Infans an ſeptimo menſe plus vitium habeat quam octavo 540

an moriantur poſt partum ob meconium 545
Infantiæ tempus 580
Incubi ſigna 343
vigilantibus ſuperveniens malum 375
Inflatio ventriculi poſt morbum mali recidivam indicat 374
Inflammationis ſigna 341
cauſa 250
Infuſum Thée, Coffee, Succoladæ 397
Initium veræ eruditionis 39
Inſomniorum comparatio cum delirio 290
Inſtrumentum D. Mauriceau pro extrahendo capite fœtus ex utero 550
Intemperies quid ſit 158
cum materia & ſine materia ib.
Italica lingua Medico utilis 41
Judicium de exhibito veneno 619
Jurisprudentiæ ſcopus 41
Juvenis cur ſecund. Ariſtotelem non poſſit eſſe ſapiens 583
LAc alimentorum præſtantiſſ. 390.499
nutricum 391
Latinæ Linguæ neceſſitas 41
Latitudo ſanitatis 54
Lepra 265
ejus ſigna 349
infectorum inſpectio 616
Lethalitas vulnerum 620.ſeq.
Lethargi origo 278.ſeq.
ſigna 353
Levcophlegmatia 271
Leve abſolute nullum eſt corpus 71
Lienis officium 126
ſtructura ib.
Lienteria 318
Ligna reſinoſa 481
Limatura martis 473
Lingua nigreſcens ob corruptam in utero ſecundinam 637
Linguarum ſtudium Medico neceſſarium eſt 41
Lingua ſermoni formando inſervit 104
guſtus organon ib.
Liquor gaſtricus 105
Lochia 258
retentio 553
ſuppreſſio delirii cauſa 586
Loca quæ præ aliis inſalubria 172

Lœwenhœkii ſententia de generatione 132
Logicæ indiget Tito Medicus 42
Lucis indolis 86
Luna morborum cauſa 168
dominium in fluxum menſtruum 130
Lues Venerea eſt morbus malignus chronicus 241
occultus morbus 616
eſt malum contagioſum 242
ejus cauſa 243
ſigna 340
Lymphatica vaſa quomodo lympham ſuſcipiant 120
Lymphæ tenacitas cauſa eſt rupturæ vaſorum lymphat. 262
Lypothymiæ cauſa polypus 245

MAlum hypochondriacum 319.358
hyſtericum 320.359
Malignitatis morborum ſigna 231
Magici morbi circumſpectum requirunt Medicum 618
Materiæ Medicæ notitia eſt neceſſaria 49
Matheſis Medico utilis ac neceſſaria 43
Mania 292
ſigna 355
à vermibus 629
à ſiccitate cerebri ib.
Media perveniendi ad ſapientiam 20
Medicinæ finis 41
Mechaniſmus quid ſit 58
Mechanica principia 68
Medicè vivere eſt peſſimè vivere 384
Medicina forenſis eſt intricata 575
Medicaſtri an in Republica tolerandi 609
Media expellendi fœtum 590
Medicus eſt naturæ Miniſter 417
boni officium 426
Medicus ad quæ in omni morbo reſpicere debeat ib.
Medicamenta præſtantiſſima in manu imperiti ſunt ut gladius in manu furioſi 421
Medicamentum uni prodeſt alteri nocet 426
Medicamenta motum humorum moderantia 435
Medicamentorum elementa & modus agendi 423

Membranæ fœtus in partu an rumpendæ 545
Membri virilis erectio 300
Melancholia 292
hypochondriaca ib.
Memoriæ ſedes in cerebro determinari nequit 148
Menſtruum ciborum primum ſaliva 103
ventriculi 105
Menſes hæmorrhagia naturalis 257.513
an ex vagina vel utero ſtillent 130
variè peccant 257
inſtantium ſigna 347
ſuppreſſi 299
ſubſiſtunt à polypoſa vaſorum uteri obſtructione 260
Mens turbata cum febre, malum 361
tranquilla optima Medicina 399
Mercurialia 484
quomodo agant 468
Mercurius dulcis 448
Metaphyſicæ notitia non careat Medicus 42
Metaſtaſes puris 192
Methodi medendi regulæ generales 411
Mixtio ſanguinis in febribus eſt turbata 204
Modus explorandi effectus medicament. 428
Mola 198.574 612.652
Moralis doctrinæ neceſſitas 43
Morbus in quo conſiſtat 152
diſtinctio in morb. intemper. conformat. & ſolutæ unitatis 158
conformationis in quo conſiſtat 160
malignus 231
caſtrenſis ib.
venenatus 232
incognitus quomodo tractandus 500
eſt vel acutus vel chronicus 241
chronicus & acutus ex circulatione impedita oritur 247
per intervalla recurrens non adeo periculoſus eſt 362
inveteratus, hæreditarius periculoſus 369
per conſenſum facilius curatur 372
temperamentum mutat 99
ex plethora 189
Morbilli 227

eorum cauſa 228
Mors in quo conſiſtat 152 157
ſubita à ruptura veſiculæ felleæ 643
ob renes pinguedine onuſtos 644
Motus principium univerſale 68.135
in corpore fit à fluidis elaſticis ib.
voluntarii organon eſt muſculus 136
eſt vel voluntarius vel involunt. vel mixtus 138
mutat temperamentum 99
infantis & molæ 537
ante cibos convenit 388
Muſculus quid ſit 136
quomodo agat ib.
Mulieres quando vomant 374
an Medicinam exercere queant 609
Mutatio crebra remediorum noxia eſt 414
Myrrhata 491
NArium fœtor 636
Natura interdum facit miracula 363
quid ſit 57. ſeq.
quo vergit eò ducenda 413
Nauſea 315
Nervus non movet 138
frigida, oleoſa, nimis calida ipſis ſunt inimica 499
Nitrum 89
Nitroſa 481
Nicotianæ fumus quibus conveniat 410
Noxæ ab abuſu ſpiritus vini 174
ab aqua vitæ 376
à morſu animalium 200
à mœrore ex triſtitia 399
Nutricum regimen 408
Nutritio 114
ejus materia 115
quomodo fiat 116
Nutrimentum primum fœtus eſt in ovulo 131

OBauditio in febrib. malignis bona 373
Oculus organon viſus 143
dicitur Camera obſcura 144
eorum vitia 294
cancr. 473
Obſtructionem vaſorum Mechanici negant 161
vel ſequitur morborum vel præcedit 162
tollunt æquilibrium humo-

rum ib.
Olfactus organon 146
Olus imbecille alimentum 404
Omne nimium naturæ inimicum 383
Omnis ſubita mutatio periculoſa ib.
Opiſtotonos 307
Ophthalmiæ ſigna 344
Opium 487. ſeq.
Opportunitas temporum anima curationum 413
Oris fœtor 636
Os ſacrum an in partu extrorſum ſe aperiat 544
pubis an in partu dehiſcant 546
luxata morborum cauſæ 195
cranii fiſſa ib.
carioſa ib.
pinguia, oleoſa non ferunt 500

PAlpitatio cordis 260
Panis optimum alimentum 404
Panacea vix datur 420
Paralyſis apoplexia particularis 277
ejus ſedes 278
à pareſi differentia 353
ex nervorum dislocatione & luxatione incurabilis 370
Pareirabrava 50
Partes ſimilares & diſſimilares 65
organicæ & inorganicæ ib.
ſpermaticæ & ſanguineæ 66
ratione dignitatis omnes non eædem ſunt ib.
omnes corporis ad morbos cudendos concurrunt 155
diſtinguuntur in nobiles & ignobiles, externas & int. 156
variæ fœtus in partu ſe offerentes 550. ſeq.
Paraplegia 353
Partus naturalis quis 534
quæ ipſi anſam dent 134
unde tot differentiæ ratione temporis 593
duorum infantum 535
ſeptimeſtris an detur 597
variæ differentia 535
menſis quinti & ſexti 607
an immineat determinatu difficile eſt 540
tempus habet latitudinem 602. 614
Paracentheſis hydropicor 569. 572
Paſſio Iliaca 317 358

Pathologia nititur fundamento physiologico 152
Pectoralia remedia 437
Pediluvia 496
Peripneumoniæ causa 260
Pestis cur omnium morborum maligniſſimus 238
signa 337
Petechiæ quid 240
signa 337.seq.
à maculis scorbut. differunt ib.
sæpe solvuntur diarrhœa 371
Philosophia est instrumentum trium facultatum 40
Phantasiæ sedes determinari nequit 148
Phænomeni ratio, cur ægri conquerantur de dolore membri, quod amputatione ipsis sublatum est 567
Phrenitidis signa 252.342
Physices cognitio Medico summè necessaria 44
Physiologia fundamentalis Medicinæ pars est 53
ejus objectum est Homo sanus 54
Pharmaceutica Chymia utilis 51
Phthisis 235
ejus signa 348
imminentis signa 349
ejus causa 254
ex tussi 268
Pica 314
Pinguiores personæ præ macilentis periculo expositi sunt 377
Plethora an detur 188.seq.
multorum morborum causa 261
Polypus hypothymiæ causa 245
varia circa illos notanda ib.
morborum causa 197.464. seq.
ejus sublatio ib.
cordis signa 342
Polycresta multa dantur 420
Potus morborum causa 174
matutinus & nocturnus noxius 396
calidi ib.
Prandium cœna sit liberalius 394
Praxis Medica quomodo docenda 412
Prærogativa energiæ naturæ 524
Præservatio à morb. malignis 237
à contagio 465
Principia physica 67

Primæ viæ quæ ſint 313
Prognoſis 360
Procidentia uteri 554
Pulmonum nexus cum corde 121
ſtructura ib.
Puerperæ quomodo tractandæ 500
morbi acuti peſſimi 379
lac ſi deficit, malum 377
regimen 407
Pubertatis tempus in virginibus 581
cur citius pubeſcat fœmina ib.
Pueris non danda ſpirituoſa, mellita 409
Pulſus quid ſit 324
quantum ipſi tribuendum ib.
magnus quid indicet ib.
parvus ac debilis 325
vehemens ib.
celer ſeu frequens ib.
intermittens 326
periculoſus 368
inæqualis 326
Papilla ad lucem conſtringitur, in tenebris dilatatur 144
Purpurata febris unde 230
Puris geneſis 235
Ptyaliſmus 269
Purgantia quando noceant 445 ſeq. 491
quomodo agant 443 ſeq.
Quies mutat temperamentum 99
Qui bene ingerit, bene digeritet bene egerit, ſanus eſt 385
Ratio quod non curavit, ſæpe curavit temeritas 474
Rerum naturalium conſideratio 54
n. nat. uſus & abuſus 386
n. nn. & p. n. temperamentum mutant 97
Reactio corporis humani in quo conſiſtat 165
Remedium quomodo fiat venenum 180
contra effuſionem ſanguinis ante partum 547
Remediis paucis ſelectis utendum 418
ægri non fatigandi 419
Renum officium & ſtructura 128
inflammationis ſigna 343
Recidiva pejor morbo 362
Reſpirationis neceſſitas 121
quo in modo liberior, eo ſtatus melior 363

modus

modus 125
cum circulatione arctiſſima eſt connexio 246
moderatio multum ad partum facit 544
Reparatio partium per corruptiones ſublatarum 509
Rhachiticorum infantum oſſa 568
Rhabarbarum 447
Rudimenta prima hominum an fuerint in ovario primæ matris &c. 132
Ruptionum vaſorum cauſa 260
SApientia p. 1
Sanitatis definitio 55
in quo conſiſtat 152
ſtatus neuter ib.
conſervandæ regulæ generales. 382
& vita peragitur motib. 508
Sal 88
ſimplex & compoſitum 89
per omnia regna diffuſum ib.
volatile 477
fixum 478
Salivantia 468. ſeq.
Saliva menſtruum ciborum primum 103
quid ſit ib.
cur inſipida ib.
quomodo Mercurium figat ib.
juvat guſtum ib.
ejus vitia 313
inſpectio 334
tenax, viſcida, copioſa, limpida 335
examen chymicum ib.
Salivatio mercurialis 469. ſeq.
Sanguificatio 102
Sanguinis partes 64
motus duplex 110
circulus per pulmones 122
neceſſitas ad morum muſculorum 137
cur ex pulmonibus floridior redeat. ib.
peccat primis qualitatibus 160
humiditate ib.
cauſa morbifica 187
vitia 188
peccat quantitate, qualitate, motu, loco 189 ſeq.
inſpectio neceſſaria 326. ſeq.
collecti in abdomine ſigna 345
pectore ib.
capite ib.
quantitas ſufficiens è ſecta in pede vena, quomodo dignoſcenda 568
Sanis omnia ſana 385

Saccharata ſcorbuticis & hypochondriacis nocent 391
Saporis læſio 297
Scabiei variæ ſpecies ac gradus 264
Scirrhus à lymphæ lentore & coagulo oritur 263
Selectus materiæ medicæ neceſſarius eſt 50
Sedes animæ 66
Secretio 114
in mammis 134
in pulmonibus 120
Secundinæ an in principio graviditatis adſint 131
retentæ morborum cauſa 198
non temerè promovendæ 546
examen 552
retentio 653
Sectio Cæſarea 549. 556
calculi 572
venæ jugularis 561
cadaverum poſt mortem utiliſſima 623
Senes fugiant acida, flatulenta &c. 392
Scorbutus eſt morbus malignus, chronicus 241
ſigna 340
Senſus explicatio 140
omnes ad tactum referri poſſunt 142
communis ſedes in cerebro determinari nequit 148
Senſatio fit in cerebro 141
Scarrificatio 569
Simplicitas præparationis medicament. 526
Simplicia plus præſtare ſuis præparatis 430
Situs infantis naturalis ad partum 547
Simulationes morborum difficulter deteguntur 617
Singultus 311
Sitis unde 102
Soliditatis cauſa 72
Solutio quid ſit 73
Solidorum integritas in quo conſiſtat 158
Solida morborum cauſæ 193 ſeq.
Soluta unitas quid ſit 160
Sol cauſa morborum
Solſtitia & æquinoctia morbos alterant 365
Solis ardor nimius vitandus 401
Somnus meridianus non omnibus probatur 397
optimum virium refectorum 398
mutat temperamentum 99
ejus

ejus negotium 151
abusus nocet 175
Spiritus corporis humani 61
causa morborum 154
animalis 62
ejus usus in chylificat. 105
materia 62
mobili indole gaudet 136
intemperiei signa 323
Spasmi ætiologia 163
Spirituosorum usus 479
Sputum pituitosum in hypochrondr. 358
Sternutatio 312
Sternutatoria 466
quando conveniant 467
Strictura spasmodicæ causa 246
Sterilitas ex sectione cadaveris probatur 654
Stomachica medicamenta 438
Soliditas pueri à calculo cerebri 630
Stranguria 303
Succoladæ potus 397
Subjectum Medicinæ corp. hum. vivum 503
Sudorifera quomodo agant 456 seq.
volatilia 457
fixa 458
Suffocationis uteri signa 342
Sudor 298
Suffusio 294
Succus pancreaticus 127
nerveus 62
Sulphur 88
Surditas 295
Systole 112
Syncopes signa 244
Symptoma quid sit 201
dividitur in actionis læsæ, excret. & retentorum 202
febris recensentur 205
calorem febris præcedentia 208
Synovia quid 192

TAbes ob ventriculum corrosum ab usu Magisteriorum corallorum & perlarum 641
Tenesmus 319
Temperamentum 19
mixti & vivi 93
ad pondus & justitiam ib.
influum insitumque 94
universale & particulare 95
calidum, frigid. sicc. humid. 96
Tendo quomodo formetur 136
Temporibus medicina valet 415
Tendinosarum partium læsiones

nes periculoſæ 369
Terra 82. ſeq.
Terroris vis in morb. malignis 235
abortum producit 376
Theriacalia 492
Thermarum uſus 499
Theologiæ finis 41
Teſticulorum utriusque ſexus differentia 129
Thée potus 397
Theriacalia 457
Tetanus 307
Tranſpiratio impedita febrium cauſa 214
libera in morbis bona 363
Tranſitus ſanguinis ex arteriis in venas 112
Trituratio ciborum in ventriculo 106
Tonſillarum tumoris ſigna 341
Tumores indurati 264
in atrophicis morbis mali 364
viſcerum ſcirrhoſi minantur hydropem 372
Tuſſis 268
ſigna 350
ſtomachalis à pulmonali differt ib.
antea humida dein ſicca facta pulmones lædit 370
Trepanatio 562. ſeq.
Tympanitis 274
curatio 572
Ulcus quid 252
pedum & faucium facilius curatur quam ani 372
pulmonum 253
ejus cauſa 254
boni & mali moris 269
Unco an in partu liceat uti 547
Ureterum extenſio 259
ruptura ib.
Urinæ involuntaria excretio 298
ſuppreſſio fatalis Tich. Brahe. 299
ſanguinea in inflammatione mala 374
inſpectio 329
multa quid indicet ib.
tenuis in acutis morbis ib.
pauca ib.
contenta ſalino-terreſtria 330
ex ſapore, calore, evaporatione dignoſcitur ib.
odore 334
aquoſa limpida 331
rubra ib.

bona, pulſus bonus & æger moritur 332
craſſa ib.
oleaginoſa ib.
arenas continens ib.
cum viſcoſo albo ſedimento 333
cum pure & ſanguine ib.
fuſca nigra ib.
turbida gelatinoſa ib.
Uterus animal in animali 536
ſpaſmodica contractio 300
prolapſus 570.653
VAlentini Pandectæ 610
Vapor 78
Variolæ 227
earum cauſa 228
confluentes malæ 373
earum ſymptomata 229
imminentium ſigna 338
differentia à morbillis ib.
Varioloſi quomodo tractandi 492
Vaſa lactea terminantur in ductum thoracicum 107
lymphatica quomodo lympham ſuſcipiant 120
omnes partes corporis habent 271
Venæſectio in principio pleuritidis abſolutè neceſſaria eſt 251
prima à morte liberare dicitur 441
quando noceat 491. ſeq.
quæ magis indicent 440
ante partum 534 544
ejus finis duplex 440
ejus præſtantia 565
uſus & abuſus 439.441
Ventriculum multi univerſalem morborum ſedem vocant 157
Venti cauſæ morborum 169
Venus an melancholicis profit 585
Venena morborum cauſæ 192. ſeq.
quæ 232
eorum diverſitas 233
animalium quomodo agant 235
Vertebratum luxatio morborum cauſa 195
Vermes cauſæ morbificæ 198
in malignis morbis, peſſimum ſignum 376
Vertigo 286
cauſa & ſigna 354
futuræ ſigna 364
cum capitis dolore & aurium tinnitu apoplexiam indicat

cat 563
Veſicatoria 470
quomodo agant 471
eorum uſus ib. ſeq.
Veſicæ inflammatæ ſigna 343
Veſicularum pulmonalium uſus 123
Vigiliæ mutant temperament. 99
immoderatæ nocent 175
nimiæ unde 284. ſeq.
in acutis peſſimæ 378
earum vis 398
negotium 151
Vinum generoſum lac ſenum dicitur 392
Vires parientium non intempeſtivè prodigendæ ſunt 543
quo debiliores eo ſtatus periculoſior 361
Viſcus quo nobilius laborat, eò malum eſt gravius 364
Viſus omnium ſenſuum præſtantiſſimus eſt 143
objectum lux ib.
vitia 294
Vita in quo conſiſtat 55
unde maximè pendeat 243
quid ſit 504
Vitriolata 484
Vomitus 315
intentatus ib.
quæ indicant 452
contraindicantia vomitus 453
Vomitoriorum in malignis quis uſus 493
quomodo agant 450
quibus conveniant 551
Vomitus cruentus 259
ſigna 348
Vulnera ſclopetaria cur parum effundant ſanguinis 568
Wolhuſianæ operationes 555